






SIGILLVM · VNIVERSITATIS · CALIFORNIENSIS
FIAT LVX
MDCCCLXVIII
EX LIBRIS

INITIA
HISTORIAE GRAECORVM LITTERARIAE

SECVNDVM EDIDIT

GODOFR. ERNESTUS GRODDECK

AVGVSTISSIMI ROSSORVM IMPERATORIS A CONSIL. COLLEGIOR. ORD. EQVESTRIS S. VLADIMIRI IV. CL. LITTERAR. GRAEC. ET ROMAN. IN ACADEMIA CAESAREA VILNENSI PROF. P. O. EIVSQVE BIBLIOTHECAE PRAEFECTVS. SOC. REG. SCIENT. GOTTINGENSIS ET PHILOMATHICAE VARSAVIENSIS AMICVS ET FAMILIARIS. SOC. CVRONICAE LITT. ET ART. SODALIS ORD. ARCHIDVC. SOC. LATINAE IENENSIS SOCIUS HONORARIUS

PARS PRIOR.

VILNAE

SVMTIBVS IOSEPHI ZAWADZKI

MDCCCXXI

Licet excudatur, ea tamen lege, ut excusus liber ne prius veneat, quam apud *Censorum Collegium* deposita sint eiusdem exempla quae nuncupamus, primum videlicet in Collegii dicti usum; duo, ad Ministerii institutionis et educationis tabellarium; quartum et quintum ad CAESAREAM Bibliothecam publicam; sextum ad CAESAREAM Doctrinarum Academiam; septimum ad CAESAREAM Litterarum Vniversitatem Aboënsem mittenda. Vilnae III. Id. Mai. MDCCCXXI.

Philippus Nerius Golański Vniv. Prof. Em. Coll. Cens. Sod.

LECTVRIS

S.

Qvod ante decem annos in libri huius fronte iam significavi, ut totius operis ratio et consilium nosceretur, paucissimis verbis etiam nunc repetere liceat. Litteraturae omnium ditissimae non nisi *initia* tradere constitui, quae discendi cupidis ad interius litterarum Graecarum studium viam munirent. Brevitatis igitur ubique rationem habui, ita tamen, ut ne quid deesset, quod ad universae disciplinae cognitionem alicuius esse momenti aestimaretur. In quo quam difficilis sit rerum delectus, quam multiplex scribendi ordo, quem adhibeas, neminem fugiet qui in simili argumento tractando periculum fecerit. Sic, quae historiae litterariae Graecorum vulgo, nec sine causa idonea, praemitti solent disputationes, *de primis Graecorum originibus, de culturae eorum initiis et incrementis, de eventis factisque praecipuis*, quorum ad litterarum studia sive dirigenda, sive acuenda, sive corrumpenda immutandave magna omnium consensu cernitur vis, denique *de sermone Graeco et scri-*

ptura: eae omnes, etsi nonnulla huius generis passim tetigi, ne tamen in nimiam molem liber succresceret, alii et commodiori loco reservandae erant. Ceterum ut libelli, quem viris aliquot doctissimis clarissimisque, in quibus *Morgensternium*, Dorpati decus, et *Passovium*, professorem Vratislaviensem, honoris causa nomino, haud displicuisse laetor, non nova tantum, sed etiam diligenter emendata, insigniter aucta, ac passim, ubi per operis summam, cogitatione semel praeceptam, fieri licuit, retractata editio prodiret, sedulo curavi, Censoris egregii in Ephemeridibus Ienensibus monita potissimum secutus. Quod prior demum operis pars seorsum vulgatur, me quidem invito accidisse fateor. Sed morae aliunde illatae impatiens, praecipua totius Graecorum litteraturae parte, primam et secundam eius aetatem complectente, tandem absoluta, hac saltem promulgata discentium studia iuvare, quam integri libri, intra anni dumtaxat spatium profligandi, diuturna exspectatione retardare malui. Scrib. Vilnae Pridie Nonas Maias MDCCCXXI.

INDEX PARAGRAPHORUM.

PRAEMONENDA.

Historia Graecorum et Romanorum *litteraria*, artium ac doctrinarum, apud utramque gentem sermone scriptisve traditarum, exponit *initia*, *processus*, *incrementa*, *regressus*, *defectum*; additis causis, quibus quaeque ex alio in aliud vicissitudo atque mutatio effecta sit: *auctorum* celebriorum, quorum scripta vel aetatem tulerunt, vel in deperditis numerantur, nomina excitat, aetatem definit, vitam breviter enarrat: *operum* quae reliquerunt agit recensum, argumenta aperit, spuria a genuinis secernit, virtutes ac vitia ponderat; subiecta potiorum, tum librorum manuscriptorum, tum editionum, commentariorum, versionum, critica notitia.

§ 2.

Quum historiae huius tradendae plures sint et passim adhibeantur rationes: longe melior historiaeque nomine dignior ea videtur, quae temporum ordine, quoad eius fieri potest, servato, rerum ac scriptorum copiam, in certas *aetates* descriptam, ita digerit, ut *cuiusque aetatis* auctorum *classes* conficiantur, eo ordine se invicem excipientes, quo unaquaelibet ad alia litterarum genera perficienda, studiorumque rationes ineundas vel immutandas maximam vim habuerit.

Aug. Matthiae Prolusio de historia litterar. Graecar. secundum aetates ac tempora sua descripta. Vid. Miscell. Philolog. T. I. p. 217 sqq.

§. 3.

Secundum haec litterarum Graecarum historiam, indagatis ante earum *originibus* atque *initiis*, in *tres* potissimum *aetates* commode describi posse arbitramur, quarum *primam* a *poësi*, quae usque ad extremam annorum huius circuitus partem paene *sola* exculta fuit, *poëticae* aetatis nomine afficimus, ab *Homero* inde usque ad *Pindarum* per quatuor circiter saecula decurrentem; *secundam*, *prosae orationis* usu invalescente, *historiae*, *philosophiae*, *artis scenicae ac dramaticae*, et *eloquentiae Atticae* maxime studiis florentem, saeculi circiter unius et dimidii ambitu comprehensam, *Socratis* et *Demosthenis* nominibus designamus; *tertia* severiorum, quae dicuntur, disciplinarum, ut *Matheseos*, *Astronomiae*, imprimis vero *Grammatices*, *Critices* et *doctrinae* multiplicis ac reconditae studia continet, sub *Ptolemaeis* et *Romanorum* dominatione ad *tertium* vel *quartum aerae vulgaris saeculum* usque ferventia; qua surgente *Eratosthenes* floruit, vergente *Longinus*. Iam qui deinceps sub *Byzantinis* maxime *Imperatoribus*, usque ad imperii Graeco-Romani interitum et paulo post sub saeculi XV. finem, exstitere Graeci poëtae et versificatores, historici, rhetores, grammatici, lexicographi, epitomarum et compilationum auctores, ut litterarum lumen nunquam penitus apud Graecos exstinctum esse testantur; ita, si a paucis recesseris, nulla, seu ingenii, seu artis, seu orationis, praecipua laude conspicui, vel peculiari scribendi genere notabiles, in *tertiae* aetatis quasi *supplementum* reservantur. Temporum vero terminis his constitutis, artium et disciplinarum, quae singulis intervallis maxime celebratae fuerint, non solum *genera*, sed etiam *sedes* et *domicilia* diversa indicantur. Quae enim *prima* aetate inter *Iones* et *Aeoles* per *Asiae* minoris oram maritimam insulasque adiacentes, tum inter *Dores Siciliae* et *Magnae Graeciae* habitare voluisse videntur artium ingenuarum studia: mox *secunda*, *Athenas* illata, ibique ad summum fastigium, inter breve temporis spatium, evecta, amissa tamen *Atheniensium* libertate, *Alexandriam Aegypti*, Ptolemaeorum regiam, mi-

grarunt, inque opulentissima urbe *tertiae* aetatis decursu dominata sunt.

§. 4.

Quum liberaliores artes doctrinaeve vix reperiantur, quas Graeci, si non invenerint, certe haud perfecerint scriptisque explanaverint: sint autem, quae, ut perficiantur, non solum *ingenii* ope divinioris, pulchri, veri ac decori sensu acerrimo et incorrupto, *linguae* ditissimae, numerosae, et quocunque ducas flexibilis, parato praesidio, sed *temporum* etiam *felicitate* quadam rerumque opportunitate indigeant; in quibus principatum Graecis deferendum esse nemo dubitet: quumque iidem, admirabili quadam saeculorum continuatione serieque, tot et tanta tamque varia ingenii, artis et doctrinae monumenta, ab interitu partim servata, reliquerint: postremo, quum disciplinarum, quas colimus, complurium vel praesens forma et habitus a Graecorum praeceptis institutisque repetatur necesse sit: sponte intelligitur, litterarum omnino, quid? culturae generis humani historiam ignorare, quem, quid in quolibet artium et disciplinarum genere praestiterint Graeci, fugiat.

Davidis Ruhnkenii oratio de Graecia artium ac doctrinarum inventrice, Lugd. Bat. 1757. 4. edita nunc in eiusdem summi viri Opusculis ibid. 1807 p. 77—104.

§. 5.

Disciplinae huius *fontes*, ipsi auctores veteres utriusque linguae adeundi sunt. Praeter ceteros autem discendi cupidis commendentur *Strabo*, scripta rhetorica *Dionysii Halicarnassei*, historica et litteraria *Plutarchi*, *Diogenis Laertii*, *Athenaei*, *Philostrati*; *Iohannis Stobaei* Eclogae et Anthologium, *Photii* Myriobiblon, lexicon *Suidae*; *Ciceronis* opera philosophica et rhetorica, *Plinius maior*, *Quintiliani* Institutionum liber X., *Suetonius*, *Aulus Gellius* et *Macrobius*.

§ 6.

E recentioribus vero scientiae *subsidia* petantur, quum ab his, qui vel litterarum, per omne aevum cunctosque populos sparsarum, historiam condere tentarunt, ut *Lambecius*, *Morhof*, *Struvius*, *Heumann*, *De Carlencas*, *Denina*, *Denis*, *Wald*, *Wachler*, *Meusel*, *Eichhorn*; vel doctorum omnis temporis hominum vitas scriptaque enarrarunt, nunc *lexici* forma, ut *Conrad Gesner*, *Bayle*, *Mencken*, *Ioecher*, *Marchand*, *Adelung*, nunc temporum servato ordine, ut *Frisius*, *Blount*, *Hederich*, *Hamberger*, *Saxe*, *Eyring*, *Baur*, *Oberlin*, *Bredow*: tum maxime ab iis, qui vel *Graecarum* litterarum separatim origines, progressus atque indolem scrutati sunt, ut *Meiners*, *Tiedemann*, *Laharpe*, *Fr. Schlegel*, *Mohnike*; vel Graecorum auctorum librorumque notitiam dedere, sive ampliorem, ut, post *Meursium*, I. A. *Fabricius* eiusque restaurator *Harlesius*, sive breviorem, ut idem *Harles*, *Beck*, *Eschenburg*, *Rienäcker*, *Creuzer*, *Ast*, *Fuhrmann*, *Schaaf*, *Sachse*, *Matthiae*, *Sandbichler*, *Mohnike*, *Passow*, *Schoell*, alii. Neque praetereundi sunt tum *historiae* Graecorum *politicae* scriptores, inter quos Angli eminent triumviri, *Goldsmith*, *Gillies*, *Mitford*, quibus nuper accessere *Clavier*, *Breton*, *Hüllmann*, *Vierthaler*; tum qui de ingeniorum, vitae morumque cultu et ratione inter Graecos conspicua disseruerunt, ut *Goguet*, *de Pauw*, *Barthelemy*, *Hartmann*, *Ienisch*, *Levesque*.

§ 7.

De *Codicibus*, sive libris manuscriptis graecis, et de Bibliothecis, in quibus ii asservantur, docte et copiose egit *Bernardus de Montfaucon* in *Palaeographia Graeca*, in *Diario Italico*, in *Bibliotheca Coïsliniana*, et in *Bibliotheca Bibliothecarum Mss. nova*. Eorumdem notitiam et recensum exhibent singularum bibliothecarum *Catalogi* typis vulgati, ut *Vindobonensis* a *Lambecio*, *Kollario* et *Nesselio*; *Mediceae* a *Bandinio*; *D. Marci Venetorum* a *Zanetto* et *Iac. Morello*; *Augustanae* a *Reisero*; *Matritensis* ab *Iriarto*; *Regiae Parisinae* (Parisiis 1739-1744. 4 Voll.

Fol.) una cum supplementis et commentariis in *Notices* et *Extraits des manuscrits de la Bibliotheque du Roi*; Catalogi libror. Mss. Angliae et Hiberniae editore *Bernardo*, Oxon. 1697 fol.; *Harleianae*, Londini 1759. II Vol. fol.; *Mosquensium* a *Matthaeo*, aliarumque plurium, de quibns v. *Harlesii* Introductio in Histor. linguae Graecae, Prolegg. p. 53-67. ed. nov. et *Meuselii Leitfaden zur Geschichte der Gelehrsamkeit* T. I. p. 186-194. cf. *Mohnikii* Geshichte d. Litter. d. Gr. u. Römer. T. I. p. 41 sqq.

§ 8.

Ad veterum Classicorum *editiones*, tum *principes*, i. e. e codice Ms. expressas, tum insigniores cognoscendas imprimis faciunt: *Maittairii* et *Panzeri Annales Typographici*, cum *Denisii* supplementis; *Bibliotheca Graeca et Latina Periergi Deltophili* (Com. a Reviczky), Berolini, 1794, 8. *Harwood* A View of the various editions of the Greek and Roman Classics, Londini, 1775, 8; *Brehmii* Bibliographisches Handbuch der griechischen nnd römischen Literatur. T. I. II. Lipsiae, 1797-1800; *Brüggemanni* View of. the english editions, translations and illustrations of the ancient greek and latin authors. Stettin, 1797-1801. *Schoellii* Repertoire de littérature ancienne, Parisiis 1808 2 Voll. 8. *Weigelii* Apparatus litterarius inde ab a. 1807. Praesertim consulendi sunt *editionum elenchi*, ad singulos auctores a viris doctis passim accurata diligentia confecti, ut editionum stirpes et familiae, cognationes et stemmata, itaque vulgatae lectionis seu contextus fontes ac vicissitudines cognoscantur.

Versiones librorum veterum in recentiores Europaeorum linguas, *Italicas* quidem, recensuerunt *Maffei* et *Paitoni*; *Gallicas*, *Goujet* in Bibliothéque Françoise T. III. VII. *Anglicas*, *Harwood* et *Brüggemann* in libris modo laudatis; *Germanicas*, *Degen*; denique linguae seu populi discrimine sublato, *Schummel* in *Uebersetzer-Bibliothek* etc. 1774, 8: et *Schlüter* in *Vollständige Sammlung aller Uebersetzungen der Griechen u. Römer vom 16ten Jahrh. bis auf das Jahr* 1784. Francof. et Lipsiae 1785, 8.

DE PRIMORDIIS LITTERARUM GRAECARUM.

§ 9.

Ut populorum graeci nominis origines, ita culturae eorum, quae ab artibus litterisve profecta est, primordia, ob historiarum et monumentorum defectum seu penuriam, paucis admodum vestigiis iisdemque late dispersis, famaque obscura proditis, indagari queunt. In his quasi tenebris tria haec tamen satis certe cognoscere licet, *primum*, *Ionicae* ac *Doricae* stirpis populorum Hellenicorum ingens *discrimen* non modo ad sermonem, civitatum descriptionem, legum, disciplinae, institutorum, morum, vitae cultus, vestitus, indolem pertinuisse, sed etiam ad litterarum et artium studia inchoanda, designanda atque informanda per omne temporis, quo suo, hoc est, nativo flore vigebant, spatium magnam vim habuisse; *deinde*, ingeniorum et artium apud Graecos culturam non ad peregrinae, ab exteris gentibus acceptae, speciem et modum effictam adolevisse, sed in *patrio solo quasi genitam*, huic *propriam* et *sui similem* fuisse: *denique*, a *carmine* eam et *cantu*, *musici instrumenti sonis temperato*, cumque *mimica iuncto saltatione*, *processisse* totam. *Carmen* autem dicimus nunc orationem vividiorem, maxime sensibilem, numeris adstrictam, necdum arte limatam, sed subitam et fortuitam, ac naturae ipsius velut sponte proditam, animique valde commoti interpretem. Cuius, quantumvis inconditi, carminis vim ad audientium animos rudiores deliniendos insignem, quum et cantus, musica, saltationis rhythmus, vocis perpetui comites, et *festorum solemnitas dierum*, *conventuumque popularium celebritas* insigniter augerent: mirari desinas, in populo, cuius mobile ac sollers ingenium Musis velut natum esse videtur, haud defuisse subinde, qui rudium *αὐτοσχεδιασμάτων* usum moremque repudiantes, sumto spatio ad cogitandum, paratius canerent, tum sermone uterentur minus hor-

rido, artisque qualiscunque lenociniis attemperato. Maior sic praestantia atque dignitas cantibus (ἀοιδαῖς) accessit et ipsis *cantoribus* (ἀοιδοῖς), nondum dictis *poëtis*, qui, quum animi aestu et impetu quodam abrepti, commotionis huius signa verbis, sententiis, voce, vultu, gestu denique ostenderent, prout hominum qui tunc erant ferebat opinio, *Numinis quodam afflatu* (ἔνθεοι) *divinos* fundere cantus vulgo crediti esse perhibentur.

§. 10.

Quae quidem de vatibus suis opinio, cur priscorum hominum mentibus tam alte insederit, ex ipsis *cantuum*, de quibus agimus, *argumentis* cognoscitur. Quidni enim Deorum interpretes, Diis familiarissimi, amore, cura, tutela, praesidio Deorum praeter alios digni haberentur ii, qui modo *Deorum*, *Heroumque Diis prognatorum laudes hymnis* celebrarent? modo praesentium et praeteritorum cognitionem ad futuri providentiam perite applicantes, *bona consilia*, *praecepta*, *monita*, per phantasmata rerumque imagines, *vatum* (μάντεων) instar, non sine inflammatione animorum et quodam afflatu quasi furoris traderent? modo *lustrationum* et *expiationum ritibus* religiosis (τελεταῖς), cum *cantionibus sacris* coniunctis, feros homines a caedibus scelerumque et victus immanitate ad mitiorem vitae cultum, ad humanitatis officia, metum deorum, legum et iuris reverentiam deducerent? modo vetustissima super *rerum natura*, Universi huius ortu et fabrica, elementorum pugna, siderum motu, ventorum, fulminum, procellarum impetu, placita, phantasiae magis indomitae et prisci sermonis indoli, quam subtiliori debita rationi, in *cosmogoniis* suis vel *theogoniis* enarrarent? Sponte hinc intelligitur vatum vel poëtarum antiquissimorum, omnis divini atque humani juris, ut in illa quisquam aetate esse poterat, consultissimorum, a quibus et religiones et sacra sua, partim arcana, repeterent, gravissima apud Graecos auctoritas: neque causae nunc latent, cur eos, tamquam primos et solos *sapientes* (σοφούς), hominumque societatis, legum morumque mansuetio-

rum veros *auctores*, summa observantia coluerint; cur carminum, cantus, musices, saltationis usus inter praecipua laetitiae publicae et privatae instrumenta, tum in sacrorum, dierum festorum, ludorum, conventuum publicorum (*πανηγύρεων*) celebratione, tum in epulis et conviviis apud Graecos tamdiu invaluerit; cur puerilis denique Graecorum institutio et disciplina a poësi carminibusque praestantissimis decantandis, ediscendis, lectitandis, interpretandis, nullo non tempore profecta sit, artisque *musicae*, cum poësi et cantu arcte copulatae, nomen et studium animi ingenui cultum fere continuerit.

Horatii Ep. ad Pisones 391-407. *Heynius* de efficaci ad disciplinam publicam privatamque vetustissimorum poëtarum doctrina, in Opusc. Academ. T. I. p. 166.— *De Pauw* Recherches sur les Grecs Vol. II. p. 120.— *Cornelii Anne Den Tex*, Tilburgensis, Disputatio de vi Musices ad excolendum hominem e sententia Platonis. Ultrai. ad Rhen. 1816. 8.

§. 11.

Quum carmina haec antiquissima, soli quippe *memoriae* tradita, dudum periissent: fama tamen superstes vatum nonnullorum nomina, gratis etiam posteris sanctissima, servavit, quibus carminum vetustiorum reliquias, quae auctore ignoto ferebantur, auctoritatis adstruendae causa, fide aut nulla aut admodum incerta, antiquiorum temporum ἀκρισία tribuere haud dubitavit. In his praecipue memorandi sunt *Eumolpus Eleusiniorum* sacrorum creditus auctor, *Philammon*, *Thamyris*, *Linus*, *Orpheus*, *Musaeus*, e *Pierum* orti *Thracia* gente clarissima, ad *Olympi* Thessaliae montis radices habitante, cui, ut aliis nonnullis Thraciae populis, per Thessaliam, Phocidem, Boeotiam, Atticam, latius tunc sparsis, antiquissimae, id est, *sacrae* poëseos Graecae initia, communi vetustatis fama, accepta feruntur. Ab iisdem vatibus mythus de *Olympo*, Deorum sede, ac *Musarum*, quae hinc *Pierides* toties vocantur poëtis, *religiones* et *sacra*, quae *primi instaurasse videntur*, repetenda. (Hesiod. Theog. 53. Strabo IX. p. 409 sq. X. p. 471 B.) Praeter quos veteribus saepe collaudan-

tur nomina cantusque sacri *Amphionis Thebani*, *Pampho Atheniensis*, Lino aequalis, et *Olenis Lycii*, vetustissimi vatis, cuius hymni in insula Delo asservati magnam nacti sunt celebritatem. Vid. Herodot. IV. 35. Callim. H. in Del. 305. Pausan. I. 18. VIII. 21. IX. 27.

Passovius in introd. ad Musaeum — *Mohnike* Gesch. d. Litt. d. Gr. u. R. T. I. p. 125. *Heyne*: Literarum artiumque inter antiquiores Graecos conditio ex Musarum aliorumque Deorum nominibus muniisque declarata, in Opusc. Academ. T. II. p. 306. *Idem* de Musarum Mythis et Originibus in Commentatt. Soc. Scient. Gott. T. VIII.

§. 12.

Horum omnium vero longe celeberrimus putetur *Orpheus*, Pindaro (Pyth. IV. 313.) et Aeschylo (Agam. 1638) iam laudatus, in cuius nomen certe fabulosum, similiter atque in Eumolpi, Lini, Herculis illud, *plurium* hominum facta et res gestae cumulatae esse videntur *). Aetatem remotissimam, qua vixisse fertur *Argonautarum* iste comes (MCCLXIII ante Chr. tribus circiter saeculis ante Homerum), redolent mythi, tum de parentibus eius Apolline et Musa Calliope (cf. Schol. Pindari Pyth. IV. 313. Vulgo Oeagri et C. filius perhibetur. cf. Apollodor. I. 3. p. 16.); tum de prodigiis, Musicae artis, qua excelluit, vim declarantibus, inque his de *Eurydice* uxore **), ab inferis nequidquam reducta; tum de leto crudeli quo periisse dicitur, a Bacchis discerptus, deque capite et lyra Orphei in *Hebrum* proiectis, et *Lesbum*, Lyricorum qui serius floruere patriam, adnatantibus. Sed magis etiam decantata sunt *sacra arcana* (τελεταί), a credito auctore *Orphica* dicta, (Aristoph. Ran. 1064. Euripid. Rhes. 946. Plato Protag. p. 316 e. de Rep.

*) Quod si tenes, Aristotelis, gravissimi iudicis, de Orpheo opinio a Cicerone (De Nat. Deor. I. 38) relata, cum tot aliis antiquitatis testimoniis, in speciem contrariis, facile conciliari potest. cf. *Gesnerus* in prolegg. ad Orphei edit. suam et *Tiedemannus* in Griechenlands erste Philosophen p. 4. et 7.

**) Aliis dicta *Agriopa*. v. Hermesianax ap. Athen. XIII. p. 597.

II. p. 595.), et *secta Orphicorum* (*θίασος*), disciplinae cuidam, ut serius Pythagorei, addicta, (Herodot. II. 81.), quae in longum perduravit aevum. Ceterum quae sub Orphei nomine, certe a Platonis inde et Aristotelis aetàte, *scripta*, maiore in dies numero, circumferebantur, ea diversis temporibus, ab auctoribus diversis Orpheo supposita fuisse nemo dubitet. In his, quae vel nunc exstant, sunt sequentia: I. *Argonautica*, epicum carmen, versibus 1384 constans, cuius antiquitatem, post *Gesneri*, *Ruhnkenii*, *Schneideri*, diversas opiniones, idoneis argumentis, a carminis *numeris* et *oratione* petitis, ita definit *Hermannus*, nuperrimus Orphicorum editor, ut auctorem *Nonno* antiquiorem et iuniorem *Quinto Smyrnaeo*, *quarto* igitur post Christum saeculo vixisse probet. (Schneideri rationes impugnat, nihil ipse definiens, *Huschkius* in Commentat. de Orphei Argonauticis, Rostockii 1806. 4..— II. *Hymni*, LXXXVIII numero, ad initiationes, incantationes et deorum laudes versibus hexametris compositi, *Tiedemanno* iudice (in *primis Graeciae Philosophis*) Orphei Argonauticis et Lithicis, de quibus mox, antiquiores quidem, Platoni quippe iam laudati (de Legg. VIII. p. 829. d.), sed tamen varii generis illi, neque unius vel aetatis vel eiusdem auctoris omnes. III. *Lithica* (*Λιθικά*, vel *περὶ λίθων*), carmen didacticum, versuum 768, metro heroico conscriptum, et praecepta de *lapidibus gemmis*ve, earumque ad Deos placandos, vel contra serpentum morsus aliaque venena virtutibus magicis, continens, cuius auctorem, contra *Tyrwhittum* in Biblioth. Crit. P. VIII. p. 87., *Domitiani* temporibus assignandum esse docuit *Ruhnkenius*.— IV. *Fragmenta* s. *ἀποσπασμάτια* carminum, quae Orphei nomen aeque mentiuntur, licet vel sic indolis et aetatis admodum diversae, e philosophorum Neoplatonicorum libris, ut *Procli*, eque patribus ecclesiae, qui soli eorum meminerunt, potissimum collecta, et edita, post H. *Stephanum* et *Eschenbachium*, a *Gesnero* et *Hermanno*; quibus annumerari etiam solet breviusculum carmen quoddam integrum, *περὶ σεισμῶν*, sive *prognostica* de significationibus terrae motuum, versibus LXVI., quod primo cum vers. lat. metrica a *Bayfio* editum

Parisiis 1586. 4, *Brunckius* Analectis suis vett. poët. Gr. T. III. sub Orpheï nomine inseruit.

Cudworth in System. intell. c. 4 §. 17.— Bruckeri Hist. crit. philos. T. I. p. 2. l. 1. — *C. Eschenbachii* Epigenes de poësi Orphica. Norimb. 1702. 4.— *Dav. Ruhnkenii* Ep. crit. II. 1782.— J. G. *Schneider* in Anal crit. Fasc. I. Trai. ad Viadr. 1777. 8.— *Tiedemanni* Griechenland's erste Philosophen. Lips. 1780. 8.— *C. Meinersii* Hist. doctr. de vero Deo. Lemgov. 1780. 8 — *F. Huschkii* Comment. v supra.— *G. Hermanni* Diss. de argumentis pro antiquitate Orphei Argonauticor, maxime a Königsmanno allatis, Lipsiae 1811. 4.— *F. Creuzeri* Dionysus, Heidelb. 1808. *Idem* in Symbolik u. Mythologie d. alt. Völker T. III. p 161 sqq —*Bouterweckii* Comm. de primis philosophor. Graecor. decretis physicis in Comm. Soc. Gott. nuperr. cf Ephem. Gotting. a. 1812 nr. XI.— J. C. G. *Gerlachii* de Hymnis Orphicis, Gottingae 1797. 8.— C. G. *Lenzii* de Fragmentis ad astronomiam et agrorum cultum spectantibus, Götting. gae 1789. 8.

Codices Mss. *Orphicorum* haud magno exstant numero, nec qui omnia carmina simul complecteretur, adhuc repertus est. *Editio princeps* Argonauticorum et Hymn. eademque rarissima Florentiae prodiit ap. Phil. Iuntam. 1500. 4. *Lithica* primo accessere in *Aldina*, Venetiis 1517, 8. Potiores vero, post *H. Stephani* illam inter Poëtarum Graecorum principes heroïci carminis 1566. Fol., sunt: *Eschenbachii*, cum notis et emendationibus, Vltrai. ad Rhen. 1689, 8; I. M. *Gesneri*, Lipsiae 1764. 8. cum Fragmm. vers. lat. var. lectt. notisque praeced. editorum et suis curante *Hambergero*; quam nuper typis repetendam curavit *Godofr. Hermannus*, sed emendatiorem et auctiorem tum aliis, tum doctissima dissertatione *de aetate scriptoris Argonauticorum* p. 675-826. Lipsiae, 1805. 8.
Sola *Argonautica* ex libris scriptis et coniecturis VV. DD. suisque aucta et emendata nuper recensuit ediditque doctissimus *Schneider*, Ienae 1803. 8.—Carmen *de Lapidibus*, post Gesnerum, separatim recensuit et cum versione latina et notis egregiis vulgavit *Thom. Tyrwhittus* Londini 1781. 8. cuius praefat. et notas in suam Orphei editionem recepit *Hermannus*.
Orphei *Argonautica*, post C. A. *Küttnerum* (Mitaviae 1773. 8), cum *Hesiodo* germanice reddidit J. H. *Vossius*, Heidelbergae 1806. 8; *Hymnos* XLIX. et

Lithicorum fragmentum G. Ch. *Toblerus* in Museo Helvetico a. 1784 et 1785.

§. 13.

Musaeo, quem, quamquam Eleusinium vel Atheniensem, ex Eumolpidarum tamen Thracia gente ortum, et Selenes sive Lunae filium, Orphei autem discipulum habuere, magno in sacris teletisque nomini, tum plura carmina, passim scriptoribus laudata, (v. Fabric. B. G. T. I. p. 120 sqq. Harl.) tribuuntur, tum *Onomacritus*, Pisistratidis et Xerxi aequalis, *Oracula* (χρησμοὺς) supposuisse dicitur (Herodot. VII. 6. Clemens Alex. Strom. I. p. 332 sq.).— Vnum in *Cererem hymnum* Pausanias, sua aetate superstitem, e ceteris Musaei incertae fidei operibus eximit l. 22. coll. IV. 1.— Eiusdem nomen prae se fert carmen epicum *de Amoribus Herus et Leandri*, in multis codd. adhuc superstes, idemque molle et elegans, sed a poëtarum antiquissimorum simplicitate, priscique sermonis indole tam abhorrens, ut vel hactenus longe serioris aetatis poëtae, circa *Nonni* tempora, saeculo IVto vel Vti initio, illud tribuendum esse, sagaciores viderint Critici. Sunt etiam qui, quum in omnibus codicibus Musaei *Grammatici* nomen carmini praefixum legatur, ex Procopii Gazaei epistola quadam, ad Musaeum scripta, coniecturam facientes, eum, si noster hic sit intelligendus, sexto demum seculo vixisse contendant.

Carminis huius *princeps editio*; quamquam et loci et anni nota destituta, habetur *Aldina* prior, cum Aldi Manutii praef. graeca, quaternis, (verisimiliter a. 1494 l. 1495 typis vulgata). *Stephaniana*, praecedentibus multo correctiore, inter Poëtas Graecos principes Parisiis 1566. forma max., nituntur editiones *Kromayeri*, Math. *Roeveri* et, quae ceteris praestant, Io. *Schraderi*, Leovardiae 1742. octonis, ac *Heinrichii*, Hannover. 1793. 8., qui textum recognovit et eruditis instruxit annotationibus. Novam, nec contemnendam, carminis recognitionem criticam debemus A. *Moebio*, Halae 1814. octonis vel duodenis maior. Reliquarum tum editionum, tum versionum in ple-

rasque Europae linguas, recensum suppeditabunt *Fabricius* Harlesianus in Bibl. Gr. Vol. I. p. 127-133. et Harlesius in Introd. in hist. ling. Graec. T. I. p. 132. Supplem. T. I. p. 72 sqq. Post *Bodmerum* (Turici 1766), Chr. *Stolbergium* (Gedichte aus dem Griechischen Hamburgi 1782. 8.) aliosque, nuper *Fr. Passovius*, vir egregius, de carmine hoc bene meruit, edito libro qui inscribitur: *Musaeos.* Urschrift, Uebersetzung, Einleitung und kritische Anmerkungen von F. P. Lipsiae 1810. 8.

§. 14.

Vatum porro, qui canendi et carmina fingendi facultate ad bona consilia, praecepta et monita de rebus eventisque praesentibus atque futuris aperienda uterentur, quae *Oracula* (θεοπρόπια, χρησμοί, λόγια, μαντεύματα) veteribus dicuntur (§. 10.), eaque vel *solius divinationis* ope impertirent, vel ex *auguriis*, *ostentis*, *sortibus*, *animantium extis*, interpretando elicerent, nomina aliquot celebriora servavit antiquitas. Referendi huc potissimum sunt: *Mopsus*, Argonautarum comes, *Melampus*, Amythaonis filius, *Tiresias* Thebanus, *Bacides* plures, *Calchas* Homericus, multaeque feminae, ut *Phaënno*, *Mantho*, Tiresiae filia, *Phemonoë*, quae Delphis vaticinia *hexametris* prima edidisse fertur, *Dodonaeae prophetissae*, Πελειάδες dictae, (Herodot. II. 55 sq.), *Carmenta* in Italia; denique, quae communi quodam cognomine *Sibyllae* (ab Aeolico putant σιός i. e. θεός, et βύλη vel βύλλα pro vulg. βουλή) appellantur, ab *Heraclito* primum diserte commemoratae *); nisi cum Aristotele **) et Arriano ***), fortasse etiam Platone (in Phaedr. p. 244 B.), unam tantum mulierem fatidicam *Erythraeam*, ab Aeolidis urbe Erythra, et proprio dictam nomine *Sibyllam* fuisse statuere mavis, quae deinceps a variis locis quae obierit nomina varia patronymica, ut *Del-*

*) V. Plut. de Pyth. orac. et Clemens Alex. Strom. I. 15.
**) De Mirabil. Narrat. p. 707 c.
***) Apud Eustathium ad Hom. Iliad. II. p. 266. cf. Fabric. B. Gr. Vol. I. p. 230.

phicae, *Samiae*, *Troianae*, alia, consecuta sit, et a qua posthac aliae quoque vates feminae dictae fuerint *Sibyllae*. Utut est, (nam in tam remotae antiquitatis loco nihil certi aut satis explorati tradere licet) praeter *Erythraeam*, nobilissima etiam fuit Sibylla *Cumana*, a Cumis Italiae dicta, quam *Aeneae* fata aperientem induxit Virgilius. Sibyllarum vero nomine usi sunt veteres, ut oraculis antiquis, quae, incerto auctore, hominum ore circumferebantur, maiorem auctoritatem conciliarent. Qualia multa quum etiam in Italia nota et vulgata celebrarentur, exstitit oraculorum congeries, quam sub *librorum Sibyllinorum* nomine, a regis Tarquinii, Superbi vulgo dicti, inde temporibus, Romani diligentissime asservabant. Qua quidem una cum Capitolio, Sullano tumultu (U. c. 670.) conflagrata, bis vero subinde restituta, secundum ab Augusto, qui commenticiorum, et fraude mala intrusorum oraculorum farraginem cremari iussit, quum et ultima haec collectio Saec. IV^to^ exeunte, Honorio imperante, a Stilicone, una cum Apollinis Palatini templo, igne combusta fuerit: per se iam patet, tum ab antiquis illis, a Graecis passim laudatis, Sibyllarum effatis, tum ab Romanorum oraculis Sibyllinis (quamvis haud dubie graece scriptis *)), longe diversos esse *Sibyllinorum Oraculorum*, hexametris graecis conscriptorum, libros *octo* superstites, a *Xystoque Betuleio* (Basil. 1545. ed. pr.), *Jo Opsopaeo* (Paris. 1589. 8.) et *Servatio Gallaeo* Amstelod. 1689. 4. in vulgus editos, quibus nuper accessit novus liber *quartus decimus* (nam totidem etiam in bibliotheca Vaticana adhuc asservari, iam Fabricius auctor est Bibl. Gr. T. I. p. 278 Harl.), *Angeli Maii*, eruditissimi viri et de litteris nostris optime meriti, studio indefesso e codice msc. erutus, typisque excusus Mediolani 1817. 8. Horum enim maximam partem a *Christianis Sibyllistis* saeculi II^di^ post Chr. decursu profectam esse, et Archaeologiae sacrae, veterisque ecclesiae atque dogmatum theologicorum historiae ac-

*) V. Niebuhrius in Röm. Gesch. T. I p 310—12. cum loco Zonarae VII. 11. in Addendis allato.

curatius cognoscendae haud sine magno emolumento adhiberi posse, post alios, egregie nuper docuit *Birgerus Thorlacius* in disquisitione gravissima, multumque novae lucis toti huic loco affundente, quae inscribitur: *Libri Sibyllistarum veteris ecclesiae*, crisi, quatenus monumenta christiana sunt, subiecti auctore B. Th. Hafniae 1815. 8.

Ant. van Dale de oraculis Amstelod. 1683. 8.— *B. de Fontenelle* Histoire des Oracles, Paris 1698.—*Hardion* in Mem. de l'Acad. des Inscr. T. III. *De Brosses* ibid. T. XXXV.— *Bluhdorn* de oraculor. Graecor. origine et indole— *Creuzeri* Mythologie u. Symbolik T. I. p. 196-203 — *Clavier* de praecipuis Oraculis Veterum v. Intellig. Blatt d. Ienaisch. A. L. Z 1816 Nr. 28 — *Dav Blondel* Des Sibylles celebrées tant par l'antiquité payenne que par les SS. Pères, Charenton 1649. 4 — *Is. Vossius* de Sibylly. Oraculis, Oxoniae 1680.— *Petri Petiti* de Sibylla libri tres, Lips. 1686. 8.— *Serv. Gallaei* Diss. de Sibyllis, Amsterd. 1688. 4.— *Fabricii* Bibl. Gr. T. I. p. 227-290. Harl.

§. 15.

Ab his Graecorum poësis initiis profecta, etsi saeculorum aliquot, litterarum lumine prorsus carentium, intervallo, ex antiqua patria sua, bellorum diuturnitate, civitatum conversionibus, populorum alias sedes quaerentium ingruente vi, miris modis vexata atque attrita, tantum non exulasse videtur; quanta tamen, *ad aliud sensim genus* deflexa, sub Asiae mitissimo coelo ceperit incrementa, Homerica loquuntur carmina nunquam interitura. Vatibus enim antiquissimis, religionum ac mysteriorum, legum atque culturae auctoribus, successere Musarum interpretes, regum et heroum amici familiaresque, et consortii huius amplitudine, et gravissimi muneris summa auctoritate conspicui, qui res maiorum et aequalium suorum terra marique gestas, Deorum maxime credito interventu mirabiles, in regum ac principum epulis ad citharam canerent: novúmque hoc poëseos genus, heroica, ut videtur, aetate natum, cum coloniis Graecorum, post Troiae excidium, in Asiae minoris oram insulasque adjacentes delatum, ibi centum fere annorum spatio, plurium cantorum communia studia tantopere celebrarunt, ut, paratis iam rerum et cultissi-

mi, ad poësin quasi facti, sermonis copiis, *unius* summi ingenii praestantia miraque felicitas ad condendum et sui, et gentis, et sermonis patrii, et epicae Musae pulcherimum monumentum sufficeret. In quo carminis dulcissimi, numerorumque eximia suavitate conditi, genere colendo ac frequentando etsi diu praecipue occupata fuerint Graecorum poëtarum ingenia; priscos tamen Pieridum fontes haud prorsus desertos esse testantur *hymni* ad sacra peragenda etiamnum compositi, quamvis dissimilis argumenti et formae illi, *theogoniae*, *oracula* passim a scriptoribus laudata, et *sententiosa* carmina, vitae morumque innocentiam ac probitatem Musarum lenociniis commendantia.

Hom. Iliad. I. 62. 70. 472 sqq. IX. 186-89. Odyss. I. 152-55. 325-27. 337 sq. III. 267 sq. VIII. 43-45. 73-75. 266-367. XVII 261-63. 270 sq. 385. 518-520. Virgil. Aen. I 740-45. *Heeren* Ideen über die Politik etc. d. vorn. Völker der alten Welt. T. III. p. 155 sqq.

AETAS PRIMA.

AB HOMERO USQUE AD PINDARUM

900 — 490 A. Chr.

Poësis epica, lyrica et didactica.

Artium et litterarum sedes in *Asia minore* Insulisque adiacentibus, tum in *Graecia Magna* et Sicilia.

§. 16.

Homeri nomine intelligi volo *vates aliquot epici carminis primarios*, inde a *decimo* ante aeram vulgarem *saeculo* usque ad *octavi fere dimidium*, florem *Ioniae*, beatisima rerum hominumque copia, ingeniorum et artium cultu iam tum praecellentis, quales nescio an nulli posthac aetati, nulli genti contigerint aut aliquando eventuri sint. *Epica* vero carmina (τὰ ἔπη), quibus illi deorum, heroum regumque vel principum Graeciae virorum res gestas, fama antiqua acceptas, in conventuum publicorum celebritate, ad *citharam cecinissent, solius memoriae* ope, vel post obitum auctorum, diu servata, atque ob summam eorum praestantiam, vimque ad audientium animos tenendos mirificam, a *cantorum ordine quodam*, qui, quod *plura breviora ἔπη*, modo et ordine publicae recitationi apto, *connecterent*, *Rhapsodi* (Ῥαψῳδοί, πα-

ρὰ τὸ ῥάπτειν ᾠδήν) dicti sunt, in simili hominum coetu, vocis, modulationis, actionis *arte* quadam adhibita, iterum iterumque recitata esse, nemo nunc ignorat. Iam carminum horum quae Graecorum *res ante Troiam gestas, et heroum*, urbe excisa, *patriam repetentium* fata celebrarent, quum ob facti, pro illa aetate, magnitudinem et gloriam, rerum narratarum copiam, casuum et eventorum maxime mirabilium varietatem, populo, maiorum suorum laudis avaro, eaque superbienti, prae ceteris grata, auditu iucunda et accepta viderentur; quumque e vatibus, cantuum horum auctoribus, *unius inter ceteros eminentissimi* nomen, quod constans vetustatis fama *Homerum* fuisse voluit, per omnem aetatem, sideris quo astra fugantur instar, fulgeret: factum esse puta, ut tum Rhapsodorum studia in carminum, fabulam Troianam enarrantium, *recitatione* maxime detinerentur, tum pluribus saeculis post, quum cantus *sparsi* hi, neque arte copulati, neque ad ordinem iustum dispositi, *Athenis* a *Solone*, complurium Rhapsodorum ope, primum *collecti*, rerumque et temporum serie distributi, mox a *Pisistratidis* in *certum ordinem redacti* et *litteris demum consignati* fuerint, *uni Homero*, tamquam praestantissimo et celeberrimo vati, cuius nomen reliquorum obscuravisset nomina, et *omnia illa ἔπη*, e quibus *Ilias* cum *Odyssea* compositae sunt, et *utriusque carminis perpetuitas* ac *series*, politioris aevi acumine et sollertia aptissime connexa et colligata, tribueretur.

Fr. Aug. Wolfii Prolegomena ad Homerum, sive de operum Homericorum prisca et genuina forma variisque mutationibus. Halis Saxonum 1795. 8. cf. Disputationis huius praestantissimae argumentum quod dedi in *Diario Vilnensi* T. I. II. 1805. Sententiam hanc de Homericorum carminum prisca forma, *Heynio*, *Schneidero*, *Böttigero*, *Hermanno* aliisque multis probatam, ancipiti Marte praeter alios impugnarunt *Sainte Croix* in libello: *Refutation d'un paradoxe littéraire de Mr. Wolf sur les poésies d'Homère* Parisiis 1798. 8. *Hugius* in *Erfindung der Buchstabenschrift* etc. Ulm 1801. 4. *Melch. Cesarotti* ad finem Iliadis versibus Italicis a se translatae 1802. 8. vol. IX. ed. Pis. *Choiseul-Gouffier* in *Considerations sur Homère, inspirées par l'aspect des lieux, qu'il a rendus si célèbres*, inserta *Millini* Horreo Encyclop. 1816.

T. II. p. 347 61. disputatione seu potius declamatione, a doctrinae copiis et criticae artis subtilitate parum instructa; et *Richard Payne Knight* in *Prolegomenis* ad Carminum Homericorum editionem secundam, posthac in Germania seorsum editis, et gallice versis ab *Oberlinio* in Millini Horreo Encyclop. 1814. T. VI. p. 90 sqq. quae nollem ipso titulo Wolfianorum prolegomenorum memoriam et comparationem excitassent; tam cupide, temere ac perturbate scripta sunt; magis tamen Heynii placita quam Wolfii rationes impugnant.—*G. H. C. Koesii* Commentatio de discrepantiis quibusdam in Odyssea occurrentibus. Hafniae 1806. 8. *Fr. Aug. Wilh. Spohnii* Commentatio de extrema Odysseae parte inde a rhapsodiae ψ versu 297. aevo recentiore orta quam Homerico. Lipsiae 1816. 283 pagg. 8mai. *L. F. Heinrichii* Diatribe de Diasceuastis Homericis, veterumque monumentorum diasceuasi. Kieloniae. 1807. 4. Nec silentio praetereunda est ingeniosa magis quam accurata *Io. Bapt. Viconis*, disputatio *de Homero*, quam ex maiore eius opere, *Principi di scienza nuova d'intorno alla commune natura delle nazioni.* Napoli 1744. 2 voll. 8. excerpsit et germanicam fecit Wolfius doctissimus in libello qui inscribitur: *Museum der Alterthumswissenschaft* T. I. P. 3. p. 555 sqq.

§. 17.

Quae quum ita sint, vix quisquam mirabitur, si de *Homeri* natalibus, patria, vitae genere, obitu, paucissima, et ne haec quidem satis certa aut explorata rerum fide tradi posse censemus: contra, quae multo seriorum scriptorum auctoritate, in his *Pseudo-Herodoti*, *Plutarchi*, *Procli*, aliorum, de Homeri stirpe, parentibus, caecitate, paupertate, vita erratica, de ludo litterario ab eo aperto, deque longis ad exteras gentes vatis, itineribus, et similibus, centies recocta, ab optimis quidem viris, sed iudicii parum subacti, nec nisi mediocriter a doctrina instructis, tralaticia fide vulgo narrantur, pleraque omnia in fabularum anilium nec valde ingeniosarum numero, quales maximi et praestantissimi cuiusque, multo vero magis tam remotae antiquitatis viri historiae affingi solent, ponenda esse contendimus. *Graeciam Asiaticam* quidem, imprimis *Ioniam*, Homeri patriam fuisse, ipsa carmina quae reliquit clamant, et constanti antiquitatis fama firmatur: at si de *loco* vatis omnium celeberrimi *natali* quaeritur, inter *Chium*

insulam et *Smyrnam* urbem, *Meleti* fluvio vicinam (unde *Μελησιγενής* passim dicitur), testimoniorum auctoritas fluctuat, ut de *septem* urbibus taceam, quas *Gellio* teste (III. 11.) poëtae patriam certatim sibi vindicavisse legimus *). Aetatem vero poëtae, in magna sententiarum diversitate, ad *Marmoris Parii* ductum nos applicantes, complurium virorum doctorum consensu, ita definivimus, ut annis *septem* et *nongentis* circiter ante aerae vulgaris epocham, *ducentis* autem *septuaginta septem post Troiae excidium* eum floruisse constaret, quae ratio omnium facillima minimis premi incommodis visa est.

Heynii Commentatio de antiqua Homeri lectione indaganda, diiudicanda et restituenda, inserta Commentatt. soc. reg. scient. Götting. Vol. XIII. p. 159 sqq. *Eiusd.* Excurs. III. ad libr. XXIV. Iliadis, Vol. VIII. p. 819 sqq.

§. 18.

Iam carminum epicorum, quae Homeri nomen prae se ferunt, summa praestantia non a solis vatum *ingeniis* prope divinis, quibus ea debemus, repetenda videtur; magnam harum laudum partem iure sibi vindicant tum *aetatis* et *gentis*, ad quas referuntur, *vitae*que et *morum*, quorum imaginem exprimunt, indoles, tum vero *sermonis prisci* ad poësin, si quis alius, accommodati natura colorque. Quae causae, casu aut forte fortuna iunctae et copulatae, effecere, ut vel nunc, post plura annorum millia, non obstante populorum, morum, institutorum, religionum, culturae, linguarum et orationis nostrae summa discrepantia, divinos cantus *legentis* animum mirifice alliciant, detineant, admirationis et voluptatis sensu inexplebilis afficiant rerum narratarum infinita copia ac varietas, descriptionum veritas et summa *ἐνάργεια*; personarum sive characterum forma multiplex iuxta ac gravitas, perpetuus tenor, et ad naturae veritatem proxime accedens similitudo; eventus mirabiles, et

---

*) *Ἑπτὰ πόλεις διερίζουσι περὶ ῥίζαν Ὁμήρου*
Σμύρνα, Ῥόδος, Κολοφών, Σαλαμίν, Ἴος, Ἄργος, Ἀθῆναι.

mythicae de diis ac heroibus narrationes, ipsa expositionis probabilitate suavissimae; vitae priscae, naturae multo propioris, morumque vetustorum simplicitatis fidelissima imago; sermonis antiqui robigo, proprietas et nativa elegantia; numerorum denique eximia suavitas ac dulcedo. Quodsi tot et tantae virtutes carminum horum *maiorem partem* nobis commendant, quanti ea *Graecis* aestimanda fuisse putabimus, qui iis insuper, tamquam annalium suorum antiquissimorum venerandis monumentis, mythorumque, religionum, institutorum, artium, patrii sermonis, culturae genti suae propriae, plenissimis fontibus uterentur? — Ceterum ingenii et poëseos antiquae reliquias has omni pretio cariores ex prisci aevi sensu, moribus et opinionibus iudicandas et interpretandas esse, etsi saepe dictum est, dicendum tamen est saepius.

Blackwell Enquiry into the life and writings of Homer, London. 1735. tertium ed. 1757. 8 — *Robert Wood* Essay on the original Genius of Homer, London 1775. 4. — *Köppen* Ueber Homer's Leben u. Gesänge, Hannover 1788. 8.— *Herder*: Homer ein Günstling der Zeit—in Fr. Schilleri Horis a. 1795.— *Everh. Feithii* Antiquitatum Homericarum l. IV. Argentorari 1743. 8.— *Riccii* Dissertationes Homericae, Florentiae 1740; recusae cura *Bornii* Lipsiae 1784. 8.-cf. *Sulzer* Theorie der schönen Künste, cum auctariis *Blankenburgii*, voce *Homer*.

§. 19.

Cuius praecepti, dici vix potest, quam parum memores fuerint non solum multi inter recentiores Homericorum interpretes, sed etiam veterum maxima pars, qui, postquam litteris tandem consignatae erant Ilias et Odyssea, modo *res mythosque* carminibus his comprehensos, modo *orationem* et singula verba pro consiliis suis, opinionibus, sensis, perperam intelligerent, saepius inepte explicarent, reprehenderent, quid? corrigere etiam et mutare aggrederentur. Quae prava sedulitas, ut alias multas causas silentio praeteream, effecit, ut usque ad aetatem Ptolemaeorum Graeci constanti quadam *textus Homerici* constitutione carerent. *Octo* quidem hoc temporis intervallo

diversae scripturae exempla innotuere (Graeci *διορθώσεις* vocant), quarum *διορθώσεων sex*, auctoribus ignotis, ab *urbibus* denominantur (*αἱ πολιτικαί*, s. *αἱ κατὰ πόλεις, αἱ ἐκ πόλεων*) *Massiliotica*, *Sinopica*, *Chia*, *Argiva*, *Cypria*, *Cretica*; *duae* clarissimorum virorum, *Antimachi Colophonii*, epici poëtae, et *Aristotelis* (*ἡ ἐκ τοῦ νάρθηκος*) nomina gerunt. Nam de editione Homeri, quae Euripidi minori, tragici ex fratre filio, a solo Suida tribuitur auctori, fides parum explorata est. v. Wolfii Prolegg. p. 185. Boeckhius de Gr. Trag. Princip. p. 236 sqq. At Ptolemaeorum demum temporibus plures a criticis Alexandrinis, *Zenodoto Ephesio*, *Aristophane Byzantio*, *Aristarcho*, *Cratete*, aliis, factae sunt Homerici contextus recensiones, inter quas *Aristarchi* illa adeo se probavit viris doctis, ut ex ea saeculo III. aut IV. aerae vulgaris, denuo instituta recognitione, carminum *contextus vulgatus*, qui nunc exstat, prodiret. Eidem *Aristarcho* duorum operum in *viginti quatuor*, qui nunc numerantur, *libros* seu *rhapsodias* divisionem nos debere, iam veteres non sine probabilitatis specie testantur.

Lud. Küsteri Historia critica Homeri, Francof. 1696. 8.— *Wolfii* Prolegomena ad Homerum supra laudd.

§ 20.

Ex quo lectio Homeri in scholis Grammaticorum frequentari coepit, codicibus passim adscripta fuit *annotatio*, partim *critica*, contextus corrigendi et refingendi causas et rationes exponens, partim quae *sententias* et *verba* poëtae explicaret, partim *grammatica*. Accessere Grammaticorum Alexandrinorum, quibus *Periclis* iam aetate *Sophistae* praeluserant, tum de singulorum locorum sententiis, virtutibus et vitiis, singula scripta, philosophici et rhetorici generis illa, dubitationes, quaestiones et responsa, *ἀπορήματα, προβλήματα, ζητήσεις* earumque *λύσεις*; tum commentarii magis ad grammaticam spectantes, de lectione et acceptione, de formis et etymis singularum vocum (*σημειώσεις, σχόλια, ὑπομνήματα*), etiam

ἀθετήσεις sive improbationes versuum aut vocabulorum. Quo annotationum numero in dies magis crescente, auctorum vero plerumque, ut fit, memoria et nomine oblitteratis, serius exstiterunt, qui commentariorum horum notarumque *excerpta*, sed consilio diverso, delectu autem ac iudicio parum subtili, cum recentiorum grammaticorum nugis tricisque antiquiora et proba putide miscentes, consarcinarent. Cuius generis commentarii miscelli, sub nomine *Scholiorum* in Homerum, aetatem nostram tulerunt, quorum certae nunc classes constitui possunt. Ex *antiquioribus* scholae Alexandrinae commentariis plurima, maxime critici argumenti, quaeque doctrinam et litteraturam Homericam spectant, servata sunt in codice *Veneto principe* et praestantissimo, quem *Villoisonius* cum Homeri Iliade, ex eodem cod. descripta, vulgavit Venetiis 1788. forma maxima. Altera classis Scholiorum, antiquorum quidem, sed eius generis, quod in quaestionibus et disputationibus ethicis praecipue et rhetoricis versatur, priore, quod nolles, locupletior, in pluribus exstat codicibus, ut in *Veneto altero*, *Townleiano* et *Victoriano*, *Lipsiensi*, *Leidensi*, *Mosquensi*, aliis. Tertiae classis, et ex fonte diverso ducta, sunt *Scholia brevia*, quae *Didymi*, Grammatici Aristarchei doctissimi et laboriosissimi, Augusti temporibus florentis, nomen mentiuntur, et partim verborum, partim rerum atque mythorum breves expositiones, pleraque etiam ex *glossis interlinearibus*, continent, vulgata primum, ad Iliadem illa, Homeri contextu non addito, ab *Io. Lascari*, Romae, 1517. forma max., hinc, una cum Scholiis ad Odysseam, ab *Aldo Manutio* inde (1521 et 1528. II Voll. octonis) in plures contextus Hom. editiones propagata. Tandem Scholiorum congeriem, e pluribus codicibus operose collectam, exhibuit *Eustathius*, Archiepiscopus Thessalonicensis, circa a. 1160. clarus, sed quorum maxima pars e fontibus parum antiquis ducta, observationibus grammaticis et rhetoricis fere absolvitur, adscriptis plurimis, tum antiquiorum poëtarum, in quorum lectione multum versatus erat, tum imprimis Athenaei et Strabonis locis. Praeterea e Scholiis antiquioribus, vocum singularum et dictionum,

primo rariorum et obsoletarum, deinde notiorum etiam et vulgarium, explicationes, λέξεις et γλῶσσαι quae dicuntur, collectae, inque ordinem alphabeticum redactae sunt; unde *Lexica graeca* in Homerum orta, e quibus *Etymologicum Magnum*, et *Apollonii Sophistae* Lexicon Homericum, primo a *Villoisonio* Parisiis 1773. II. Voll. 4. deinde ab *Hermanno Tollio* Lugd. Bat. 1788. octonis editum, inter primaria subsidia Homericae lectionis et verborum interpretationis merito habentur.

Heyne De Scholiis in Hom. carmina, Lexicis et Glossariis in editionis Iliadis T. III. p. LIII sqq.

§. 21.

Codices Mss. Homericorum carminum, quorum paucissimi saeculum XII. et XI. excedunt, aliquot praestantiores modo enumeravi. Addantur his unus *H. Stephani* perantiquus, cuius lectiones notabiles in Thes. L. Gr. dispersit; *Vratislavienses* sex, *Oxoniensis* Iliadis, *Harleianus* Odysseae a Rich. Porsono collatus, et duo *Vindobonenses*, quorum, ut plurium aliorum, recensum dedit *Heynius* loco cit. p. XXXVI et p. LXXXVII sqq. Idem, eodem loco, T. III. p. IV—XXXV, *editiones* (quarum index copiosissimus cognosci potest ex Bibl. Gr. *Fabricio-Harlesiana* Vol. I. p. 414 sqq., collata *Harlesii* Instrod. in hist. ling. Gr. T. I. p. 145. T. II. parte II. pag. 325. et Supplem. T. I. p. 79 sqq.) praecipuas poëtae, quae usum criticum habere possunt, addito de iis iudicio, enumerat, e quibus notemus *principem* quidem *Florentinam*, cura *Demetriorum*, *Cretensis* et *Chalcondylae*, 1488. fol. *Aldinas* quatuor, Venetiis 1504-1528. octonis; *Iuntinas*, quarum prima Florentiae 1519. 8. prodiit; *Romanam* cum *Eustathio* 1542-1550. 3. Voll. forma maxima; *Turnebi*, Parisiis 1554. 8.; *Henrici Stephani*, inter Poëtas Gr. principes heroici carminis, 1566 fol.; *Barnesianam* a *Iosua Barnesio* Cantabrigiae 1711. II. Voll. quaternis vulgatam; *Clarkianam*, Londini 1729-1740. IV. Voll. et pluries repetitam, primo 1754. totidem Voll. quaternis; *Glasguen-*

sem splendidissimam, ex Clark. diligentissime expressam, 1756-1758. 4 Voll. fol. *Ernestianam* Lipsiae 1759-1764. 5 Voll. 8., repetitam cum Prolegg. Wolfii, Glasguae 1814. 5 Voll. 8. *Vindobonensem* Fr. K. *Alteri*, Iliadis 1789.90. 2 Voll. 8. et Odysseae 1794. 8. *Villoisonii* editionem Iliadis supra commemoratam, quam insecuta est, quoad contextus Homerici crisin, accuratissima *Fr. Aug. Wolfii*, Iliadis et Odysseae Lipsiae 1804-1807. 4 Voll. 8. et *Heynianae*, Iliadis, maior cum doctissimis commentariis, Lipsiae 1802. VIII Voll. 8., et minor cum brevi annotatione, ibidem 1804, 2 Voll. 8. His nunc addantur praeter *I. B. Gailii* edit. c. vers. lat. et gallica et notis, Parisiis 1801. 7 Voll. 8. et 12. *Oxoniensis* editio Iliadis et Odysseae cura *Rich. Porsoni* 1800 sqq 4 Voll. 4min. ad cuius fidem nuper Homerica Carmina nitida editione vulgavit vir graece doctissimus *G. H. Schaeferus* Lipsiae typis Tauchnitii 1810. 5 Voll. duodenis. — Homeri Ilias cum Excerptis ex Eustathii Commentariis et Scholiis minoribus, editore *J. A. Müllero*, Misenae 1814. 3 Voll. 8. — Ilias Homeri cum *veteri graeca paraphrasi* e codice bibliothecae Mediceae *Theodori Gazae* manu scripto, editore *Nicol. Theseo* Cyprio, Florentiae 1810-12. 4 Voll. 8. — Homeri *Odyssea* gr. et lat. cura *I. G. Hageri*. Editio nova recensioni Wolfianae accommodata, Chemnitii 1814. 2 Voll. 8. — Carmina Homerica, Ilias et Odyssea, a Rhapsodorum interpolationibus repurgata, et in pristinam formam, quatenus recuperanda esset, tam e vett. monumentor. fide et auctoritate, quam ex antiqui sermonis indole ac ratione redacta, cum notis et *Prolegomenis*, in quibus de eorum origine, auctore et aetate, itemque de priscae linguae progressu et praecoci maturitate diligenter inquiritur (v. supra p. 19.), opera et studio *Rich. Payne Knight*, Editio secunda. cf. The Classical Journal for 1814. Londini, Fasc. 15. 16. 19. — Prospectus d'une edition de Fragmens très anciens de l'Iliade d'Homère accompagnés de peintures par *Angelo Majo*. cf. Millini Mag. Encyclop. 1814. T. IV. p. 444 sqq. — E *versionibus* Homericorum carminum paene innumeris sufficit memorare *metricas latinas* Iliadis, *Cunichii* Romae 1776 fol. et

Allegrii, Pisauri 1770. 2 Voll. 8. tum Odysseae a *Zamagna*, Senis 1777 fol. Anglicam *Popii*, Italicas *Cesarotti*, *Monti*, (Car. Vinc.) Bresciae 1810 et Milani 1812. *Pindemontii*; Gallicas *Bitaubii*, *Ginii*, *Rochefortii*; Germanicas *Fr. Leop. Com. Stolbergii*, *Bürgeri* et *Vossii* merito laudatissimam, denique *Dmochowskii* Iliadis polonicam.

§. 22.

Praeter cantus eximios, fabulam seu res Troianas celebrantes, quos duorum carminum maiorum, Iliadis et Odysseae, perpetuitate callide copulatos, Ioniorum vatum celeberrimo cunctis fere suffragiis tribuit antiquitas (§. 16), plura supparis aetatis, aut paulo inferioris, ἔπη ἀδέσποτα i. e. quae *incerto* quidem *auctore* circumlata, prisci tamen sermonis poëtici forma, cultu ac numeris, Homericis aliquatenus similia, et ad illorum quasi exemplar composita viderentur, ipsi vatum principi, etsi non omnium consensu, passim adscripta esse legimus. In his, maximam partem nunc deperditis, (Catalogum vide apud Fabricium Bibl. Gr. Vol. I. p. 374-385) eminet *Margites*, sive carmen satyricum in stultum et temerarium quemdam huius nominis, multis antiquis scriptoribus, ut *Platoni*, *Aristoteli*, *Demostheni*, sub Homeri nomine laudatum, a *Callimacho* autem, poëta et grammatico Alexandrino, in deliciis habitum. Vid. *G. S. Falbe* de Margite Homerico, Stettin. 1798. 8. Supersunt:

I. *Hymni epici* quatuor in Apollinem, Mercurium, Venerem, Cererem integriores, subiunctis brevioribus *triginta* fere numero, carminum et fragmentorum varii generis ac diversorum auctorum congeries, sed quorum magna pars e *Homeridarum* i. e. eius generis Rhapsodorum, qui in Homericis potissimum ἔπεσι decantandis studia ponerent, *) *prooemiis*, qua-

*) Excellentem in hac arte novimus *Cinaethum Chium*. Scholiasta Pindari ad Nem. II. pr. teste, circa Olymp. 69. florentem, cui, eodem auctore, veteres Hymnum Homericum in Apollinem passim tribuerunt, nostra autem aetate Hymnus in Mercurium tribuitur a *Vossio* in Epp. Mythol. T. I. p. 111.

lia, a semet ipsis composita, Homericor. carminum recitationi praemittere solebant, (v. Pindar. Nem. II. pr. ibique Schol. Plutarch. de Musica p. 1133 c.) orta esse videtur; de quibus, post *Martinum* et *Ruhnkenium*, egi in Commentat. de Hymnor. Hom. Reliquiis, Gottingae 1786. 8. quosque deinceps viri aliquot doctissimi, *Mitcherlichius*, *Ilgenius*, *Aug. Matthiae* et nuperrime *Hermannus* doctis, tum criticis tum exegeticis, observationibus et commentariis instructos seorsum vulgarunt.

Homeri Hymnus in Cererem (e cod. Mosquensi) nunc primum editus a *Dav Ruhnkenio*. Acc. Duae Epistolae criticae (altera in Homeridarnm Hymnos et Hesiodum), Lugd. Bat. 1782. 8. (ed. noviss. 1808. 8) — Homeri Hymnus in Cererem, ad cod. Mosqu. denuo coll. recensuit et animadvers. illustravit *Chr. G. Mitscherlich* Lipsiae 1787. 8. — Hymni Homerici cum reliquis carminibus minor. Homero tribui solitis et Batrachomyomachia ed. *Car. Dav. Ilgenio* Halae 1796. 8. — *Aug. Matthiae* Animadverss. in Hymnos Homericos cum prolegomenis de cuiusque consilio, partibus, actate, Lipsiae 1800. 8. — Homeri Hymni et Batrachom. ed. *Aug. Matthiae* ibid. 1805. 8. — Homeri Hymni et Epigrammata ed. *G. Hermannus* Lips. 1806. 8. — *Henr. Wardenburgii* Obss. criticae in Homeri Hymnos, insertae eiusdem Opusculis oratoriis, poëticis, criticis. Harlemi 1812. 8. — Hymnos Hom. *germanice* verterunt *Chr. Com.* a *Stolberg*, *Seckendorfius*, *Göthe* (H. auf Apollon in Schilleri Horis 1795. IX.) et nuper, una cum Batrach. et Epigr. *F. Kämmerer* 1816. 8. additis notis; ante quem verterant duumviri, *Follenius* et *Schwenk*, Giessen. 1813. 4.

II. *Batrachomyomachia*, sive *Myobatrachomachia*, quemadmodum a Suida aliisque, in nonnullis etiam codd. mss. appellatur, carmen ludicri argumenti, versuum 294, in quo ranarum adversus mures pugna ad Homericae dictionis similitudinem narratur, fortasse, quae *Hardtii* sententia est, ad traducendum bellum quoddam inter duas perparvas ac tenues Graeciae civitates exortum; primum *parodiae* exemplum, quod tamen multis de causis Xerxis aetate haud antiquius, Plutarcho (de Herodoti malign. in fine) et Suida, voce *Πίγρης*, testibus, a *Pigrete* quodam Halicarnasseo poëta conditum esse perhibetur. cf. *Goesii* Dissert. de Batrachom. Homero vulgo adscripta, Er-

langae 1789. 8. — Carmen hoc saepe aut separatim, aut cum aliis, imprimis cum Homericis editum fuit, recentius a *Schierio* Lipsiae 1765. 8. ab *Ilgenio*, cum notis, ad calcem Hymnor. Homericorum; seorsum vero e codice bibl. Mediceae, *Theodori Gazae* manu scripto, eodem cuius supra p. 25. meminimus, cum *paraphrasi graeca*, a *Franc. Fontanio* et *Theseo* Cyprio, Florentiae et Lipsiae 1804. 4mai. — Versiones carminis *germanicae* exstant *Willamovii*, *Chr. Com. Stolbergii*, *Seckendorfii*, al. et nuper edita (1815) *polonica Brunonis Kicinskii*.

I. H. *Seidenstücker* über die Batrachomyom. des Homer in Aufsätze pädagog. u. philolog. Inhalts, Helmstadii 1795. 8.— *Adolph de Schlieben* Diatribe critica de Batrach. Homero abiudicanda. Lipsiae 1816. 4.

III. Denique *Epigrammata* et *poëmatia varia*, XVI numero, servata ab auctore vitae Homeri quae *Herodoti* nomen mentitur, plerisque carminum Homericor. edd. vulgo subiuncta.

Εἰρεσιώνη Homeri et alia poëseos Graecorum mendicae specimina etc Ed. *C. D. Ilgen*, Naumb. et Lips. 1792. 4. tum in Eiusd. Opusc. var. philol. T. I. Erfurdtii 1797 —Reservavimus huic loco aliquot libellorum, quibus Homerica carmina maiora quocumque modo illustrantur, maxime recentissimorum, recensum. Quo in numero habendi sunt: *Köppenii* Erklärende Anmerkungen zu Homers Ilias, editionis secundae ab *Heinrichio* emendatae. contin. a *Krausio*, Hannoveri 1794—1810. 6 voll. 8. — *C G. Lenzii* Geschichte der Weiber im heroischen Zeitalter, ibidem 1790. 8.— *W. Seberi* Argus Homericus sive Index vocabb in Hom poëmata, Amst. 1649. 4 — *Ch. T. Dammii* novum Lexicon Graecum — Homericum et Pindaricum. Berolini 1765 4 — *Ph Buttmanni* Lexilogus T I. Berolini 1818. 8.— Minéralogie Homérique par *A. L Millin*, Edit. sec. Parisiis 1816. 8 — *Fr. Aug Spohnii* de agro Troiano in carm. Hom. descripto commentatio geographico - critica. — *Rennel* Observations on the Topography of the Plain of Troy. — *Fr. Aug Ukert* Bemerkungen über Homers Geographie, Vimariae 1814. 8. — *G Backmanni* Homerus comparans s. similitudines ex Iliade et Odyssea 1806. 4 — *Fr. Güntheri* über die Homerische Gleichnisse in *Athenaeo* T. II. P. I. Halae 1817. — *Koesii* (G H. C) Probe eines griech. deutschen Wörterbuchs über den Homer und die Homeriden, Hafniae 1806. 8. — *L Lamberti* Osservazioni sopra alcune Lezioni della Iliade di Omero, Milano 1813. 8 — *Car Besseldtii* erklärende Einleitung zu Homer's Odyssee für die ersten Anfänger, Königsb. 1816. 8. —

Dissenii kurze Anleitung für Erzieher, die Odyssee mit Knaben zu lesen Gotting. 1809. 8. — *G. Hermanni* de legibus quibusdam subtilioribus sermonis Homerici. Lipsiae 1813 4. — *Guntheri* de usu praepositionum ap. Homerum epistola. Halae 1814 4 — *Fr Spitzneri* de versu Graecorum heroico Lips. 1816. 8 — *Voigtländer* de Digammate Aeolico ibid. eod a. 8. —(Anonymi) An Inquiry into the Versification of Homer and the use of the Digamma in his Poems— in *Classical Journal* for 1814, Londini. Fasc. 18. p. 361 sqq.— Adde ad pag. 18. Essai sur Homère par *C. F. Franceson*, *Berol.* 1818. 8.

§. 23.

Ut in *Ionia* aoedorum ordinis (quod antiquius nomen virorum qui posthac *poëtae* appellantur, fuisse vidimus; facile princeps habitus est Homerus, ita in *Graecia Hesiodus*; quamquam praecipuum eius carmen adhuc superstes, quodque communi antiquitatis fide nititur unicum, non tam *epici* argumenti illis annumerandum sit, quam *didactici* sive *ethici* generis *primum*, quod nobis quidem innotuit, exemplum habendum, quo praecepta ad vitam, tam publicam quam privatam, regendam utilia continentur: ut vel hinc antiquissimae Graecorum poësis dignitatem, vatumque priscorum sapientiam etiam huius aetatis aoedos egregie tuitos esse appareat. De *Hesiodi* autem aetate ac vita multa quidem, varia et incerta fama, sed fide et auctoritate aeque parum tuta, ac de Homero, a veteribus atque recentioribus passim traduntur scriptoribus. Quodsi, Herodotum (II. 53.) et marmor Parium sequentes, ab Homeri temporibus parum abfuisse *Hesiodum* statuimus, non tamen, quaecumque sub Hesiodi nomine leguntur narranturve, aut *eidem* auctori, aut *tam remotae aetatis poëtae* tribuenda esse putamus, et hactenus facile conciliari posse nostram cum aliorum sententia, qui, quum plura in sermone, notionibus, inque populorum, terrarum et regionum pleniore notitia, quam passim exhibent *Hesiodea*, manifeste novata observarint, carminum horum auctorem, cum *Velleio* (I. 7.), ultra centum, quid? ducentis etiam annis Homero iuniorem floruisse contendunt. Tralaticium est, Hesiodum ex urbe patria, *Cuma* Aeolidis in Asia minore, causa diverse narrata, profugum, cum *Dio* parente

ad *Ascram*, Boeotiae sub monte *Helicone* vicum, migrasse, ibique rustico et pastoritio vitae generi deditum, hospitis tandem insidiis interiisse. A nova patria *Ascraei* cognomen ei haesisse videmus. Sepulturae honorem vati venerando Orchomenii Boeotiae reddidisse perhibentur Pausaniae (IX. p. 786.). Artis poëticae certamen quoddam, cum Homero sene ab Hesiodo iuvene Chalcide Euboeae initum, seriores finxere, huiusque eventi famam libello quodam, et epigrammate adhuc superstite, sed spurio utroque, firmare tentarunt.

Robinsonii Dissert. de vita, scriptis et aet. Hesiodi, praemissa carminum Hesiodi editioni — *Eickstaedt* in *Handwörterbuch über d. schönen Künste* 1795. 8. T. I. part. I.— *Manso* in *Nachträgen zu Sulzers Theorie der sch. K.* T. III part. I. p. 49 — *Heinrichii* Specimen antiquarium de certamine Homeri et Hesiodi, ad calcem libelli cui titulus: *Epimenides aus Kreta*. Lipsiae 1801. 8. — *Friedr. Thierschii* Comm. über die Gedichte des Hesiodus, ihren Ursprung u. Zusammenhang mit denen des Homer. 1813. 4. — Briefe über Homer u. Hesiodus, vorzüglich über die Theogonie, von *G. Hermann* und *Fr. Creuzer*. 1817. 8.

§. 24.

Ad Hesiodum auctorem, totius fere antiquitatis consensu, refertur carmen vetustissimum superstes: Ἔργα καὶ Ἡμέραι, i. e. *De operibus* sive *negotiis rusticis* et *diebus*, negotiis his gerendis opportunissimis, inscriptum; *didacticae* poëseos, ut modo dixi, primum exemplum, metro heroico, idemque ad *Persen*, vatis fratrem, scriptum, quod mythicis narrationibus et apologis intermixta continet praecepta ethica et oeconomica, ad omnem rem familiarem tuendam spectantia, aevique pariter ac sermonis prisci simplicitatis, *) candoris, morum innocentiae, pretiosissi-

*) Seneca Ep. 95, 13 sq. „Antiqua sapientia nihil aliud quam facienda et vitanda praecepit: et tamen longe meliores erant viri; postquam docti prodierunt, boni desunt. Simplex enim illa et aperta virtus in obscuram et solertem scientiam versa est, docemurque disputare, non vivere.—

mum monumentum iure existimatur: quamquam fatendum est, carminis huius contextum pluribus locis interpolatum nos tenere; cuius rei causa vel eo cognoscitur, quod Hesiodi aeque ac Homerica ἔπη non statim litteris mandata, sed diu Rhapsodorum cantu vel recitatione ab interitu servata fuerint. Hinc, qui nuper de carmine hoc subtilius commentatus est, *Augustus Twestenius* (in Disput. critica de Hesiodi carmine quod inscribitur Opera et Dies, Kiliae 1815. 8. cum *Heinrichii* Epimetro), in eo quinque maiora carmina detegisse sibi visus est, in his duo epica, fabulam de certamine Jovis ac Promethei et mythum de hominum aetatibus (cf. Buttmannus V. Cl. Ueber den Mythos von den ältesten Menschengeschlechtern), atque tria didactica, praetereaque multas singulares sententias varii generis et coloris. — Antiquorum autem in carmen hoc commentariorum, imprimis *Aristophanis Byzantii*, iacturam minime compensare queunt *Scholia graeca Procli Lycii*, *Tzetzae* et *Moschopuli*, quibus tempus pepercit.

Eiusdem Hesiodi, sed fama minus constante, nomen prae se fert epicum carmen antiquum, mirisque modis interpolatum, mutilatum atque corruptum, *Theogoniam* dico, cuius generis et argumenti poëmata plura, auctorum memoria ob vetustatem oblitterata, vatum antiquissimorum celeberrimis, Orpheo, Lino, Musaeo, aliis, adscribi et ab Rhapsodis cum ceteris recitari solita, olim exstitisse, in confesso est (§. 10). In eodem argumento *cyclicos* poëtas complures, aliosque post Homerum epicos operam posuisse mox videbimus (§. 28. 29.). Quae omnia, *praeter unum Hesiodeum*, interiere carmina: hoc vero tot alienis fragmentis, Rhapsodorumque prooëmiis (§. 22.) conglutinatum, tot insititiis versibus variandi so-

---

Fuit sine dubio, ut dicitis, vetus illa sapientia quum maxime nascens, rudis; non minus quam ceterae artes, quarum in processu subtilitas crevit. Sed ne opus quidem erat remediis diligentibus. Nondum in tantum nequitia surrexerat, nec tam late se sparserat: poterant vitiis simplicibus obstare remedia simplicia." Ad quem loc. cf. *Ruhkopfii* amicissimi notata.

lum causa assutis, tot corruptelis, librariorum incuriae vel negligentiae debitis, refertum, ut, *Wolfio* iudice, Oedipo opus esset, si quis poëma antiquo suo nitori restitui vellet. Accedit quod, quae ad Homericorum contextum recensendum satis magna copia nunc supersunt subsidia critica, iis in Hesiodeo carmine recognoscendo prorsus destituimur, veterum Grammaticorum, *Zenodoti*, *Aristarchi*, *Cratetis*, aliorum, in Theogoniam commentariis non nisi nomine tenus nobis cognitis. Ceterum vel pauca haec quae de carminis huius natura et indole attuli, abunde docebunt, quantopere fallantur, qui aut *mythologiae* Graecorum *systema* quoddam, aut Annalium veterum *allegoricam* nescio quam adumbrationem eo contineri, aut Deorum genealogias, mythosque quos refert, ab auctore, sive Hesiodus is fuerit, sive alius qualiscumque poëta, primum inventos vel excogitatos esse sibi finxerint.

Bergier l'Origine des Dieux, Paris. 1767. 8. — *Heynii* Comment. de Theogonia ab Hesiodo condita, inserta Commentatt. Soc. R. Gotting. Vol. II. 1780 — *Ruhnkenii* Epist. crit. I. ad Valckenar. — *Wolfius* in edit. sua Theogon. p. 49 sqq. — *Hermanni* et *Creuzeri* Epistolae Hesiodeae ante laudatae.

§. 25.

Quum plura olim eaque diversorum auctorum ἔπη exstiterint, *genealogias resque gestas heroum*, quos e mulierum cum Diis connubiis natos credidit antiquitas, celebrantia: ea serius in unum aliquod corpus vel compagem, pluribus libris divisam, collecta esse videntur, atque hinc sub variis titulis citantur, modo *Mulierum Catalogi* (κατάλογος γυναικῶν), momo *Heroogoniae*, modo *heroicae genealogiae*. Iam insignis huius collectionis pars, et ipsa peculiari nomine crebro laudata, fuerunt *Eoeae*, Ἠοῖαι sive Ἠοῖαι μεγάλαι, ob frequentem vocum ἢ οἵη *aut qualis*, (nempe femina illa fuit) in ipso versuum principio repetitionem a Grammaticis sic vocatae, *Hesiodi*, antiquissimi vatis, creditum opus, famaque magis quam reliqua similis argumenti carmina nobilitatum,

e quo particula quaedam, *Herculis*, Alcmenae ex Iove filii, laudes, imprímis heroïs contra *Cycnum*, Martis filium, prope Trachinias Thessaliae, *pugnam* exponens, servata est: quae quum in *scuti*, caelato opere vario et multiplici insignis, quo ad certamen armatur Alcides, descriptione maxime occupetur (vs. 139-320); accidit, ut fragmento huic antiquae poësis pulcherrimo, et ad *Achillei clypei* descriptionis in Homericis (Iliad. XVIII. 478-607.) praestantiam proxime accedenti, *Scuti Herculis* (*Ἀσπίδος*) nomen et titulus haereret, et pro *Hesiodi* partu passim haberetur: quod tamen iam inter veteres negavit Aristophanes Byzantius, assentiente, praeter alios, *Eichstadio* in *Handwörterb. über die schönen Künste* T. I. voce *Hesiodus*.

Heyne ad Apollod p. 358.— *Groddeck Ueber die Argonautica des Apollon. Rhod.* l. c. T. II. p. 79 sqq.— *Heinrich* de Scuto Herc. in *Neue Bibl. d. schön. Wiss.* T. LVI. part. II. — *Schlichtegroll Ueber den Schild des Hercules nach der Beschreibung des Hesiodus.* Gothae 1788. 8.

§ 26.

Cum mulierum his catalogis alia multa intercciderunt carmina, pro Hesiodeis habita, quorum censum instituit Fabricius Bibl. Gr. Vol. I. p. 589 sqq. E quibus prae ceteris memoratu digniora videntur *Melampodia*, in Melampi auguris (§. 14) nobilissimi honorem condita, quam tamen *τῶν καταλόγων* partem fuisse suspicatur Heynius ad Apollod. p. 64., et *Aegimius*, Doricae stirpis conditoris nomen prae se ferens, cuius liberi cum Heraclidis, octoginta post Troiae excidium annis, nobilissimam in Peloponnesum expeditionem (*κάϑοδον τῶν Ἡρακλειδῶν*) perfecerunt. De cuius carminis argumento vide quae disputavi in Comment. de fontibus Argonauticor. Apollonii Rhod. l. c. p. 84 sqq.— Quorum omnium carminum fragmenta numerosissima, in veterum commentariis adhuc dispersa, utinam aliquis graecae antiquitatis et litterarum peritior studiose investiget, colligat, apto et lucido ordine disponat, et critica annotatione illustret!

§. 27.

Codicum Mss. Hesiodi nullus vetustate eminet, et aliorum poëtarum carminibus fere semper annexa in libris Mss. reperiuntur Hesiodea. *Editionum princeps* est *Mediolanensis* 1493. a Demetrio Chalcondyla, ut videtur, curata, quae non nisi *Hesiodi Opera et Dies*, *Isocratis* orationibus et *Theocriti* Idylliis XVIII subiuncta, exhibet. Cuncta vero quae supersunt Hesiodi carmina demum complectitur ed. *Aldina*, Venetiis 1495., cum Theocrito aliisque Gnomicor. Sententiis. Quae hinc sequuntur, praestantiores sunt: *Trincavelli*, cum Scholiis graecis, Venetiis 1537. quaternis; *H. Stephani*, inter Poëtas principes her. carm.; *Commeliniana*; *Heinsiana*, Lugd. Bat. 1603. 4; *Wintertoniana* cum poëtis graecis minoribus, Cantabrigiae 1635. 8. saepius repetita, nuperrime a *Thoma Gaisfordio*, Oxonii 1814. 2 Voll. 8mai. *Graeviana*, Amstelod. 1667. 8. et 1701. 8., qui fundus est editionum, quas deinceps curarunt *Thom. Robinsonus*, Oxonii 1737. 4., *Krebsius* Lipsiae 1746. 8. et *Loesnerus*, ibidem 1778. 8. — *Singulorum* carminum praecipuae editiones sunt: *Ησιοδου του Ασκραιου Εργα και Ημεραι.* Di Esiodo Ascreo i Lavori e le Giornate Opera con L Codici riscontata, emendata la versione Latina, aggiuntavi l'Italiana in terze Rime con Annotationi, Firenze 1803. 4. editore *Luigi Lanzi*. — Idem carmen in *Poëtis gnomicis graecis Brunckii* Argentorati 1784. 8. — *Theogoniae Fr. Aug. Wolfii*, cum notis criticis et emendatt. Halae Saxonum 1783. 8; *Scuti Herculis* in *Koeppenii Griechischer Blumenlese* P. I., et seorsum cura *C. F. Heinrichii*, Vratislaviae, 1802. 8. — *Latinis* versibus expressa sunt carmina Hesiodea a *Bern. Zamagna*, Parmae 1785.; *italicis* a Com. *Carlio* Venetiis 1744. 8. a *Salvinio*, Paduae 1747. et *L. Lanzio*, quem modo laudavimus. *Gallice* vertit *Gin*, Parisiis 1785. duodenis, et *Coupé*, ibid. 1796. *Anglice Cooke*, Londini 1728. 4. *germanice J. H. Vossius*. Heidelbergae 1806. 8. cum Orphei Argonauticis. *Polonice* Theogoniam *Przybylski*. — *Indicem Hesiodeum* confecit ediditque *Vincentius Ossorius de Figueroa* Neapoli 1791. 8.

§. 28.

Successere inde a primis Olympiadibus (776 a. Chr.) plures poëtae, qui, ad Ioniorum vatum principum exemplar, operumque quae condiderunt quasi complementum, *omnem prope fabularem* Graecorum *historiam*, et priscas gentium Hellenicarum narrationes de stirpium suarum conditoribus, a *primis rerum initiis*, *usque ad mortem Ulyssis* deductam, *epicis* h. e. historicis carminibus celebrarent, poëtae *cyclici* idcirco appellati; quod quidem nomen *quando* inventum, aut *a quonam primum usurpatum*, *quorumve poëtarum* nomina et opera *cyclo* hoc comprehensa fuerint, ad liquidum perduci nequit. Videntur tamen a Grammaticis in *cyclicorum* poëtarum numerum relati esse, qui Homero et Hesiodo aetate proximi, heroico carmine exposuerant *Genealogias deorum et heroum*, vulgo *Cosmogonias* et *Theogonias* dictas, porro *Titanomachias*, *Gigantomachias*, *Argonautica*, *Dionysiaca*, *Thebaidem* et *Epigonos*, *Amazonica*, *Phoronidem*, *Heracleas*, *Theseïdem*, *Aegimium*, *Minyadem*, *Alcmaeonidem*, *Europiam*, *Oedipodeam*; tum rerum *Troianarum* fabulas, quae Iliade et Odyssea nondum essent contentae, quibusque nonnunquam singulare *Cycli Troiani* nomen inditum esse videmus. Carmina haec innumera ad unum fere omnia interierunt. Sed eorum satis frequens memoria, nonnullorum argumenta, et paucissima fragmenta, cum nominibus aliquot poëtarum, e communi hoc naufragio servata sunt. Mitior haec sors imprimis affulsit *cycli Troiani* dicti ἔπεσι et poëtis: e quibus accuratius nunc cognoscimus *Cypria* carmina (τὰ Κύπρια ἔπη) XI libris, a *Naevio* Romano poëta antiquissimo latine versa, et ab aliis *Stasino*, ex Cypro insula oriundo, ab aliis *Hegesiae* cuidam adscripta, inque rerum Troianarum, inde a nuptiis Pelei atque Thetidis usque ad initium Iliadis, narratione versantia; *Aethiopem Arctini Milesii*, circa Olympiadum initia clari; *Iliadem parvam* auctore *Lesche* vel *Lescheo* Mitylenaeo, circa Olymp. XXXIII. florente, Posthomerica enarrantem; *Iliiexcidium* (ἡ Ἰλίου πέρσις) plurium auctorum; carmina de reditu principum Achaeorum, Νόστους dicta, *Eu-*

meli, *Anticlidae*, *Lysimachi* et *Augiae Troezenii*, poëtae comici e media Comoedia; denique *Telegoniam Cinaethonis* Lacedaemonii, Genealogiarum et Heracleae auctoris *) circa Olymp. III. et *Eugammonis* Cyrenaei, circa Olymp. LIII. de fatis Ulyssis, Odyssea posterioribus, eiusque interitu a *Telegoni*, e *Circe* filii, manu temere allato. Carmina haec, e quibus, succedente tempore, tot fabularum suarum argumenta *lyrici* et *tragici* Graecorum *poëtae* hauserunt, *Nonni* et *Procli* temporibus adhuc (Sec. V. post Chr.) lecta et tractata fuisse, eaque non modo Romanos poëtas, *Naevium* puta, *Ennium*, *Pacuvium*, *Ovidium*, *Virgilium* in priore Aeneïdis suae parte, sed recentissimos etiam Graecorum poëtas qui res Troianas attingerent, *Coluthum*, *Tryphiodorum*, maxime vero *Quintum Smyrnaeum*, quem *Calabrum* vulgo dicunt, ante oculos habuisse, probabile fit. Ex iisdem, artis scriptoriae usu in Ionia, ut videtur, maturius invalescente, *Historiam* sive potius *Logographiam* apud *Iones* et originem cepisse, et argumento et forma iis similimam fuisse, luculenter docuit *Creuzerus* in libro qui inscribitur: Die *Historische Kunst der Griechen* in ihrer Entstehung und Fortbildung, Lipsiae 1803. 8.

Procli Lycii Chrestomathia grammatica a *Photio* excerpta in Biblioth. cod. 239., cum auctariis ante ineditis, in Bibliotheca antiquarum litterarum et artium, germanico sermone edita a *Tychsenio* et *Heerenio* T.I. Inedita. cf. Salmas. ad Solin. p. 597. Casaub. ad Athenaeum VII. 4 Doddwell de Cyclis p. 802. *Schwarzius* in Diss. de Poëtis Cyclicis in eius Dissertatt. select. ed. ab Harlesio Erlangae 1778. 4.— *Bouchaud* Antiquités poétiques ou dissertations sur les Poétes Cycliques, Parisiis An. VII. — *Levesque* sur le Cycle épique, in Mémoires de l'Institut, Littérature T. I. p. 338 sqq prae ceteris autem *Heynius* in Excursu I. ad Virgil. Aen. II.; in Comment. de Apollodori Bibl. p. XXX sq. et in Notis ad Procli Lycii fragmenta loco cit. p. 14. sqq. *Wolfius* in Prolegg. ad Hom. p. 126 sq. *Iacobsius* in

*) Pausan. I. p. 119. II. p. 151. Schol. Apollon. Rh. I. 1357. Hieronym. in Chron. Euseb. ad Olymp. III. Eiusdem *Oedipodiam* ex marmore primus notam fecit *Heerenius* in Bibl. d. alt. Lit. u. Kunst. T. IV. p. 67.

Prolegg. ad Tzetzae Iliaca p. 21sq. *Heinrichius* in Prolegg. ad Hesiodi Scutum. — *Fr. Creuzerus* in lib. laud. pag. 25 sqq. et 59—62.

§. 29.

Praeterea sive *epicis*, sensu eminentiore, sive *cyclicis* qui temporis hoc circuitu vixerunt poëtis celebrioribus, nunc deperditis, annumerandi sunt:

Creophylus Samius, Homeri creditus hospes, sed quem multo serius vixisse asserit *Photius* in Lexico, licet antiquus sit poëta. Auctor perhibetur carminis quod inscribitur *Οἰχαλίας ἅλωσις*, *Oechaliae*, Euboeae urbis ab Hercule captae, *excidium*. Cf. Fabric. B. Gr. T. I. p. 17. Harles.

Cinaetho Lacedaemonius, de quo feracissimo poëta, primis Olympiadibus florente, paulo ante nonnulla retuli.

Cercops Milesius, cui, aut Hesiodo, apud Athenaeum XI. p. 503. carmen historicum satis nobile *Aegimii* nomine inscriptum (v. Bibl. d. alt. Lit. u. K. T. II. p. 84 sqq.) tribuitur, quique Hesiodi aequalis et aemulus dicitur Diogeni Laertio II. 46. cf. Heynius in Ind. Scriptt. ab Apollod. laudator. p. 354 nov. ed.

Carcinus quidam, a cuius patria, *Naupacto*, carmen *genealogicum*, quod in *feminarum illustrium* aetatis heroicae laudem condidisse dicitur Pausaniae lib. X extr., *Naupacticorum* nomen accepit, quoad argumentum ac perpetuum tenorem, *magnis* simile *Eoeis*, et *Asii* ac *Cinaethonis* Genealogiis. v. Pausan. IV. 2. pr. In Scholiis ad Apollonii Rhodii Argonautica aliquoties laudatur, semel (IV. 86) vel descriptis quinque versibus qui Homericorum redolent saporem. De carmine hoc eiusque auctore diverse tradito v. *Heynius* in Ind. Scriptt. ab Apollod. laud. p. 359. et Bibl. d. alt. Litt. u. K. T. II. p. 90 sqq.

Asius, e Samo insula, aetatis quidem incertae, sed inter antiquissimos *genealogiarum*, epico carmine conditarum, auctores Apollodoro, Pausaniae et Athenaeo laudatus. cf. *Valckenarius* in Diatribe ad Euripidis Hippolytum p. 58 sq. Not.

Eumelus, Corinthius, circa Olympiadum initium,

cuius plura nunc deperdita *ἔπη*, ut Europia, Titanomachia, Bugonia, Corinthiaca, et Hymnus, seu *προςόδιον*, in Apollinem et Delum, veteribus laudantur. De poëta hoc vetusto egi in dissert. german. *de fontibus Argonauticorum Apollonii Rhodii*, inserta Biblioth. Litterar. et Art. antiqq. T. II. p. 94-99.

Pisander, *Camiro*, Rhodi urbe, oriundus, unde *Camirensis* dictus, circa Olymp. XXXIII., auctor *Heracleae* i. e. carminis epici de *Herculis rebus gestis*, quod quamquam inter nobilissima *ἔπη* a veteribus relatum legimus, tamen totum interiit, neque confundi debet cum *Pisandri*, multo serioris poëtae, imperante *Alexandro Severo*, *Larandensis* dicti, historico carmine, itidem deperdito, cui titulus Ἡρωϊκαὶ θεογαμίαι sive de *nuptiis Heroum cum Deabus*, vel *mortalium feminarum cum Diis*, e quibus prognati sunt heroes. cf. *Heynius* in Excursu I. ad Virg. Aen. II. *Reitemeier* ad Zosimum V. 29.

Epimenides Cretensis, *θεῖος ἀνήρ*, *vatum*, qui *oraculis teletisque* magnam olim nominis celebritatem consecuti erant (§. 10. 14.), in numero habendus, quem centum fere annorum intervallo *bis* Atheuas invisisse, primum a Solone, ut videtur, ad expiandum populum, piaculo Cylonio oppressum, arcessitum; secundum, decimo ante Persica bella anno, statuendum esset, si fides habenda Cliniae Cretensi apud *Platonem* in l. de Legg. p. 642 D. Huic praeter *vaticinia* (*χρησμούς*) et *carmina expiatoria* (*καθαρμοὺς*), *Theogonia*, *Curetum* et *Corybantum generatio*, *Argonautica*, et *de Minoë* atque *Rhadamantho ἔπη* passim adscribuntur, quorum fragmenta satis magno numero adhuc supersunt, digna utique, quae ab antiquitatis perito diligentius investigata colligantur. v. Plutarchus in vita Solonis c. 12. p. 209. Tauchn. Diogenes Laërt. in vita Epimen. I. 110. Plato de Legg. III. p. 677 D.; Meursii Creta, IV. p. 236. Vossius in Hist. Graec. IV. p. 431. Bruckeri Hist. Philos. I. p. 419. Fabric. Harlesian. Vol. I. p. 3.; *Astii* Animadvv. ad Plat. Legg. p. 69. denique *Heinrichii* Epimenides aus Kreta. Lipsiae 1801. 8.

Aristeas Proconnesius, Croesi et Cyri temporibus, circa Olymp. LV., de cuius aetate, vita morteque ab-

surdissimas fabulas admisit veterum credulitas, ortas partim ex *Arimaspeis*, carmine epico, cuius auctor perhibetur Aristeas, quodque veterum de *Hyperboreis*, genteque *Arimasporum* iis vicina, mythos, e geographiae ignorantia natos, continuisse, et plurium deinceps commentorum fons exstitisse dicitur. Carminis huius meminerunt Herodotus (IV, 13. 14. 16.), Strabo, aliique. Duodecim versus servarunt Longinus et Tzetzes (Chil. VII. 688.). Sunt tamen, inter veteres etiam, qui illud Aristeae nomen mentitum esse, spuriumque et supposititium indicent. cf. Vossius de Hist. Gr. lib. IV. c. 2. Harlesius ad Fabric. B. Gr. T. I. p. 10. Baylius Dict. Crit. T. I. p. 316 sq. Schoenemannus de Geograph. Argon. p. 35.

Panyasis, eiusdem cum Herodoto aetatis, patriae, generis, circa Olymp. LXXIX. a. Chr. 464. floruit, haruspex et poëta, tum *Heracleae*, carminis heroici nobilissimi, auctor, tum alius elegiaco metro conscripti, cui titulus erat *τὰ Ἰωνικά*. Prioris plura adhuc supersunt fragmenta; integriora etiam in *Theocriteis* XXIV. XXV. et *Moschi* Idyllio quarto latere, suspicatur *Fr. Schlegel* in Hist. Graecae poës. p. 201.

Herodorus ex Ponto, incertae aetatis, auctor *Argonauticorum* et *Heracleae: Simonides*, Cei Simonidis ex sorore nepos, dictus *Genealogus* a carmine *genealogico* ad Eoearum Hesiodi et Naupacticorum exemplum conscripto, circa Olymp. LXXXII. de quibus vid. Bibl. d. alt. lit. u. K. T. II. p. 73 sq. et p. 100.

Choerilus Samius, a tragico huius nominis poëta, alioque Alexandri Macedonis aequali, quem Horatius perstrinxit, diversus, ac tempore, quod paci Cimonicae et belli Peloponnesiaci initio (Olymp. LXXXII. 4—LXXXVII. 1.) interiectum fuit, clarus poëta *historicus*, cuius carminis *de bello Graecorum Persico contra Darium et Xerxem*, *victoriaque Salaminia* paucas reliquias nuper collegit *Naekius*, vir doctissimus: *Choerili Samii quae supersunt.* Collegit et illustravit, de Choerili Samii aetate, vita et poësi, aliisque Choerilis disseruit Aug. Ferd. Naekius. Inest de Sardanapali epigrammatis disputatio. Lipsiae 1817. 8. cf. Fabric. Harlesian. T. II. p. 293.

Epicorum huius aetatis agmen claudat, etsi paulo

serior, *Antimachus* a Claro vel Colophone urbe cognominatus, sub bellique Peloponnesiaci exitum, circa Ol. XCIV. a. Chr. 404. florens, Suida auctore Panyasis discipulus, et teste Cicerone (Brut. 51.) *Platoni* philosopho probatus, carminum duorum, alterius epici, *Thebaidis*, quo *Statio*, Romano poëtae, praelusit, alterius, sub *Lydae*, puellae a poëta adamatae, nomine *complures elegias* complexi, auctor celebratissimus, cuius utriusque fragmenta primus collegit, disposuit et illustravit *Schellenbergius*, Halae Sax. 1786. octonis. V. Dionys. Halic. de structura verbor. p. 300. ed. Schäf. ibique *Uptonis* nota. Quintil. X. 1. 53. cf. Ruhnkenius in Epist. Crit. II. p. 283 et 292. Schaafii Encycl. d. class. Alterth. T. I. p. 37. et quae dedi in dissert. de fontibus Argonauticorum Apoll. Rh. loco cit. p. 102-104.

§. 30.

Ut reliquorum in quovis genere scriptorum Graecorum, ita *poëtarum epicorum delectum* quemdam sive *canonem* instituerunt Grammatici Alexandrini, *Aristophanes Byzantius* et *Aristarchus*, inque optimorum loco *quinque* habuerunt: *Homerum*, *Hesiodum*, *Pisandrum*, *Panyasin* et *Antimachum*. Quodsi duos, quos extremo loco nominavi, excipias, *epicae poëseos* inter Graecos *flos* intra *duo secula* et *dimidium* substitisse videtur, quo nimirum temporis decursu is ingeniorum cultus et indoles, ea vitae morumque simplicitas, sermonis denique poëtici nativus color et habitus inter Ioniae populos obtinuit, quibus hoc carminis genus laetissima sua incrementa unice et debuisse et debere putandum sit.

§. 31.

Ex epico et didactico carmine, quod uno et perpetuo tenore, *hexametro* usque redeunte, fluebat utrumque, natum est in eadem *Ionia*, incerto auctore, Olympiadum fortasse initio, aliud, et forma et materia diversum, sed peculiari nomine diu carens, antiquo *τῶν ἐπέων*, ut videtur, retento. *Distichi* e-

nim inventi sunt, sive *versus impariter iuncti*, versum hexametrum perpetuo excipiente Pentametro. Quo ipso ut ad reliqua varii generis metra, quae lyricorum et tragicorum ingeniis debentur, excogitanda viam munitam esse verisimile fit; ita prima et communis haec forma *lyricae* poësis apud *Iones* fuit, cui mox *Iambi* perfectio, et *melica* atque *chorica* lyricorum Doricae atque Aeolicae stirpis poëtarum carmina successere. Materia autem sive *argumentum* novi carminis multiplex fuit. Initio tum ad fortitudinem mortisque et doloris in pugna contemtionem civium animis instillandam maxime adhibitum esse, *Callini*, *Archilochi*, *Tyrtaei*, *Solonis* docent reliquiae; tum ad civica iura servanda, ad legum observantiam et disciplinam publicam commendandam inserviisse, ex *Solonis* item, qui supersunt, distichis nonnullis probabiliter colligas: hinc eodem metro, sententiis quippe praeceptisque, exiguo verborum ambitu ircludendis, maxime idoneo, usi deinceps sunt poëtae, *gnomici* dicti, quod *sententiarum*, sive *γνωμῶν*, forma popularibus impertirent quae ad pietatem erga deos colendam, cupiditatum moderationem et reliqua vitae domesticae instituta, cogitatione et experientia ipsis edoctis, monita utilia suppeterent. In quibus eminent idem *Solon*, *Theognis*, *Phocylides*, *Xenophanes* et *Euenus Parius*. Mollioribus animi affectibus ac querimoniis illud praecipue attemperasse videtur *Mimnermus*; in quo genere posthac *Ceus* regnavit *Simonides*: cuius demum aetate *elegiae* et *elegorum* (*ἔλεγος*, *ἐλεγεῖον*, *ἐλεγεία*, *carmen lugubre*, ab *ἒ ἒ heu! heu! λέγειν*) nomen inventum esse videtur: quod, quum primum poëtae huius carminibus argumenti tristioris et queribundi, quorum maxima pars, *epitaphia* videlicet et *epigrammata sepulcralia*, versibus impariter iunctis constaret, tributum sit, sensim, solius formae, nulla argumenti ratione habita, non solum ad alia omnia epigrammata, sed ad totum carminum, *metro hoc* ligatorum, genus traductum esse constat. Denique, *Mimnermo* etiam duce, et quasi auctore, *amoris* primum sollicitudini, desiderio, curis, contentionibus, querelis, mox etiam felicitati et gaudiis declarandis elegiam egregie accommo-

darunt *Antimachus* Colophonius, *Philetas* Cous, *Hermesianax*, *Phanocles*, *Callimachus*, poëta Alexandrinus, ad quorum exemplum, inter Romanos, se totos composuerunt *Tibullus*, *Propertius*, *Ovidius*.— Sed de poëtarum Graecorum, quos diximus, praecipuis, qui hoc maxime, in quo versamur, temporis circuitu floruerunt, iam singillatim dicendum.

Conr. Schneider Ueber das elegische Gedicht der Hellenen, in libro qui inscribitur: *Studien*, herausgegeben von *Carl Daub* und *Fried. Creuzer* 1808. T. IV. p. 1-74.— *Jo. Valent. Franckii* Callinus, sive Quaestiones de origine carminis elegiaci. Acc. Tyrtaei Reliquiae cum prooemio et critica annotatione, Altonae 1816. 8. — *Böttiger* in Attici Musei Vol. I. Fasc. II. — *Fr. Schlegel* in Athenaeo T. I. P. 1. — *C. P. Conz* Ueber die Elegie der Alten, in *Hauffii* Diario: Philologie P. I. Stuttgard. 1803. — *Souchay* sur les poétes élégiaques, in Mem. de l'Acad. des Inscr., T. VII. p. 364. — *Nivernois* Dissert. sur l'élégie, in Mélanges de Litterature, Berolini 1797. T. II.

§. 32.

Callini Ephesii, antiquissimi poëtae, C. Schneidero auctore, circa Olympiadum initium (777 a. Ch.) florentis, unicum tenemus, sed orationis simplicitate et sententiarum robore egregium elegiaci, *ad virtutem bellicam exhortantis*, carminis fragmentum, a Stobaeo servatum (Florileg. 51), et cum Tyrtaei similis argumenti reliquiis, quibus ob solam hanc similitudinem a nonnullis perperam annumeratur, frequenter editum, separatim autem a *G. Suendrupio*: Elegia Callini notis illustrata cet. Hafniae 1795. 8. Germanicas carminis huius versiones, numero plures, laudat doctissimus *Mohnike* (Geschichte der Literatur der Gr. u. R.) p. 205. Nuperrimae sunt *C. Schneideri* l. c. p. 69. et *Passovii* in Pantheonis T. II. Lipsiae 1810. p. 93.

Archilochi Parii, nobilissimi, post Olymp. XX., in alio lyricae poësis genere paulo post commemorandi poëtae, etiam *elegiarum* huius generis pauca fragmenta servarunt potissimum Athenaeus, Plutarchus, Stobaeus. In his tamen, quae obitum mariti sororis, naufragium passi, queruntur, docent, elegos,

Archilochi iam aetate, ipsoque auctore, non ad bellicos tantum usus adhibitos esse, verum Mimnermo et magis etiam Ceo Simonidi argumentum carminis, ab his duumviris maxime celebratum, praeivisse.—V. *Archilochi Iambographorum principis Reliquiae*, quas—seorsum edidit *Ignatius Liebel*, Lipsiae 1812. 8. ibique Frr. XLVIII—LVIII.

Aliquanto integriora servata sunt *Tyrtaei*; *sermonum* reliquiae, elegorum metro et dialecto *Ionica* compositae, (*ὑποθῆκαι δι' ἐλεγείας* Suid.) quibus ille, Spartanis, bello Messenio secundo exorto, oraculi iussu, ab Atheniensibus consiliarius atque administer datus, magistratus aeque ac civium multitudinem ad virtutem bellicam, ad constantiam in rebus adversis, omnium concordiam patriaeque amorem exhortatus esse dicitur v. Aristot. Polit. V. 7. Pausan. IV. c. 15. p. 509. IV. c. 16. p. 512 Fac. Iustinus III. 5.: distinguendae illae ab eiusdem poëtae, qui Pausaniae laudantur, *Doricis anapaestis*, sive *cantibus bellicis*, ad tibiae duplicis sonos decantatis, ut milites *in praelium exeuntes* cupiditate pugnandi inflammarentur, ac simul gressus ad tibiis canentium numeros componerent, unde eosdem *ἐμβατήρια* et *ἐνόπλια* dictos esse colligas v. Athen. XIV. p. 630 F. Dio Chrysost. Orat. II. p. 51. *Hos*, praeter *unum* fragmentum, a Dione, loco modo commemorato (cf. Tzetzae Chil. I. 26), servatum, interiisse constat; *illarum*, elegiarum, inquam, *tres* integriores servarunt Lycurgus orator et Stobaeus, *sex*, breviora tantum fragmenta, Strabo, Pausanias et Plutarchus. Quae quidem an maioris cuiusdam elegiaci carminis, fortasse *Εὐνομίας*, ab Aristotele Polit. V. 7. et Strabone l. VIII. p. 557. Alm. laudatae, partes habendae sint, aeque incertum est, ac dubitari potest de *libris quinque cantuum bellicorum* (*μέλη πολεμιστήρια*, *βίβλια ε'*) quos, praeter elegias, Tyrtaeum reliquisse tradit Suidas sub voce, nisi forte *Anapaestos* illos hoc titulo significari conieceris. Ceterum floruit Tyrtaeus circa Ol. XXIV. a. Ch. 684. quod est tempus belli Messenii II., dissentiente tamen Eusebio et Trogi epitomatore. *Atheniensem*, non Milesium, fuisse, auctor idoneus est Plato Legg. I. 629 A. Alia de eximio hoc poëta *μυθο-*

λογούμενα, a sequioris aetatis scriptoribus, ut Pausania, relata, ludimagistrum Athenis eum fuisse, altero pede claudum, stolidum etiam et insanum, sciens praetermitto. Neque enim tanti sunt, ut iis diutius immoreris. Sed vide Schneiderum l. l. p. 11sq. Elegiarum autem Tyrtaei maiora illa fragmenta cum *gnomicis* poëtis ediderunt multi, nuperrime *Brunckius*, idem in *Analectis*, Vol. I. Separatim cum minoribus frr. *C. A. Klotzius* primum Bremae 1764; mox, et multo auctius, Altenburgi 1767. 8. — *S. Frölichius* Upsaliae 1790, 4. — *Briegerus*, Lipsiae 1790, 8. — novissime *J. V. Franckius* in Callino, Altonae et Lipsiae 1816. 8. v. supra. Nec defuere qui versionibus metricis eadem popularibus suis redderent, vel imitatione felici exprimerent; in quibus satis est memorarè *Pye* Anglum; *Lamberti* Italum; *Weissium*, *Cludium* (in *Köppenii* Anthologiae Graecae Tomo III Brunsvici 1787. 8), *Chr. Stolbergium*, *Seckendorfium*, *Bothium*, *Passovium*, Germanos.

§. 33.

Vltimus, quem novimus, in hoc elegiae genere excelluit *Solon*, Atheniensium legislator Olymp. XLVI, 3. ante Chr. 594, inter septem, qui uno tempore fuisse dicuntur et sapientes habiti sunt atque vocati, relatus, cuius vitam descripserunt *Plutarchus* et *Diogenes Laërtius*. Sapientiae is et politicae scientiae famam, ut illa aetate, cum insigni poësis laude coniunxit, celebratissimus propter *elegiam* quinquaginta distichorum, quae *Salamis* inscribitur, qua cives ad insulam cognominem Megarensium ditioni eripiendam, armisque expugnandam, simulata mentis insania, exhortatus esse dicitur, sed cuius initium tantum et versus nonnullos servarunt scriptores laudati. Alia elegiarum Solonis praeclara fragmenta ad pacatam Atheniensium rempublicam unice spectant, quam, sapienter a se constitutam, ut legum summa reverentia, iustitia, libertatis et concordiae amore, contra potentium avaritiam, vim et superbiam tueantur, neo socordia, temeritate ac dissensionibus pessumdari sinant, paterno quasi commotus animo, cives suos ro-

gat atque hortatur. Sed idem Solon inter *gnomicos* quoque poëtas elegiacos antiquissimus nunc habendus est, e cuius Ὑποθήκαις εἰς ἑαυτόν i. e. *monitis ad se ipsum*, ampliora etiam fragmenta, saluberrimis ad virtutis studium vitaeque ac morum emendationem praeceptis ac descriptionibus referta, supersunt, cum ante commemoratis saepius edita una cum reliquis poëtis gnomicis, bis a *Brunckio*, in Analectis, et in Gnom. poëtis, separatim vero et typis excusa, et illustrata a *F. A. Fortlagio* in libro qui inscribitur *Sententiosa vetustissimorum Gnomicorum quorumdam poëtarum opera. Volumen Secundum*, Lipsiae 1776 octonis. A clarissimis viris, Chr. Stolbergio, Iacobsio, Conzio, A. W. Schlegelio, Conr. Schneidero, Passovio, in germanicum sermonem pulchre translata, quaenam fragmenta, et ubi legantur, discas e doctissimi *Mohnikii* libro laud. T. I. p. 210 sq.

De poëtarum gnomicorum indole et usu, post *Heynium* in praefatione ad *Glandorfii* Sententiosa Carm. vetustiss. poëtar. gnomicor. Vol. I. Lipsiae 1776, 8., disseruerunt *Ulr. Andr. Rhodius* de vett. poëtar. sapientia gnomica, Hauniae 1800. 8. et *I. D. Hartmannus*: Ueber die ältesten Lehrdichter der Griechen, nebst der metrischen Uebersetzung eines Solonischen Fragments, Lemgo 1794. 8.

§. 34.

Quinquaginta circiter annis iunior Solone floruit *Theognis Megarensis* (546 a. Ch. Olymp. LVIII.), *princeps elegiae gnomicae auctor*, Platoni haud semel laudatus (v. c. Legg. I. 630. Men. c. 36.), quem, patria invitus relicta, Thebas se contulisse tradunt. Elegiarum quamdam seriem condidit, ab argumento carminum aut metro variis passim nominibus appellatam: *Παραινέσεις — Ὑποθῆκαι παραινετικαί — Γνῶμαι δι' ἐλεγείας* vel *δι' ἐλεγειῶν*. Singulae *Cyrni* cuiusdam, pueri poëtae dilecti, animum sapientiae ac virtutis praeceptis gravissimis imbuunt atque erudiunt, ad omne officiorum genus instituunt, vitaeque bonis recte fruendi viam et rationem ostendunt. E bis mille octingentis versibus (tot enim Suidae et Eudociae numerantur) supererant mille ducenti octo et triginta

prisci sermonis simplicitate, notitiisque rerum et hominum illa aetate memorabilium, quae passim in iis reperiuntur, suavissimi. Quibus nuper e codice Mutinensi cura ac diligentia clarissimi *Bekkeri* eruti versus centum quinquaginta novem, argumenti maxime erotici, accesserunt. Non omnes tamen, quotquot nunc leguntur, sed maiorem solum elegorum partem Theognidis esse, reliquos aliarum, Theogonideis fortasse antiquiorum et recentiorum elegiarum fragmenta, insertis etiam genuinorum versuum meris repetitionibus variationibusque, habenda videri, optimorum criticorum constans et verisimillima est opinio. *Codicum* Mss., in quibus cum *Phocylidis* Gnomis vulgo leguntur, notitiam adhuc parum exploratam habemus. Praestantiores tamen sunt Bibl. Reg. Parisini, quibus *Brunckius*; Mutinensis et Vaticanus, quibus *Bekkerus* usus est. *Editionum* censum, sed non geneticum, dedit *Kallius* in Specimine novae edit. Sententiar. Theogn. Gottingae, 1766., supplementis auxit *Glandorf.* ad carm. aureum Pythagorae. *Principem* Theognidis edit. *Aldinam* cum Hesiodo Venetiis 1495. forma max. supra (§. 27.) laudavimus. Criticas edd. curarunt *Elias Vinetus*, Parisiis 1543. 8. *Camerarius*, Basileae 1551 et 1555. octonis, tum, trium Mss. Parisinorum ope adiutus, *Brunckius*, in corpore Gnomicorum quod inscribitur: Ἠθικὴ ποίησις s. *Gnomici Poëtae graeci*, Argentorati 1784. 8. sed curis doctissimi *Schaeferi* secundum edito, notisque et indicibus aucto Lipsiae 1817. 8.— nuper denique, quem iam laudavimus, *Immanuel Bekkerus*, cuius opera prodiere *Theognidis Elegi ex fide librorum Mss. recensiti et aucti*, *cum notis Fr. Sylburgii et Brunckii* Lipsiae 1815. 8. Bonae interpretationis vero laude imprimis commendabilis est editio *Michaelis Neandri* in *Opere aureo et scholastico* Basileae 1559. 4. recuso Lipsiae 1577. 4. Memorandae praeterea veniunt editiones *Seberi* Lipsiae 1620. 8. *J. Vorstii* Berol. 1674, tertium repet. cura *J. J. Schröderi* Marb. 1733. 8.; *Anton. Blackwelli*, Londini 1706. 8. et *Wintertonianae* cum Hesiodo, Theocrito aliisque gnomicis poëtis, Cantabrig. 1635. 8. 1652. et saepius deinceps repetitae, nuperrime emendatius a *Thoma*

Gaisfordio Vol. I. Oxonii 1814, octonis maior. — De Sententiarum Theognidis *versionibus* vid. Mohnikius l. l. p, 263 sq. et p. XLIII.

Aequalis Theognidi fertur *Phocylides* Milesius, Graecorum scriptorum praestantissimis, Platoni, Aristoteli, Straboni, Plutarcho, aliis, saepe commemoratus, de quo *Isocrates* in or. ad Nicoclem: *σημεῖον δ' ἄν τις ποιήσαιτο τὴν Ἡσιόδου καὶ Θεόγνιδος καὶ Φωκυλίδου ποίησιν· καὶ γὰρ τούτους φασὶ μὲν ἀρίστους συμβούλους γεγενῆσθαι τῷ βίῳ τῶν ἀνθρώπων.* Carminum eius tanta olim fuit auctoritas, ut non minus quam Homeri, Hesiodi, Archilochi et Mimnermi poëmata a Rhapsodis recitarentur. v. Athen. XIV. p. 620. Nunc paucissima tantum *gnomarum* sive *sententiarum* huius poëtae fragmenta leguntur, quibus confirmatur quod Dio Chrysostomus. (Diss. 36. p. 440) retulit, plerasque omnes Phocylidis sententias paucis versibus inclusas a poëtae nomine fere incepisse, hoc modo: *καὶ τόδε Φωκυλίδεω* cf. Harlesius ad Fabric. B. Gr. T. I. p. 720. Non omnes tamen *elegos* fuisse, sed quosdam *hexametris* constitisse, monuit C. Schneiderus in diss. laud. über das eleg. Gedicht d. Hellenen p. 30. Enimvero quod sub Phocylidis nomine hodieque circumfertur, *ποίημα νουθετικόν* i. e. *carmen admonitorium*, septemdecim et ducentis versibus heroicis, tametsi pulcherrimis sententiis refertissimum, optimorum tamen criticorum consensu, spurium et supposititium opus serioris multo scriptoris, fortasse christiani, saec. II—IV, habendum esse scias, sententiarum compilatarum quemdam quasi centonem, rerum ordine valde turbato, et crebris eiusdem sententiae repetitionibus confectum. cf. Lud. Wachler Disp. de Pseudo-Phocylide, Rinteliae 1788. 4. Primum prodiit cum *Constantini Lascaris Ἐρωτήμασι* s. Grammatica graeca, Venetiis 1494-1495. quaternis, hinc editum est cum Hesiodo, Theognide aliisque apud *Aldum* 1495. Fol. Exstat porro in *Neandri libro aureo*, in Gnomicorum Poëtarum corporibus, et multo correctius et emendatius in *Brunckii Poëtis gnomicis.* Pythagorae ac Phocylidis carmina graeco-latina edidit *Wolfg. Seberus* Lips. 1604. 8. repet. 1622. 8. Separatim vero cum selecta annotatione graece et latine

illud excudendum curavit *Jo. Adam Schier*, Lipsiae 1751. 8.— Genuina fragmenta Phocylidea insunt in Brunckii Analectis T. I. p. 77 sqq. T. II. p. 522. Cf. Réflexions sur ce qu'a pu être le *Phocylide*, dont nous avons les sentences, d'après un manuscr. de l'abbaye de St. Remi de Reims, par Mr. *Vincent*, insert. in *Journal des Savans* a. 1788. p. 1965-74.

Xenophanis Colophonii, philosophi et poëtae circa LXmam Olympiadem florentis, de quo nobilissimo Eleaticae scholae auctore infra dicemus, elegiarum gnomicarum insignia aliquot fragmenta servavit Athenaeus X. 1. p. 413 F. XI. 1. p. 462 C. D. XII, 10. p. 526 A. B. a *Passovio* primum translata, quae sapientiae et virtutis studium ceteris omnibus longe anteferendum, eoque vel voluptatum usum temperandum esse docent; cf. C. Schneiderus in diss. laud. p. 31 sqq. Mohnikius p. 265 sq.

Denique, qui hoc elegiae genus excoluere, hic commemorandi sunt, tametsi, dictis aliquantum seriores, ad secundam aetatem pertinent, praeter *Ionem Chium*, *Euenus Parius* et *Critias* Atheniensis, uterque Socratis temporibus florens Athenis, *ille* ex Platonis Phaedone p. 60. 61. Steph. Phaedro p. 316 Heind. et Apol. Socr. 4. tum ex Plutarcho Qu. Plat. T. II. p. 1010. et de discr. am. et adul. §. 18. notissimus poëta et Sophista; *hic* trigintavirum, Spartanorum iussu et auctoritate victis Athenis dominantium, unus, Theramenis accusator, in proelio contra Thrasybulum, patriae liberatorem, occisus, cuius vitam Philostratus in Vit. Sophist. I. 16. p. 501 sqq. descripsit, elegiae fragmentum protulit Athenaeus X. c. 11. a *F. Passovio* in Pantheonis T. II. p. 104. germanicis versibus redditum.

Iam gnomicorum, quos hactenus enumeravimus, poëtarum elegos, cum aliis multis sententiarum fragmentis e poëtis philosophicis, lyricis, comicis, tragicis, a serioris aetatis scriptoribus, in primis ab Io. *Stobaeo*, Sec. Vti post Chr. epitomatore, excerptis, complures in unum corpus collectos edidere viri docti, primum *Aldus Manutius*, cum Hesiodo et Theocrito, Venetiis 1495 fol.— *Frobenius*, Basileae 1532. 4.— *Mich Neander*, in Gnomologia graecolat. Basil.

1556. 8. in Gnomologico graecolat. ibid. 1564, imprimis in *Opere aureo* et *scholastico* Lipsiae 1577. 4. *Jac. Hertelius*, Basileae 1560 et 1561 8. *Jo. Pauli* in Gnomologia etc. Upsaliae 1656. 8.—denique *Rad. Wintertonus* in Poëtis minoribus graecis, et *Brunckius* in *Gnomicis poëtis Graecis*, uterque saepius a nobis iam laudatus.

§. 35.

Successit aliud quoddam elegiae gnomicae genus, sed a priore longe diversum. Nulla enim vitae sapienter instituendae continet praecepta, sed meras de vitae humanae malis, naturae lege impendentibus, de annorum et iuventutis ac pulchritudinis fuga, de morbis, laboribus et aerumnis mortalium, de senectutis incommodis et molestiis, mortisque necessitate, querelas. Unde, discriminis causa, fortasse tragicam eam appellari posse elegiam censet Schneiderus p. 36. Et huius inventio, certe summa perfectio Ionum animi mollitiae tribuenda, neque aetate sententiosae elegiae inferior videtur. Nam, licet in Archilochi quodam fragmento, ut dixi, eiusmodi querelarum iam vestigia quaedam deprehendantur, verus tamen ac princeps huius elegiae auctor putandus est *Mimnermus* ex Ionia *Colophonius*, Solonis aequalis, circa Olymp. XLVI a. Ch. 596. clarus, cuius suavissimi poëtae pauca quae supersunt fragmenta, inter *gnomicos* plerumque edita, a *Brunckio* etiam in Analectis T. I. p. 60., integrorum operum iacturam multo reddunt graviorem. cf. Horat. Epp. I. 6. extr. II. 2. 101. Idem in maiore carmine, item deperdito, quod a tibicinae, quam, tametsi senex, gravi saucius amore deperiit, nomine *Nanno* inscripsit, *eroticae* sive amatoriae elegiae, ducentis circiter annis post magis frequentari coeptae, fundamenta iecit. In tristioris autem argumenti elegis illis licet plures haud dubie sese exercuerint, nemo tamen, post Mimnermum, magis eminuit quam Ceus *Simonides*, longaevus, nam a secundo anno Olympiadis LVtae usque ad quartum LXXVIImae, 559—469 a. Ch. ante et inter bella Persica vitam produxit, quem in *melicis* etiam carminibus novem principum

lyricorum numero ab Alexandrinis grammaticis adscriptum esse infra videbimus. Summam tamen laudem naeniis et threnodiis suis meruit, (Quintil. Inst. Or. X. 1. 64) quarum egregium superstes fragmentum, *Danaën*, materni affectus, quem prodit, mira dulcedine legentis animum permulcens, Dionysio Halic. (De struct. orat. p. 258 ed. Upt.) debemus. *Elegi* autem eius, quibus pugnam navalem ad Artemisium promontorium et in Marathonia terrestri occisos libertatis propugnatores, Aeschyli tragici victor, posteritatis memoriae commendasse fertur, haud magis celebres sunt, quam *epigrammata epitaphia* elegorum metro composita, quae supersunt, in his laudatissimum illud in trecentos Spartanos qui caede sua Thermopylarum fauces tantopere nobilitarunt. cf. Herodot. VII. 228. Cic. Tusc. Quaest. I. 42. Sed generalioris etiam argumenti elegiis condendis Mimnermi eum vestigiis institisse, testatur fragmentum, a Stobaeo Floril. Tit. 98. p. 407. ed. Grotii servatum. Quae praestantis poëtae reliquiae leguntur nunc in Gnomicorum et Lyricorum corporibus, accuratissime editae in Brunckii Analectis et Iacobsii Anthologia Graeca. Neque tacendae sunt versiones germanicae Iacobsii, Stolbergii, Herderi, Passovii, quas laudat Mohnikius l. l. p. 267 sq.

§. 36.

Amatoriae autem *elegiae*, post *Mimnermum*, qui de vitae universae malis querelas, ad amoris infelicis miserias in *Nannone* sua primus traduxisse videtur, unus auctor *Antimachus Colophonius* hic commemorandus. Nam quatuor reliqui, Philetas Cous, Hermesianax Colophonius, Phanocles et Callimachus, etsi summam in hoc carminis genere laudem meruerint, quum vita eorum in Alexandri demum Macedonis et Ptolemaeorum tempora incidat, ad *tertiae* aetatis poëtarum recensum reservantur. Antimachus autem, quem, propter *Thebaidem*, in epicorum poëtarum quinque principum canonem receperunt Grammatici Alexandrini, (§§. 29. 30.) Mimnermi fortasse exemplum secutus, puellae sibi adamatae, sed morte immatura ereptae, memoriam elegiis con-

secravit, in unum carmen, huiusce *Lydae* nomine inscriptum, et pluribus, certe duobus, libris distributum, collectis, in quibus prisci i. e. mythici temporis similes casus fusius enarrando, sui doloris solatium quaereret. Vid. Hermesianax ap. Athenaeum XIII. p. 597. Schol. Euripid. Phoen. v. 44. Plutarch. Consol. ad Apoll. p. 106 B. cf. Bibl. d. alt. Litt. u. Kunst T. II. p. 102 sqq. C. Schneiderus l. l. p. 52-54. Paucas carminis huius, a Callimacho paulo iniquius, ut Schneidero videtur, notati, reliquias collegit Schellenbergius v. supra §. 29.

§. 37.

Quo plures, praeter dictos, poëtae elegis, Ionum invento, usi sunt: eo pauciores *Iambum*, quo *carmen ad vitiorum et hominum vitiosorum irrisionem versu iambeo compositum* hic intelligimus, celebrarunt. Carminis hoc genus, heroico, ut videtur, nisi par, certe haud multum inferius aetate, primus *Archilochus* Telesiclis filius, adeo perfecit, ut princeps eius auctor dictus sit; nec, *Velleio* teste (I. 5.), quisquam alius, cuius operis primum auctor fuerit, in eo perfectissimus, praeter Homerum et Archilochum, reperiatur. Quid? quod, post Homerum, hunc maxime admirata est antiquitas; hunc summi poëtae, ut Anacreon, Aeschylus, Cratinus, Aristophanes, et inter Latinos Horatius, imitati sunt; huius carmina cum Homeri et Hesiodi illis Rhapsodi cecinerunt (Athenaeus XIV. p. 620); Grammatici nobiles, ut Apollonius Rhodius, Aristophanes Byzantius, Aristarchus, commentariis illustrarunt; et Heraclides Ponticus de Homero et Archilocho libellum reliquit. *Parius* et ipse, summi ingenii laude florens, (ὁ *Πάριος ποιητής*·), et Iambi eius (Hor. Epp. I. 19. 23) dicuntur a *Paro* insula, patria poëtae, qua tamen mature relicta, in *Thasum* Thraciae vicinam, Pariorum colonia Olymp. XV. vel XVIII. eo deducta, migravit. Fuit igitur, ut Cicero refert (Tusc. I. 1.) iam Romulo regnante; sed carminum *Ionica* praecipue dialecto conditorum praestantia maxime inclaruit Olymp. XXIII a Ch. 688. quo tempore Gyges in Lydia regnabat (Herodot. I. 12.), vitamque ad Ol. XXIX. a. Ch. 664 produxisse videtur,

in bello interfectus a Callonda quodam, genere Naxio, qui cognomine Corax vocabatur (Plut. T. VIII. p. 219 sqq.). — *Elegias* Archilochi supra laudavi (§. 32). *Hymni* eius lyrici duo celeberrimi memorantur veteribus, alter in *Cererem*, quo inter Parios, cives suos, apud quos cultus Cereris praecipue viguit, vicisse dicitur Interpreti Graeco Avium Aristophanis v. 1762.; alter in *Herculem*, Olympiae in pompa victoris accini solitus, cuius initium ipse Pindarus carminis Olympici IX. exordio intexuit, ubi vide Schol. et *Liebelii* libellum mox commemorandum p. 178 sqq. *Epodorum* i. e. carminum, in quibus singulis versibus integris et legitimis alter brevior subiicitur, et quasi accinitur, *ἐπάδεται*, vel inventor proditur Plutarcho de Musica, et Victorino Grammatico p. 1251. Qui quales fuerint, ex Horatii Epodis cognosci licet. *Epigrammatum* magnum numerum reliquisse, significat *Meleager*, Anthologiae conditor, in carmine ad Dioclem v. 37 sq. Inter *Scoliorum* etiam auctores refertur. *Fabulas* autem, quarum nonnulla fragmenta adhuc leguntur, et frequens apud veteres mentio infertur, non ut legitimum opus edidisse, sed, Hesiodi exemplo, aliis carminibus, iambis puta et epodis, apte intexuisse videtur. cf. Iulian. Orat. VII. p. 207 B. Liebelii Fragm. Archilochi p. 44 sqq. Denique innumerabiles metrorum rhythmique species et genera, quae invenisse dicitur Grammaticis, quaeque hinc appellantur *Archilochia*, quis ignorat? Vid. Liebelius l. l. p. 23-37. In his tot tamque diversis fecundi pectoris atque ingenii copiis, maxima tamen *Iamborum* Archilochi fama percrebruit; famam dico, nam ipsa carmina dudum interiere, nec, praeter singulas voces et iamborum ceterorumque carminum eius fragmenta satis quidem numerosa, sed maximam tamen partem brevissima, in veterum scriptorum operibus servata, nobis supersunt, nisi magni tantum laudes poëtae apud Platonem, Ciceronem, Velleium Paterculum, Quintilianum, Longinum, alios; et vestigia quaedam apud vatem Romanum, qui *Parios primus Iambos ostendisse* se *Latio* gloriatur. „Summam in eo vim elocutionis, quum validas tum breves vibrantesque sententias, plurimum sanguinis at-

que nervorum" praedicat Quintilianus (X. 1. 59.). Dicacitatem vere Archilochi, satyricam irrisionem, qua excelluit, et iamborum, quos fudit, maledicentiam virulentam testatur narratio vulgatissima de suspendio *Lycambes* eiusque filiae *Neobules*, quam, poëtae ante desponsatam, pater perfidus alteri, genere fortasse et opibus praestantiori, in matrimonium collocaverat v. Horat. Epod. VI. 13. Epp. I. 19. 30. ad Pison. 79. Unde *Archilochia* illa Bibuli in Iulium Caesarem *edicta* apud Ciceronem Epp. ad Attic. II. 21. qua ratione dicantur, facile intelligas. Iam carminum eius quas dixi reliquias, quasi laceras e magno naufragio tabulas, collegerunt, post H. Stephanum, et illustrarunt Brunckius in Analectis T. I. p. 40. Iacobsius in Anthologia T. I. et VI. *I. G. Huschkius* in dissert. de fabulis Archilochi, Altenburg. 1803. 8. et in A. Matthiae Misc. Philolog. T. I. pr. singulari autem libro diligenter scripto nuper *Ignatius Liebelius* cum annotatt. et praemissa de vita et scriptis poëtae commentatione Lipsiae 1812. octonis mai. Nonnullorum fragmentorum versiones laudat Móhnikius l. l. p. 219. Praeterea de Archilocho eiusque vita et scriptis egerunt *Baylius* in Lexico hist. et crit. s. v. — *Sevinus* in Mem. de l'Acad. des Inscr. Vol. X. — *E. L. Huchius* in libro qui inscribitur *Versuch über die Verdienste des Archilochos um die Satyre* Zerbst 1767. 8. — *Fabricius* Harles. T. II. p. 107 sqq.

Archilocho alterum veteres Iambographum, eique aetate proximum (nam Olymp. XXIX. a Ch. 664. floruisse dicitur) adiunxere *Simonidem Amorginum*, a patria eius *Amorgo*, Sporadum insula, ducto cognomine, quem cave confundas cum Simonide *Ceo* (§. 35.) et *Simonide Genealogo* (§. 29), Cei e sorore nepote. Amorgino, quem nonnulli tamen, Proclo auctore, *Samium* fuisse perhibuerunt, praeter alia breviora, tribuitur carminis, simplicitate et sermonis elegantia satis commendabilis, *de mulierum origine atque indole*, fragmentum ab *Io. Stobaeo* servatum, tamque cum *gnomicis* poëtis a *Wintertono* et *Brunckio*, ab hoc quoque in Analectis vett. poët. graec. T. I. p. 124 sqq., quam seorsum editum, cum annotationibus *Georg. Dav. Köleri* et epistola *Heynii*, Gottingae 1781. octonis, germanice so-

luta oratione versum a *Fr. Grillo*, in Diario: Für ältere Litteratur u. neue Lectüre VI. p. 104, iambis senariis a *G. S. Falbio* in Kochii Eurynome 1807. p. 532 sqq.

Post duumviros hos, aliorum quidem, ut *Alcaei*, *Solonis*, *Timocreontis Rhodii* et *Critiae* Atheniensis, eiusdem cuius elegos paulo ante meminimus, Iambi passim laudantur; sed *tertius*, qui inter principes huius generis poëtas refertur, est *Hipponax* Ephesius, Darii temporibus, Olymp. LX. a Ch. 540. qui *choliambos* sive *scazontes*, ita dictos, quod senarii in versus exitu quasi frangitur rhythmus, invenisse fertur, idem *parodiis* suis famam nactus. Bupalum et Athenidem, clarissimos suae aetatis sculptores, sibi infestos, carminibus vehementissime insectatus esse dicitur Plinio H. N. XXXVI. 2. Quare cum Archilocho eum componit Horatius in notis versiculis Epod. VI. 13.: — „In malos asperrimus

Parata tollo cornua:
Qualis Lycambae spretus infido gener
Aut acer hostis Bupalo"

Tantaque iamborum eius petulantia et amaritudo fuit, ut *Hipponacteum praeconium* Ciceroni (Epp. ad. Fam. VII. 24) appellatum sit carmen maledicum ac probrosum. Deperditorum fragmenta nuperrime primus collegit doctissimus *Th. Fr. Welcker* Gottingae 1817. quaternis, adiectis duobus *Ananii* fragmentis, ab Athenaeo servatis. De *Ananio* hoc iambographo, qui Hipponactis habetur aequalis, praeterea nihil fere accepimus.

§. 38.

Elegis et Iambis accessere mox varii generis carmina, *lyrica* dicta a musico instrumento, cui ipsa natura duce *motus*, *sensus et affectus animi quoscumque* quasi modulanti accinerentur: atque summa poëseos cum arte musica priscis temporibus apud Graecos necessitudo effecit, ut qui melicis his carminibus componendis, primum operam dedere, aequalium ac posteritatis laude dignam, iidem sororiae etiam arti, modulandis versibus suis adhibitae, perficiendae stu-

derent. Tales fuisse, praeter dictos, accepimus *Terpandrum Lesbium*, cuius Fragmenta nuper collegit doct. *Welckerus*, *Thaletam Cretensem*, *Clonam Thebanum* sive *Tegeatem* ex Arcadia, *Arionem Methymnaeum*, alios, qui omnes post Callinum et Archilochum floruere, etsi nonnullorum, ut Terpandri, aetas controversa est. cf. Liebelius in comm. de Archilochi vita §. III. p. 8 sqq. Carminum autem lyricorum, quae tum laudati poëtae, tum qui deinceps commemorabuntur, musicis temperabant modis, multa genera et formae fuere, diversis nominibus, quae Grammatici explicuerunt, distinctae, sed quarum discrimina, in hac tanta lyricorum poëmatum strage, accuratius internoscere vix licet. Nam praeter generaliora nomina, μέλη, ᾠδαί, ᾄσματα, νόμοι, feruntur ὕμνοι, ἐφύμνια, προοίμια, παιᾶνες sensu strictiore, hymni in Apollinem malorum averruncum, et νόμοι, item ad Apollinis, tum ad aliorum deorum laudem compositi; διθύραμβοι in Bacchum, de quibus ut de *scoliis* paulo post videbimus; σκόλια, πάροινα, ἰόβακχοι; ἐγκώμια, ἔπαινοι, ἆθλα, ἐπινίκια ad heroum et victorum laudem; ὑπορχήματα, chorica, comitante mimica saltatione decantata, *Pindari*, *Bacchylidis*, *Xenodami* v. Athen. XIV. 12.; προσόδια in Apollinem et Dianam; ἐμβατήρια sive ἐπιβατήρια, bellica carmina, a *Tyrtaeo* et *Alcaeo* celebrata; θρῆνοι, θρηνῳδίαι, ἐπικήδεια, cantus lugubres, maxime ad defunctorum honorem; ἐρωτικά amatoria carmina; παρθένια a virginum choro cani solita; παιδικά in pueros amatos; παίγνια lusus; denique carmina, vel argumenti vel metri ratione habita, ab eorum auctoribus denominata, *Anacreontea*, *Asclepiadea*, *Glyconia*, *Phalaecia* cet. v. *Astii* Grundriss der Philologie §. 39. p. 93 sq. p. 100—103. Ilgenius de Carm. Conviv. Graecor. p. XXX sqq. *Mohnikius* l. l. p. 300—305.

§. 39.

Ceterum flos horum poëtarum ab eo fere tempore incipit, quo epicam poësin minus iam frequentari vidimus, et intra temporis spatium *ducentorum viginti* circiter *annorum*, ab Olymp. XXVII. ad LXXXII. a.

Ch. 670-450. duravit. Quo temporis intervallo Graecia adhuc ludibunda velut adolevit, ad summumque opum, fortunarum ac gloriae fastigium evecta est. Quae quidem rerum suarum laetissima incrementa, quum libertatis et patriae flagrantissimo amori, tyrannidis odio acerrimo, virtutis bellicae studiis, institutorum domesticorum, ludorum, festorum dierum, religionum curae et observantiae maxime deberet; eosdem liberi et excelsi animi sensus atque affectus maximam carminum lyricorum partem spiravisse, haud magis miremur, quam quum, rerum facie immutata, et antiqua Graecorum disciplina pessumdata, virtutis stimuli isti sensim hebescerent, magna quoque poëtarum ingenia iis incitari desiisse. Ceterum ut *elegorum* inventio et perfectio *Ioniis* poëtis maxime debetur, ita *melica* et *chorica* lyricorum carmina *Aeolum* atque *Dorum*, in insulis maris Aegaei, in Graecia continente et Sicilia habitantium, studiis celebrata esse constat. Minima tamen horum carminum pars e communi naufragio, quo tot litterarum antiquarum monumenta absumta esse querimur, emersit, nec *novem* illis quidem poëtis, quos, e lyricorum numero paene *centenario*, *principes* iudicarunt critici Alexandrini, tempus pepercit. Supersunt tantum clarissimorum poëtarum *nomina*, paucorum carminum egregia *fragmenta*, *solius fere Pindari opus quoddam integrum.*

§ 40.

Novem autem principes illi feruntur *Alcman*, *Alcaeus*, *Sappho*, *Stesichorus*, *Ibycus*, *Anacreon*, *Simonides Ceus*, *Pindarus* et *Bacchylides*.

Horum antiquissimus *Alcman* sive *Alcmaeon*, Olymp. XXVII. a. Ch. 670. clarus, gente *Lydus*, sed *Spartae* natus a patre servo, e tribu Spartana *Μεσόα*, unde *Laconis* nomen accepit, aequalis dicitur *Ardyis* Lydorum regis, Croesi proavi, et *Leschis* poëtae cyclici (§. 28). In carminibus eius, *dorica* dialecto compositis, numerantur *hymni*, *paeanes*, *hymenaei*, *scolia*, carmina *amatoria*, quorum vel inventor apud Athenaeum XIII. p. 600. (*ἡγεμὼν τῶν ἐρωτικῶν μελῶν*)

vocatur. Potior tamen pars eorum fuisse videtur, quae *parthenia* scil. ᾄσματα appellantur, ἃ αἱ παρθένοι ᾖδον *quae virgines cecinere*; quod e vita et moribus feminarum apud Dores intelligendum: unde Clementi Alex. Strom. I. p. 308 *chorea* ab Alcmane initium duxisse perhibetur. Quanta vero apud Spartanos olim fuerint auctoritate Alcmanis μέλη, quae in plures libros (*sex* numerantur) postea dispertita legebantur, discimus e Plutarcho in vita Lycurgi, et quantopere Criticis et Grammaticis lectitata fuerint, nuper docuerunt Scholia Veneta ad Homeri Iliadem. Commentariis etiam seorsum editis de Alcmane, cuius nomen lyrico cuidam metro, ab eo vel invento vel praecipue frequentato, haesit, egisse accepimus *Dicaearchum*, *Philochorum* Atheniensem, et *Sosibium* Laconem. Sed carminum eius paucissima fragmenta vulgata erant a Neandro, H. Stephano et Ursino. Seorsum edita graece et latine Parisiis 1586. 12. laudat *Mohnikius* p. 221. Nuperrime autem maiore ea studio collegit et recensuit doctissimus *Fr. Th. Welckerus*, Giessae 1815, quaternis.

Iunior *Alcaeus*, ex Mitylene Lesbius, Olymp. XLV. a. Ch. 600, *Pittacum*, *Myrsilum*, aliosque urbis patriae tyrannos, armis pariter atque carminibus insectatus, *in hac parte operis*, *Quintiliano* iudice, *aureo plectro merito donandus*, quem prae ceteris expressit Horatius. Carminum eius *aeolica* compositorum *dialecto*, quibus, praeter Martem, etiam „*Liberum et Musas Veneremque et illi semper haerentem puerum canebat*", quaeque, praeter μέλη, etiam *hymnos*, *scolia*, ἐπιβατήρια, παρθένια et παιδικὰ continebant, *decimum* librum laudat Athenaeus (XI. 8.); editionem inter veteres curarunt Aristarchus et Aristophanes Byzantius; fragmenta paucissima, quae restant, collegerunt et, cum aliorum Lyricorum reliquiis, typis vulgarunt *Mich. Neander*, *Henr. Stephanus*, *Fulvius Vrsinus*, et seorsum, C. D. *Iani* in tribus prolusionibus *De Alcaeo, poëta lyrico eiusque fragmentis*, Halae Saxon. 1780 sq. quaternis. Quas denuo edidit *Th. Fr. Stangius* Halae 1810. 8. Sed multo magis laudandus est *Blomfieldius*, Anglus, qui nuper in *Museo Critico* Cantabrig. 1814.

IV. fragmenta haec multo auctiora collegit et recensuit. In Alcaei operibus veteres, praeter rerum et cogitationum copiam, maxime admirati sunt elocutionis brevitatem, magnificentiam et miram accurationem. Homero adeo plurimum similem praedicat Lesbium poëtam Quintilianus X. 1., et quamquam in lusus et amores descendat, maioribus tamen aptiorem argumentis fuisse censet. Carmen XXIX. inter Theocritea, *Παιδικὰ* inscriptum, Alcaeo vindicare nuper conatus *Fr. Thierschius* in *Specimine editionis Symposii Platonis*, Gottingae 1808. 4. opinionem suam haud probavit nec Hermanno (ad Viger. p. 925) nec A. Matthiae (in libello scholast. De carmine Theocriteo XXIX Altenb. 1815) nec Blomfieldio l. l. —

Sapphonem Lesbiam vel Mitylenaeam, aequalem, civem, amicam Alcaei, misero in Phaonem perfidum amore (v. Ovid. Herod. XV.) aeque nobilitatam, quam carminum, maximam partem *ἐρωτικῶν*, quae fudit, summa ad animi motus affectusque exprimendos vi, gratia, dulcedine, nemo ignorat. Sed feminae egregiae non minus aetas quam fata extrema controversa sunt. Anacreontis enim temporibus eam admovet *Hermesianax* in elegia ab Athenaeo (XIII. p. 597) servata, et saltum e Leucade promontorio, quo amoris infelicis dolori remedium quaesivisse vulgo perhibetur, ab alia muliere cognomine eiusdem patriae, nempe *Eressia* Sapphone, quae serius vixisse videtur, tentatum esse affirmat *Athenaeus* XIII. 24. assentiente Fr. Schlegelio et Viscontio. A morum autem infamia, quam multo post hominum levitas et invidia magno poëtriae nomini adspergere haud dubitarunt, pulchre eam nuper vindicavit doctissimus *Welckerus* in libello qui inscribitur: *Sappho von einem herrschenden Vorurtheil befreit* Gottingae 1817. 8. — Laudantur veteribus Sapphûs *elegiae*, *μέλη*, *hymni*, *scolia*, *ἐρωτικά*, *epigrammata*. Attamen e *novem* carminum eius *libris*, qui olim exstitere, paucissimae quaedam reliquiae, a Dionysio Halic., Longino aliisque servatae, deperditorum nonnisi acrius instillant desiderium. *Aeolica* et haec usa est *dialecto*; et Sapphica stropha aeque nobilis est ac metrum Alcaicum, Horatio toties adhibita. Odaria *duo* integriora et cetera

carminum frustula, una cum poëtriae vita, ediderunt I. C. *Wolfius* in *Fragmentis et Elogiis Poetriarum octo, graece et latine* Hamburgi 1734. 4. et seorsum idem, ibidem, 1733. 4., tum qui Lyricorum fragmenta collegere, *H. Stephanus* et *Vrsinus* supra laudati. Reperiuntur ea praeterea in *Catulli*, qui odae a Longino descriptae tres priores strophas latine expressit (carm. 51.) edit. a *Vossio* curata, in multis Anacreontis editionibus, in *Brunckii* Analectis Poëtarum Graecorum, Argentorati 1772sqq. 3 Voll. 8. in *A. Schneideri* libro: *Μουσῶν ἄνθη* s. poëtriarum etc. Fragmenta Giessae 1802. 8. et in F. I. H. Van Reenen Auctorum Graecorum T. I. Amstelod. 1809. 8. una cum Anacreontis reliquiis. Seorsum ea ediderunt et notis illustrarunt H. F. M. *Volgerus* cum diatribe de poëtriae huius vita et scriptis, Lipsiae 1810. 8. *F. H. Egertonus* Parisiis 1815. 8., et germanico commentario probabili *A. Moebius* Hannoverae 1815. 8. Multo auctiora et emendatiora illa dedit *Blomfieldius* in *Museo Critico Cantabrig.* I. 11. 1812. *Versiones*, praecipue germanicas, laudat *Mohnikius* p. 230. et XLII. (quibus adde *Morgensternii* illam in Commentar. Dorpatensibus P. IV. p. 416sqq.); idem *W. Heinsii* vitam Sapphonis in Iride III. 2. 1775. Veterum de Sapphone commentarii olim exstitere auctoribus *Callia* Mitylenaeo et *Chamaeleonte* Heracleota.

Stesichori, Himerae in Sicilia nati, *Phalaridis*, Agrigenti tyranni, adversarii, qui, Suida teste, usque ad Ol. LVI. 556 a. Ch. vitam produxit, multa interiere carmina, *Doricae* poëseos et dialecti praeclara olim monumenta, in quibus, praeter *lyrica*, ut *ἆθλα* in *victores*, et *παιδικά* in pueros formosos, numerantur etiam *lyrico-dramatica*, quo referas *μέλη* eius *βουκολικά* sive *carmina pastoritia*; tum *lyrico-epica*, cuiusmodi fuisse videntur eius *Geryonis*, *Helenes accusatio* et *encomium* sive *Palinodia*, *Europia*, *Ἰλίου πέρσις* sive *de Troiae excidio*, *Orestia*, aliaque: unde *Quintiliano* (X, 1. 62) „*maxima bella et clarissimos cecinisse duces, et epici carminis onera lyra sustinuisse*" dicitur. Quorum omnium reliquias lyricorum poëtarum fragmentis inseruere viri laudati, seorsum digessit et interpretatus

est *I. A. Suchfort*, Gottingae 1771. 4. sed multo pleniores et emendatiores edidit *Blomfieldius* in Museo Crit. Cantabrig. 1816. VI.

Pauciora etiam *Ibyci* supersunt, ab *H. Stephano* et *Fulvio Vrsino* collecta inter Fragm. lyricor. *Rhegii*, urbe Calabriae, vel *Messanae* in Sicilia natus, circa Ol. LVI. 3. a. Ch. 554. floruisse, et septem libros *μελῶν ἐρωτικῶν dorica dialecto* reliquisse perhibetur. Aestum ingenii, quo abreptus fuit, arguunt cognomen Ἐρωτομανέστατος quod Suida teste nactus est, et Ciceronis verba in Tusc. IV. 33. *Maxime omnium flagrasse amore Rheginum Ibycum, apparet ex scriptis.* Mortis eius violentae (nam a latronibus, *gruum clamore* postea detectis, occisus fertur) memoriam duo servarunt epigrammata in Anthol. Gr. II. 27. III. 262. cf. Fabric. Harles. T. II. p. 124 sqq.

§. 41.

Anacreon, *Teius* cognomine a *Teo*, Ioniae urbe, quae eius patria fuit, ab Ol. LV. 2. a. Ch. 559. usque ad Ol. LXXVI. 3. a. Ch. 474., annos quinque et octoginta vixisse dicitur. Ex urbe patria Abderam cum parentibus aliisque multis civibus migravit, unde primum a *Polycrate*, Samiorum tyranno, in *Samum* insulam arcessitus, mox *Athenas* evocatus, cum *Hipparcho*, Pisistrati filio, coniunctissime vixit. V. Herodot. VII. 6. Quo interfecto, patriam repetiisse videtur. Multorum quidem et diversi generis carminum lyricorum auctor celebratur veteribus. Etenim, praeter *μέλη*, quorum praecipuus auctor fertur, dictus hinc eximie ὁ *τῶν μελῶν ποιήτης*, ὁ *Τήϊος μελῳδός*, scripsit *elegias*, *hymnos*. *scolia*, *ἐρωτικά*, *epigrammata*, et *τὰ καλούμενα Ἀνακρεόντεια*, qualia pleraque sunt, quae nunc sub nomine Anacreontis feruntur, *dialecto ionica*. Noti sunt vel ex Horatio (Epod. XIV, 10.) eius in *Bathyllum* puerum amores, et, Cicerone teste, (Tusc. IV, 33.) tota poësis eius fuit amatoria. Horum omnium non nisi fragmenta et quaedam epigrammata supersunt. Nam quae nunc habentur odaria Anacreontis LXV, horum *vix unum alterumve* ab elegantissimo poëta profectum esse, reliqua meras

imitationes carminum Anacreonticorum videri, a serioribus poëtis, qui ingenii vires experiri voluerint, variis temporibus tentata, post Robortellum, Hemsterhusium, Pawium, idoneis argumentis docuit *Fischerus* in praefatione editionis secundae Anacreontis a se vulgatae.

Inter *Codices* A., numero paucos, prae ceteris commemorandus *Palatino-Vaticanus* ad X seculum assurgens, in quo, praeter Anacreontica, *Constantini Cephalae* inest *Anthologia.* — *Editionum*, quarum infinita copia, hac nostra maxime aetate, bearunt nos viri litterati, potiores saltem enumeremus: *H. Stephani principem*, Paris. 1554. 4.; *Baxterianam*, Londini 1695. et 1710. octonis. *Barnesianam*, Cantabr. 1705. 1721. ac pluries, 8. *Pawii*, Trai. ad Rhen. 1732. 4.; splendidam atque perraram *Maittairii*, Londini 1725. et 1740. quaternis. *Fischeri tres*, quarum ultima et locupletissima prodiit Lipsiae 1793. octonis; *Brunckii*, primo in Analectis P. Gr., tum seorsum, Argentorati, 1778. et ibidem duplicem, nitidissimam, eodem anno et die 1786. duodenis, sed et graeco contextu et notis discrepantem utramque, alteram quae inscripta est *editio secunda emendatior*, alteram titulum, *editio nova*, in nonnullis exemplaribus, *editio tertia locupletior*, prae se ferentem, quam ultimam, quippe rarissimam, doctissimus *Schaeferus* denuo excudendam curavit Lipsiae typis Tauchnitz. 1811. duod. *Teucheri*, Lipsiae 1799. 8. *Bothii*, ibidem 1805. duodenis. *E. A. Moebii*, Halae 1810. 8. *I. H. Van Reenenii* in Auctorum Graecorum T. I. cum Sapphus reliquiis, Amstelod. 1809. 8. — *Ed. Forsteri* Londini 1813. 8., parum laudata. Quibus propter chartarum splendorem aeque ac typorum elegantiam addendae sunt editiones *Abb. Spaletti*, ex cod. Vaticano, cuius contextus aeri incisus est, Romae 1781. et 1783. forma maxima, et *Parmensis*, apud Bodonium, 1786. litteris maiusculis, in charta laevigata. De reliquis tum edd. tum versionibus numerosissimis vid. *Harlesius* ad *Fabricium* T. II. p. 65 sqq. in Introd. T. I. p. 229 sqq. cum Supplem. T. I. p. 116 sqq. et in Breviori Notitia Litt. Gr. Lips. 1812. 8. p. 66 sqq. Addatur nunc *Mohnikius* l. l. p. 311 sqq.

Cum Anacreonte apud *Hipparchum* Athenis vixit *Simonides Ceus*, a *Ceo*, maris *Aegaei* insula, dictus, in cuius urbe *Iulide* lucem adspexit Olymp. LV, 2. a. Ch. 559; Scopadarum, nobilissimae in Thessalia gentis, familiaris; in *elegia* princeps, in qua Aeschylum vicit; nec regum modo et principum laudator, mercede quidem conductus, ut notatur Callimacho Fr. 77., fuisse, sed civium etiam, qui in campis Marathoniis, ad Thermopylas, Artemisium, Salamina et Plataeam pro libertate Graeciae occubuerant, immortalia facta carminibus praedicavisse fertur. Nam nonagenarius in Sicilia apud *Hieronem*, Syracusarum regem, diem obiit supremum Ol. LXXVII. 4. a. Ch. 469, anno quo *natus est Socrates*. In *musicis* sive *poëticis certaminibus* sexies quinquagies vicisse scribitur, et ferebantur eius θρῆνοι, ἐλεγεῖα, μέλη, ὕμνοι et παιᾶνες, ἐπινίκια, ἐπιγράμματα, Ναυμαχία Ξέρξου, al. Quorum carminum fragmenta, in his pulcherrimum, quod *Danaë* inscribitur, inter Gnomicos et lyricorum poëtarum reliquias, pluries laudatas, emendatius vero in *Brunckii Analectis* leguntur. Verterunt *epigrammata* Simonidis Com. Chr. Stolbergius, Herderus, ac plurima *Iacobsius* in libro qui inscribitur *Tempe* Lips. 1803. 8. Neque poëseos solum laude floruit Ceus hic Simonides, sed *artis* etiam *mnemonicae* apud veteres *inventor*, quamquam fide parum tuta, habetur, et, praeter bina vocalium productarum signa, η, ω, secundum nonnullos, tria quoque consonarum duplicium ζ, ξ, ψ, reperisse dicitur.

V. *Leo Allatius* de Simeonum scriptis Parisiis 1664. 4. — *Bayle* in Dict — *Boissy* Histoire de Simonide etc. Paris. 1755. rep. ibid. 1788. 8. — *Duckeri* sive *Van Goensii* Dissert. de Simonide Ceo. Utrecht. 1768. 4. — *Iacobsius* in *Wielandii* Attico Museo, T. IV. — *Morgensternii* Commentatio de arte vet. Mnemonica, praem. Catal. Lect. Vniv. Dorpat. 1805. fol.

§. 42.

Successit *Pindarus*, Simonidis et Corinnae discipulus, a *Thebis* oriundus, cuius natales ad Olymp.

LXV. 1. a. Ch. 520. referuntur, mors, nisi Olymp. LXXXVI. 2. a. Ch. 435. assignanda, certe post Olymp. LXXXIII. demum evenisse videtur. Ingenium poëtae huius, quem *novem lyricorum longe principem* vocat *Quintilianus*, prope divinum, magni et imperterriti animi indolem, phantasmatum vim et novitatem, sententiarum gravitatem, poëtici sermonis denique magnificentiam, copiam atque audaciam, abunde testantur carmina eius quae supersunt, nullis comparanda. Et, dum vixit, virum egregium poëdria atque statua honorarunt Delphi Athenaeque, et dudum defuncti memoriam insigniter veneratus est *Alexander*, Thebarum excidio intentus. Laudes vero *cycni Dircaei*, et carminum multiplicis generis summam praestantiam, sublimi oda celebravit Horatius IV. 2. In his, quae, praeter pauca fragmenta, tempus nobis invidit, potiora sunt *Hymni*, *Paeanes*, *Dithyrambi*, *Scolia*, *Hyporchemata*, *Encomia*, *Threni*, *Parthenia*, *Προσόδια*. Supersunt tantummodo *Ἐπινίκια* sive *Carmina chorica in Victores dialecto dorica* scripta, XLV. numero, quadripartita Grammaticis, in *Ὀλυμπιονίκας* XIV, *Πυθιονίκας* XII, *Νεμεονίκας* XI, *Ισθμιονίκας* VIII; una cum *Scholiis graecis*, tam antiquioribus, quibus excerpta e commentariis in Pindarum olim integris, *Aristarchi*, *Ammonii*, *Didymi*, aliorum, continentur, a *Thoma Magistro*, Sec. XIV. Grammatico, collecta, quam recentioribus, multo minoris pretii illis, a *Demetrio Triclinio*, circa a. MCCCC florente, congestis, et cum *Scholiasta metrico*, homine prorsus indocto, *Hermanno* iudice. — *Codices* Pindari, de quibus *Heynius* et *Boeckius* accurate egerunt, *centum* circiter numero, sed admodum recentes, exstant, plerique saeculis XIV-XVI assignandi. *Princeps editio* est *Aldina*, cum Callimacho, Dionysio Perieg., Lycophrone, Venetiis 1513. octonis. Fundus autem Pindaricae lectionis vulgatae habenda est editio *Romana*, *Zachariae Calliergi* Cretensis opera emendata, una cum Scholiis graecis, Romae 1515. quaternis. Calliergum secutae sunt editiones *Cratandri*, Basileae 1526. 8. *Brubachiana*, 1542. 4. *Morelliana*, Parisiis 1558. 4. *Stephanianae* plures, donec ad *Erasmum Schmidium*

(Vitebergae) 1616. 4. et *Io. Benedictum*, Salmurii, 1620. 4. perventum est, quorum, ut illo tempore, egregiam in edendo et interpretando Pindaro operam longe superavit *Heynii* acumen et doctrina, qui post *Oxoniensem* recensionem, editoribus *Rich. Westio* et *Rob. Welstedtio* 1697. fol., poëtam *bis* edidit, primo cum lectionis varietate et vers. lat. emendatiore Gottingae 1773sq. 2 Voll. 4 min., deinde cum annotatione, Scholiis Graecis, Fragmentis carminum Pindaricor., a *Schneidero* ante (Argentorati 1776. 4 min.) collectis, et Indicibus, subiecta commentatione *G. Hermanni de metris Pindari*, Gottingae 1798 sq. 3 Voll. 8. Cui editioni, post desideratissimi viri fata, ex eius schedis correctae et auctae, iterumque repetitae Lipsiae 1817 totidem tomis 8., inserta sunt *Additamenta ad lectionis varietatem, in Pind. carmin. edit. Gotting.* notatam, quae interea idem vulgaverat 1791. 4 min. — In scholarum usum, contextum graecum sine scholiis et annotatt. iterum edidit Heynius, Gottingae 1797 min. 8. et ex Heynii recensione *G. H. Schaeferus* typis Tauchnitz. Lipsiae 1810 duodenis. Heynianum exemplar cum eiusdem viri notis, paraphrasi Benedictina et Lexico Pindarico nuper Londini repetendum curavit *Huttingfordius*. — Patavii *I. Costa* Pindari opera graece, latinis translata carminibus et illustrata edidit tribus Voll. 1808. 8 mai. — Nec praetereunda Pindari editio, a *Beckio* V. Cl. inchoata, cum Scholiis et animadverss. Lipsiae 1791—1795. 2 Voll. 8. Novam autem carminum Pindaricorum et recensionem et dispositionem metricam cum critica annotatt., Scholiis integris, interpret. latina et commentario perpetuo, nuper instituit V. Cel. *Aug. Boeckhius*, cuius operis tres tomi adhuc prodiere Lipsiae 1811 sqq. 4 mai. — Carminum Pindaricorum *delectum*, cum Scholiis selectis suisque notis in scholarum usum edidit *Frid. Gedike*, Berolini 1786. 8. et cum notis german. sermone scriptis *V. C. Hetzelius* Rigae 1805. 8. E versionibus Pindari notamus *I. Loniceri* (Basil. 1535. 8.) et *Nic. Sudorii latinam* metricam Paris. 1575 et 1582. 8. tum *germanicas* soluta oratione, *Gedikii* et *I. Gurlitti*, Hamburgi 1816. 4. tum metricas *Fähsii* et *Bothii*, *Gallicis Chabanonii*

et *Vauvillierii* longe praeferendas. De ceteris vide Fabricius et Harlesii Suppl. T. I. p. 135 sq.

Io. Gottl. Schneider Versuch über Pindars Leben und Schriften. Argentor. 1774. 4. — *Vauvillier* Essai sur Pindare, Paris. 1772. 8. — *Dammii* Lexicon Homerico—Pindaricum, Berolini. 1765. 4. — *Io. Corn. de Pauw* Notae in Pindarum. Trai. ad Rhen. 1747. 8. — *Io Aloys. Mingarelli* De Pindari Odis Coniecturae, Bononiae 1772. 4. — *R. Dawesii* Emend. in Pind. in Miscell. Crit. cum addit. Th. Burgessii Oxon. 1781. 8. ed. Harles. Lips. 1800. 8. — *F. Astii* Obss. et Coni. in Pind. Carm. in Beckii Comm. soc. phil. Lips. Vol. II. p. 1. et Vol. III. p. 2. — *Villoisonii* Notae et Emendatt. in Pind. eiusque Scholia, in eiusd. Beckii Actis Sem. Reg. et Soc. philol. Lips. Vol. I. Lips. 1811. 8. G. *Hermanni* Diss. de dialecto Pindari, Lips. 1809. *Aug. Boeckii* Specimen emendatt. in Pindari Carmina, Lips. 1811. 4. — *Eiusd.* Ueber die Versmaässe des Pindaros in Wolfii et Buttmanni Museum der Alterth. Wiss. T. II. p. 167.

§. 43.

Novem lyricorum principum agmen claudit *Bacchylides*, Pindari aequalis et aemulus, qui floruit circa Ol. LXXXII. a. Ch. 450. eamdemque cum *Simonide Ceo*, cuius sororis aut fratris filius fuisse perhibetur, patriam nobilitavit. Carmina lyrica diversi generis, *Hymni*, *Paeanes*, *Dithyrambi*, *Scolia*, *Hyporchemata*, *Προςόδια*, *Ἐπινίκια*, *Amatoria*, *Παρθένια*, *Epigrammata*, quae, Simonidis et Pindari exemplum secutus, *dorica dialecto* conscripserat, interierunt. Paucissima quae supersunt [illegible] menta, in quibus eminent *Hymnus in Pacem* [illegible]o, et *Dithyrambus* ab Athenaeo II. 1. ser[illegible] Stephani, Vrsini, Brunckii, Iacobsii, notis [illegible]ibus inserta sunt. *Versiones* laudat Mohniki [illegible]. Pindaro inferior habetur a Longino sect. 3[illegible]

Sed, praeter *novem* [illegible]o um quoque, ut *Sacadae* Argivi, *Cleobu*[illegible], [illegible]nysii Thebani, temporis hoc maxime ambitu florentium, tum fama, tum carminum frustula servata sunt, e quibus, praeteritis aliis quorum paulo post mentionem faciam, hic commemorare iuvat *feminas aliquot* illustriores, Sapphicae Musae aemulas: *Erinnam Teniam* vel *Lesbiam*, Sapphûs familiarem, cuius *Ἠλακάτη Colus*, epicum

carmen versuum trecentorum, *μέλη* et *epigrammata* aeque celebrantur, ac mors praematura in pluribus epigrammatis Anthologiae Gr. lugetur. V. *Welckerus* De Erinna et Corinna poëtriis in Creuzeri Meletematis P. II. p. 3 sqq.— *Myrtidem* Anthedone natam in Boeotia, Pindari magistram; *Corinnam* Tanagraeam, *Μυῖαν* i. e. *Muscam* appellatam, a carminum eius tenuitate sive mollitudine (unde apud Statium Silv. V. 3. *tenuisque arcana Corinnae*), Pindari aemulam, quem carmine quinquies vicisse dicitur *Aeliano* (V. H. XIII. 25.) semel Pausaniae, cuiusque victoriae causa in urbe patria capite taenia redimito (*διαδουμένη*) picta fuit, teste eodem *Pausania* IX. 22.; auctor *hymnorum*, *νόμων λυρικῶν*, *epigrammatum* in *quinque* libros collectorum; denique *Praxillam* Sicyoniam, Bacchylidis temporibus florentem, ob *scolia* et *dithyrambos* quos fecerat veteribus laudata: quarum omnium reliquias, post *Fulvium Vrsinum*, seorsum ediderunt *Io. Christ. Wolfius* in *Poëtriarum octo*, *Erinnae*, *Myrûs* etc. *Fragmentis et Elogiis*, graece et latine. Accedit *Godofr. Olearii* dissert. *de Poëtriis Graecis*, Hamburgi 1734. quaternis. et nuper *A. Schneiderus* in Poëtriarum graec. carminum Fragmentis. Giessae 1802. 8.

§. 44.

Dithyrambus sive *hymnus in Bacchum* seu *Dionysum*, eodem nomine passim appellatum, vocatur carmen lyricum altissimi spiritus et liberrimae orationis, a *choro*, qui *cyclius* (*κύκλιος*, *ἐγκύκλιος*) dicebatur, cum mimica saltatione decantandum. Eum, pariter atque ipsum numen, cuius natales, virtutes, nomina, res gestas, itinera, beneficia praedicabat, una cum sacris, orgiis, festisque Bacchicis, ex Oriente per Thraciam et Phrygiam in Graeciam illatum, antiquitus *Corinthi* et *Thebis*, serius *Athenis* maxime celebratum esse accepimus. Primus vero auctor dithyrambi, id est, is qui ca[illegible]s inconditos, in sacris Bacchicis, ad instrumentorum musicorum strepitum, a tripudiante thiaso accini solitos, primus arte quadam temperaverit, veterum consensu fuisse perhibetur

Arion e Lesbo *Methymnaeus* (Herodot. I. 23. Schol. Pind. Ol. XIII. 25. Schol. Aristoph. p. 427 ed. Kust.), Alcmanis discipulus, circa Olymp. XXXVIII. a. Ch. 626., Herodoto laudatus, cuius nomini duo, sed haud dubie falso adscripta adhuc exstant fragmenta, ab Aeliano (Hist. Anim. XII. 45.) servata, *hymnus in Neptunum*, et *inscriptio* donarii quod Taenari propter salutem recuperatam Deo consecrasse fertur poëta. Utrumque ediderunt et illustrarunt *Hermannus von der Hardt* in Aenigm. prisci orbis, Helmstadii 1723 fol. p. 532 sqq. *Brunckius* in Analect. vet. poët. Graec. Lect. et Emend. p. 327 sq. *Iacobsius* in Anthol. Gr. I. 48. Animadv. T. I. p. 179 sqq. — Post Arionem centum annis iunior *Melanippides Melius*, circa Ol. LXV., Athenaeo, Plutarcho, Clementi Alexandrino laudatur, et Suida auctore, plures dithyramborum libros reliquit; quem excepit *Lasus Hermionensis* Olymp. LXVIII. clarus poëta dithyrambicus, Simonidis Cei cum Timocreonte Rhodio aemulus, quo usus praeceptore dicitur esse *Pindarus*, in hoc etiam genere princeps qui

Laurea donandus Apollinari
Quum *per audaces nova dithyrambos*
Verba devolvit, numerisque fertur
Lege solutis.

Ad veteris huius dithyrambi, Corintho progressi, et a Thebano vate eiusque aequalibus, *Bacchylide, Lampro* (nobili Musico et Sophoclis magistro; Cornel. Nep. Epamin. 2. Athen. I. p. 20. Plato Menex. p. 236), *Melanippide Milesio* et *Praxilla Sicyonia* (§. 43) perfecti similitudinem, *Athenis* potissimum aliquot poëtae, circa Olymp. XC-XCV. florentes, eiusdem quidem nominis carmina, sed ob orationis tumorem, inversiones nimis crebras, metaphoras iusto audaciores, vocabula insolentia et perplexa, rhythmi et harmoniae continuas mutationes ac summam licentiam, criticis antiquis, Aristoteli (Problem. 19) Dionysio Halic. (De struct. or. c. 19) et Plutarcho (De Musica c. 12) merito notata, et a vetere dithyrambo, *composito illo et simplice*, *strophis et antistrophis circumscripto*, longe diversa, confecisse dicuntur. In horum numerum referas *Cinesiam* Atheniensem, ab Aristophane comico saepius de-

risum, *Lamproclem*, *Ionem Chium*, tragicum item et elegiacum poëtam, *Polyidum*, *Crexum*, *Philoxenum Cytherium*, Dionysii maioris Syracusani familiarem, de quo vide *Wyttenbachium* in *Diatribe de Philoxenis*, inserta eius Miscell. Doctr. II. p. 64-72., *Timotheum* genere *Milesium*, contra quem insigne Spartanorum exstat decretum, quod veterem Musicam corruperat (cf. Uptonus ad Dionys. Hal. de comp. verb. p. 264 Schaef.), denique *Telesten Selinuntium*, a comico eiusdem nominis et patriae poëta, Athenaeo et Suidae laudato, vix diversum, cuius poëmata dithyrambica Harpalus ad Alexandrum M. in Asiam misisse dicitur Plutarcho (Vit. Alex. p. 668 D.), vitam autem descripsit Aristoxenus. cf. *Mahnii* Diatribe de Aristoxeno p. 92. *Heerenius* ad Marm. Borg. in Bibl. d. alt. Lit. IV p. 54 sq. *Harlesius* ad Fabric. T. II. p. 157 sq. Cum Philoxeno, Timotheo, Polyido, uno tempore floruit circa Olymp. XCV. 2/3 teste Diodoro Siculo XIV. 47. — Ipsum *Platonem* adolescentem, dithyramborum scriptorem novimus e Diogene Laërtio. — Ceterum vetustissimum dithyrambum *tragico* dramati inveniendo Graecis ansam dedisse, Aristoteles auctor est de Poët. c. 4., et in tragoediarum graecarum, quae adhuc supersunt, *choris* plures ad hoc carminis lyrici genus referri debere, qui una cum dithyrambicis Pindari fragmentis, imprimis illo amplissimo, a Dionysio Halic. de struct. or. c. 22. laudato, reliquorum iacturam quodammodo resarciant, recte monet *Timkowskius* in Comment. *de Dithyrambis eorumque usu apud Graecos et Romanos*, Mosquae 1806., inserta *Beckii* V. Cel. Actis Semin. Reg. et Soc. Philolog. Lips. T. I. Lipsiae 1811. 8., pag. 216. cf. *Boeckhius* de metris Pindari III. c. 14. p. 273. *H. Ch. Genelli* Theater zu Athen p. 8 seqq.

§ 45.

Ut nullum fere hominum genus fuit Graeci nominis quin cantui studeret, et musica delectaretur; nullum fore vitae peractum negotium, cui non *certa* carmina consecrata fuerint: cuius generis cantiunculae laudantur *textorum* (ἔλινοι), *pistorum* (πτισμοί), *messorum* (Λυτιέρσαι), *lanificorum* (ἴουλοι vel οὖλοι), *pi-*

stricum (ἐπιμύλιοι, ἐπιμύλια ᾄσματα), *remigum* (ἐρετικά), *pastoritiae* (ποιμενικά, βουκολιασμοί, συβωτικά), *torculariorum* (ἐπιλήνιοι), *nutricum* (καταβαυκαλήσεις), *balneatorum*, *lugentium* (ὀλοφύρμοι), *mendicorum* (εἰρεσιῶναι, χελιδωνίσματα, κορωνισματα), aliae: sic mos *in conviviis ad citharae sonos canendi*, apud Graecos ab antiquissimis inde temporibus receptus *), nobile carminum lyricorum tulit genus, quae *Σκόλια* et *Πάροινα* sive *παροίνια ᾄσματα* vocantur. *Illa* unde nomen invenerint, disceptatur, et iam inter veteres scriptores magna sententiarum est varietas. Vid. *Ilgenius* in libro mox laudando p. LXXXV sqq. Cui doctissimo viro praeter alias maxime probatur *Dicaearchi*, Aristotelis discipuli, sententia a Suida enotata, σκόλιον dici μέλος vel ᾆσμα ab *ordine canentium inflexo et tortuoso*, quum *per orbem* quidem a convivis, *myrti* ramum tenentibus, *ad lyram* canebantur scolia, sed serie interrupta, et ab *eruditioribus*, (assentiente Artemone apud Athenaeum XV. p. 694. et Plutarcho Sympos. I. Qu. 1. p. 615 B) qui, ut docte et ingeniose explicat Ilgenius, alter ab altero cantum excipiens, idem argumentum ter, quater, quinquies fortasse ad imitationem primi, iisdem, si fieri poterat, numeris, sed variatis verbis atque sententiis, carmine et cantu efferrent. — Inventor scoliorum traditur *Terpander Lesbius* (§. 38), fortasse quod convivalibus his carminibus, dudum ante Terpandri tempora frequentatis, primus addidit *cantus modulationem*, citharae *perpetuo* accinentis sonis *aptam*: ut idem, Musicae artis peritissimus, et *Barbiti* sive lyrae multis chordis tensae inventor habitus, *νόμους Λακεδαιμονίων μελοποιῆσαι* dicitur Clementi Alex. Strom. I. p. 308 Sylb.; Plutarcho autem (De Musica p. 1132 C.) laudatur, quod carminibus Homericis, quae antea recitari magis vel declamari, quam cantari solebant, *prae*cinente modo per certa intervalla cithara, melodiam (τὸ *μέλος*) applicuit i. e. recitationem vel

(*) Odyss. ρ′ 271. *ἐν δέ τε φόρμιγξ*
Ἠπύει, ἣν ἄρα δαιτὶ θεοὶ ποίησαν ἑταίρην
coll. Odyss. θ′ 99. Hym. Hom. in Merc. 475 sqq.

potius cantum eorum ad lyrae *accinentis* sonos *perpetuo* modulatum excogitavit atque docuit. Aetas autem Terpandri, quamvis controversa, Hellanici et Sosibii auctoritate apud Athenaeum XIV. p. 635. ita optime definitur, ut Olymp. XXVI., ante Ch. 676., primus in Carneis, Lacedaemoniorum festo ludisque, victor, iam floruisse existimetur: cui temporis notationi nec Eusebius, qui Terpandrum Olympiadis XXXIII anno secundo admovet, nec marmor Parium, ad a. quartum Ol. XXXIV eum referens, repugnare putandi sunt. V. *Ilgenius* l. c. p. LXXV sq. *Liebelius* de Archilocho p. 9. — Iam vero Scolia ab initio fuerunt certamina ipsorum clarissimorum poëtarum, mensae familiari simul accumbentium, unde veteribus celebrantur et passim adhuc supersunt huius nominis carmina *Archilochi*, *Alcmanis*, *Alcaei*, *Sapphonis*, *Pittaci Mitylenaei*, *Solonis*, *Anacreontis*, *Lasi*, *Simonidis Cei*, *Pindari*, *Ionis Chii*, *Bacchylidis*, *Ariphronis*, *Timocreontis*, *Praxillae*, aliorum, quorum, cum aliis multis ἀδεσπότοις sive incerti auctoris illis, reliquias collegit, recensuit et erudite explicuit *C. D. Ilgenius* in libro qui inscribitur: *Σκόλια* h. e. *Carmina Convivalia Graecorum, metris suis restituta et animadversionibus illustrata, praemissa disquisitione de scoliorum poësi* (p. VII—CCVIII). Ienae 1798. 8. Argumenti autem in cantiunculis his magna varietas conspicitur, quam Eustathius ad Odyss. VII. p. 1574 ad *tres* classes, *cavillatoria*, *amatoria* et *seria* scolia, revocare tentavit; Ilgenius ultima haec, *σπουδαῖα*, in septem genera dividit, *historica*, *mythica*, *precatoria*, *moralia*, *politica*, *laudatoria*, *potatoria*. Nobilissima sunt scolia in *Harmodium* et *Aristogitonem* (X—XIII ap. Ilg.); in *bonam Valetudinem*, *Ariphronis Sicyonii* (XXVII Ilg.); et in *Hermeam*, Atarnae tyrannum, *Aristotelis* (XXXI Ilg.)

A Scoliis his *alterum* convivalium carminum genus cum illis vulgo confusum, *παροίνια ᾄσματα*, distinguit Ilgenius l. c. p. LXXI et CXCIV sqq., *Pollucis* potissimum auctoritate utens, Onom. VI. 108. eaque *ab omnibus convivis deinceps* cantata esse, *serie continua*, ubi indoctiori aeque illicitum fuerit cantum defugere, ac doctiori alios minus exercitatos ludicro excludere,

sumit; iisque *tertium* et *quartum* genus, *paeanes* sive carmina in dei alicuius honorem, quem omnes uno ore canebant (v. Plut. Sympos. I. Qu. 1. coll. Athen. XV. p. 694. XIV. p. 627 F.), et a quibus canendi fiebat initium; atque κωμους i. e. cantilenas lascivas, quas iuvenes media nocte vel ad amicarum fores, in vicis et plateis, ebrii plerumque, coronis redimiti, faces manibus gestantes, saltantes discurrentesque, vel intus etiam in aedibus, mensis remotis, et cottabo dimisso, *accinente tibia*, cantare solebant, subiungit. — Ceterum carminum horum convivalium reliquiae, tum in *Ilgenii* laud. libro seorsum editae sunt, tum leguntur in *Brunckii* Analectis T. I. p. 154 sqq. in *Jacobsii* Anthol. T. I. cum Animadverss. eiusdem T. I. p. 291 sqq. in Anacreonticis *Bothii*, Lipsiae 1805. 8 et *Schäferi* p. 69 sqq. Nonnullorum *versiones* germanicas laudat *Mohnikius* l. c. p. 238. De universo autem carminum horum genere et metro scripserunt, praeter Ilgenium, *Hadr. Iunius* in Animadvers. III. 7. *Schottus* et *Nunnesius* ad Procli Chrestom. p. 10. *De la Nauze* in Mem. de l'Acad. des Inscr. T. XIII. *Burettius* ibidem T. XXIII. *Brownius* über die Musik der Alten ex vers. Eschenburgii p. 199. *Cludius* in Bibl. der alt. Litt. u. Kunst. T. I. et III. *Santenius* ibidem T. V. Inedita p. 25. *Hermannus* in libro de metris poëtar. Graec. et Lat. denique *Grotefendius* in Schweighaeuseri Animadverss. ad Athenaeum T. VIII. p. 251 sqq. cf. Mohnike Gesch. d. Litt. d. Gr. u. R. Zusätze p. XLII sq.

§. 46.

Postremo *didactici* carminis, *heroico* metro compositi, cuius primum exemplum iam ab *Hesiodo* editum vidimus (§. 23), insignia aliquot fragmenta, e nobilissimorum huius aetatis auctorum operibus deperditis, partim genuinis, partim spuriis, servata, hoc loco commemorari oportet, etsi *philosophorum*, quorum nominibus fere inscribuntur, vitas pariter ac philosophiae graecae, soluta traditae oratione, origines et incrementa intra secundae demum aetatis circuitum enarrare licebit. Quo pertinent primum *Aurea* quae vulgo dicuntur *Carmina*, τὰ χρυσᾶ ἔπη, unius et se-

ptuaginta versuum, *Pythagorae* Samio, philosopho celeberrimo, intra Olymp. XLIX et LXIX, Servii Tullii et Tarquinii Superbi temporibus florenti, communiter adscripta, ab aliis *Lysidi*, Pythagorae discipulo, aut *Empedocli*, aut *Epicharmo*, aut *Philolao Crotoniatae* tributa, sed rectius, cum Chrysippo Stoico (Gellius VI. 2.), Pythagoreorum cuidam incerto auctori (*), quem post Platonem, aut post Aristotelem etiam vixisse suspicatur *Meinersius* (Gesch. d. Wiss. in Gr. u. R. T. I. p. 578) adiudicanda. Argumenti quidem ratione habita sententiosis gnomicorum poëtarum carminibus vulgo annumerantur: nam praeclara tum morum vitaeque sapienter instituendae praecepta, tum ad pietatem ac virtutem colendam incitamenta continent: unde *Glandorfio* ex arcana Eleusiniorum mysteriorum doctrina hausta, et Pythagora quidem antiquiora, sed philosopho huic probata atque recepta fuisse videntur. Ad aetatem autem nostram pervenerunt una cum *Hieroclis*, philosophi Platonici Alexandrini, saeculo V^to p. Ch. clari, commentario graeco lectu dignissimo, edito primum latine ab *Jo. Aurispa*, Patavii 1474. 4. tum graece a *Curterio*, Parisiis 1583. 12., et denuo Londini, cum *Io. Pearsonii* prolegomenis, 1654. 12. Eumdem iterum recensuit *Petr. Needhamus* Cantabrigiae 1709. 8. inque sermonem gallicum et germanicum converterunt *Andreas Dacierius*, in libello inscripto: *La vie de Pythagore*, ses symboles, ses vers dorez et la vie d'Hierocles etc. Parisiis 1706. 12. et *Schulthessius* 1777. 8. — Ipsius autem carminis aurei absque commentario Hieroclis, innumerae sunt editiones, plerumque cum aliis gnomicis poëtis. Separatim illud vulgarunt *I. A. Schierius* cum integris animadverss. Sylburgii, Marcilii, Amerbachi et Needhami, Lipsiae 1750. 8. — *E. G. Glandorfius* in libro qui inscribitur: *Sententiosa* vetustissimorum gnomicor. quorumdam poëtarum opera. Vol. 1. Lipsiae 1776. 8. — Nuperrime cum versione metrica et spisso commentario, criticam aucto-

(*) *Hierocles* carmen hoc appellat ὅλου τοῦ ἱεροῦ συλλόγου ἀπόφθεγμα κοινόν.

ris artem parum prodente, *Faber D'Olivetus*, ita inscriptum: *Les vers dorés de Pythagore* expliqués et traduits pour la première fois en vers *eumolpiques* français: précédés d'un discours sur l'essence et la forme de la poésie chez les principaux peuples de la terre. Parisiis 1813. 409 pagg. 8 mai. — De versionibus vid. Harlesius ad Fabric. T. I. p. 798 not. et Mohnikius l. l. p. 276.

§. 47.

Aliae, quamquam dissimilis argumenti, carminum didacticorum hexametris conditorum reliquiae aliquot philosophis graecis, qui a Pythagorae haud multum abfuerunt aetate, debentur: *Xenophani*, *Parmenidi*, *Empedocli*. Quae enim contemplationis super rerum natura semina in mythis carminibusque Graecorum *cosmogonicis* atque *theogonicis* diu latebant, ea, quum philosophandi studium apud Iones primum efflorescerct, excepta et diligenter exculta esse videmus a primis Graeciae philosophis, qui, sepositis quidem mythis rudioribus, tamen non solum res ipsas mythis his involutas cogitationum suarum materiem fecerunt, accita imprimis interpretatione *allegorica*; sed etiam elocutionis formam atque colorem a poëtis antiquis mutuati, quum soluta oratio adhuc minus exculta esset v frequentata, philosophemata sua de Universi origine, de elementis sive rerum omnium principiis, deque mentis humanae natura, versibus explicare haud detrectarunt.

Xenophanis quidem *Colophonii*, qui circa Ol. LX. a. Ch. 540. iam floruisse videtur, sed tamen laetissima Graeciae incrementa post pugnam Marathoniam et Salaminiam (Ol. LXXV) vidisse (Athen. II. p. 54. Clemens Alex. Strom. I. p. 301.), et centenario maior obiisse dicitur Censorino de D. N. c. 15. — Xenophanis, inquam, tum alia varii generis carmina olim exstitere; ut *Colophonis* et *Eleae*, Phocaeorum coloniae, *origines* (*κτίσεις*) hexametro; *Elegiae*, de quibus pauca diximus p. 48.; *Iambi*, *Parodiae*, *Silli* (de Iambis tamen dubitatur; *Silli* autem et *Parodiae* fortasse *unius* modo carminis *partes* habendae sunt. v.

Fabric. Harles. T. II. p. 616 sq.), *carmina irrisoria* heroico metro, Straboni laudata XIV. p. 643. quibus Homeri et Hesiodi de Diis narrationes mythicas amare perstrinxit, dictus inde Ὁμηροπάτης, (cf. Fabric. Harles. T. I. p 562.); tum carmen philosophicum περὶ φύσεως sive *de rerum natura*, item hexametris conscriptum, ex quo quae ab Aristotele, Cicerone, Plutarcho, Sexto Empirico, Stobaeo aliisque Xenophani tribuuntur placita, petita fuisse probabile fit. Carminum horum, quae auctor ipse Rhapsodorum more cecinisse dicitur Diogeni Laertio IX. 2. (ἐῤῥαψῴδει τὰ ἑαυτοῦ cf. Wolfii Proleg. ad Homer. p. 98.) pauca fragmenta collegit *H. Stephanus* in *Poësi philosophica* etc. Parisiis 1573. 8. p. 35-39. vertit *Füllebornius* in *Beiträgen zur Geschichte der Philosophie* P. VII. p. 6-15. addito contextu graeco notisque.

Eiusdem argumenti philosophici carmen unum vel plura, περὶ φύσεως, περὶ τοῦ νοητοῦ, περί τοῦ ἐόντος, et insuper *Cosmogoniam* et *Physiologiam*, quae tamen omnia non nisi unius *de natura rerum* partes fuisse videntur, tribuuntur *Parmenidi Eleatico*, Xenophanis discipulo, cuius aetatem Olympiadi LXXIX. anno a. Ch. 460. admovet *Füllebornius*, qui operis Parmenidei, (cuius initium Sextus Empiricus adv. Mathem. VII. 111., partem integriorem Simplicius ad Aristotelis Physicam servavit) fragmenta, post H. Stephani in Poësi philosophica curas, multo auctiora cum versione germ., animadverss. et prolegomenis edidit in libro laud. *Beiträge zur Gesch. der Philosophie* P. VI. 1791. 8. P. VII. p. 16-18. P. I. p. 45. a quo praetermissa ex Simplicio supplevit *Amadeus Peyronus* in *Empedoclis et Parmenidis Fragmentis e codice Taurinensi restitutis* et illustratis. Lipsiae 1810. 8. Cf. *C. F. Heinrichii* Spicilegium observationum in Parmenidis fragmenta, insertum Füllebornii libello laud. P. VIII. p. 191-200. Paucis his reliquiis firmatur veterum de obscuritate scriptoris huius iudicium, quam ex allegorica philosophandi mythosque priscos interpretandi ratione, qua usus est, maxime ortam esse recte monet *Menander* de encomiis c. 5.

§. 48.

Tertius est *Empedocles* Agrigentinus, Parmenidis, Socratis, Herodoti et tragicorum poëtarum principum aequalis, qui ab Ol. LXXVI. 4. a. Ch. 471. usque ad Ol. XCI. 4. a. Ch. 411. vixisse videtur, trium carminum didacticorum, dialecto Ionica conscriptorum, auctor, quorum laudatissimum erat *περὶ φύσεως τῶν ὄντων*, *de rerum natura* illud, libris III., versibus hexametris 5000, quo *Lucretio*, poëtae Romano, praelusisse putandus est. Duo reliqua inscripta fuere: *Καθαρμοί*, sive de purificando et perficiendo animo, deque expiationis et lustrationis ritibus religiosis; et *Λόγος Ἰατρικός*, *medicae artis praecepta* continens. Deperditorum poëmatum pauca quae supersunt, hic illic dispersa, fragmenta, ad versuum 426 numerum a *Sturzio* V. Cl., post H. Stephanum et Cudworthum, nuper diligenter collecta, disposita, emendata et docto commentario illustrata, praemissa de vita et philosophia Empedoclis disputatione critica, Lipsiae 1806. II Tom. 8., e Simplicii Commentarii in Aristotelem de Caelo codice ms. Taurinensi partim egregie restituit, et a foedis Aldinae editionis Simplicii corruptelis purgavit doctissimus *Amadeus Peyronus* in libro paulo ante laudato: *Empedoclis et Parmenidis Fragmenta* ex cod. Taur. biblioth. restituta et illustrata, Lipsiae 1810. 8 mai. cf. Beckii Acta Semin. Reg. Lips. Vol. I. p. 377 sq. Adde Ph. Buttmanni Obss. in Sturzii Empedoclea in Beckii Commentariis Soc. Philol. Lips. 1804.— Empedoclis autem nomen omnium consensu mentitur carmen astronomicum superstes, Arateo simillimum, *Sphaera* inscriptum, et versibus iambicis 168 satis comptis stellarum errantium et inerrantium nomina et situs enarrans, quod post *Fed. Morellum* (Lutetiae Paris. 1584. s. 86. 4.), edidit *Benj. Hederichius* Dresdae 1711. 4. et *I. A. Fabricius* Bibl. suae Graecae Vol. I. p. 816-825 ed. Harles. cum versione latina metrica et notis Florentis Christiani inseruit, ad multo serioris aetatis scriptorem, fortasse, Sturzio auctore, Mathematicum Alexandrinum probabiliter referendum.

§. 49.

Carminibus vetustorum poëtarum didacticis et sententiosis saepe insertae erant narrationes verae fictaeve, quibus praecepta generaliora, pro ingenii et sermonis prisci indole, hominum sensibus subiicere, ipsisque actionibus, casibus atque eventis declarare et illustrare annilerentur. *Fictarum* maxime originem et materiam praebuit observata *animantium* sive bestiarum, quibuscum, ut in illa morum vitaeque simplicitate, multo tum familiarius viverent mortales, unicuique generi una eademque ingenita natura, tum opinio vulgo credita, loqui animalia et rationis aliquem usum habere. Qua credulitate permotus nescio quis paulo sollertior, *fabulam* invenit (*μῦθον, αἶνον, λόγον, ἀπόλογον*), consilium secutus hominum rudiorum coetui erudiendo permovendoque aptissimum. Idem fabulae usus antiquissimus, neque indoles diversa apud alios populos, Orientis imprimis, verae apologorum patriae; unde vel vetustissimarum fabularum apud populos diversos similitudinem explicare licet, sive eas ab una gente ad alteram propagatas esse statueris, sive, rerum et hominum natura ita ferente, apud plures gentes diversos auctores easdem ultro excogitasse, haud absimile vero existimes. Quo altius autem infixae hominum memoriae haerebant, vulgique usu tritae erant atque decantatae: eo minus curiose in primos earum auctores, qui propter vetustatem fere ignorarentur, inquirebat antiquitas. Itaque factum esse puta, ut, quod in aliis quoque poëseos generibus usu venisse vidimus, ad *unum* quemdam auctorem, cuius in hoc genere prae ceteris maior esset fama atque auctoritas, fabulae pleraeque omnes referrentur.

§. 50.

Contigisse hoc apud Graecos *Aesopo*, gente *Phrygi* aut *Thraci*, ut perhibetur, tralaticium est. Cui vel omnino fabulae inventionem nonnulli perperam tribuerunt, parum quippe memores, monente iam *Quintiliano* (V. 11. 19), 'primum fabulae exemplum

in *Hesiodi* carmine (Op. et D. 203-211) reperiri, alias in *Archilochi* carminum fragmentis legi (§. 37. p. 52.): quem utrumque poëtam, maxime priorem, permultis annis ante fuisse nemo ignorat. *Stesichori* (p. 59) item fabulam *de equo* Himerensibus recitatam ex Aristotele (Rhetor. II. 20.) cognovimus. Aesopi vero ipsius vita, quam graece conscripsisse putatur *Maximus Planudes*, Sacc. XIV scriptor monachus, absurdis commentis plenissima, omni fide et auctoritate destituitur. Herodoto teste (II. 134) *Aesopus* Xanthi cuiusdam Samii servus fuit, et Iadmonis libertus, Croeso, Lydorum regi, imprimis acceptus. Delphis autem violenta morte periisse dicitur. Hinc Solonis et VII Sapientum aequalis, circa Olymp. LII. a. Ch. 570. floruisse putandus est. *Fabulas* autem, a se excogitatas, neque *litteris mandasse*, neque, ut nostri nunc fabulatores, merae oblectationis aut ingenii ostentandi causa, sed ex re nata, ut popularibus ad hoc vel illud agendum omittendumve auctor fieret, recitasse videtur. Vid. Aristoteles de Rhet. II. 20. 16. Phaedrus in fab. de ranis regem petentibus. Plato in Phaedone p. 60 sq. Quo ultimo loco quod Socrates, carcere inclusus, fabulas Aesopi versibus expressisse dicitur, argumento esse videtur, non actum agere voluisse philosophum, sed quas dudum memoriter tenuisset, metro vinxisse, necdum omnino scripta tum temporis fortasse exstitisse fabularum harum exemplaria. Quo minus miremur, et, quod iam ante monuimus, multo plures fabulas apud seriores pro Aesopeis haberi debuisse, quam re vera ab eo excogitatas esse credere licet, et fabularum, quae nunc sub Aesopi nomine leguntur, nullam *ipsa fabulatoris verba*, quibus tum usus fuerit, quum eam primus recitaret, repraesentare.

Lessingii tractatus quinque de fabulae natura, indole, usu etc. praemissi eiusdem fabb. Berolini 1777. 8. — *Jacobsii* Griechische Fabulisten in *Nachträgen* zu Sulzer's Theorie d. sch. K. T. V. p. 269. — *Huschkii* dissert. de fabb. Archilochi in A. Matthiae Misc. Philolog. Vol. I. pr.

§. 51.

Socratis enim exemplum modo commemoratum alii deinceps secuti, fabulas Aesopo vulgo adscriptas vario metri genere condiderunt, inter quos maxime innotuit *Babrius*, Phaedri et Augusti aetate centum circiter annis superior poëta Graecus, qui μύθους i. e. fabulas quae sub Aesopi nomine ferebantur versu *choliambo* sive *scazonte* h. e. iambo senario qui exit in spondeum vel trochaeum ligasse dicitur. Diversorum fabulas has metro vinctas serius exstitere qui in solutam orationem transferrent et variis modis imitarentur; partim adolescentes ingenii exercendi et formandae orationis causa, v. Quintil. Inst. Or. I. 9. idque iam labente Graecia factum esse, testantur variae Aesopicarum fabularum collectiones, quas *Bonus Accursius*, *Rob. Stephanus*, *Neveletus*, *Rochefortius*, *Matthaei*, *Tyrwhittus*, *Franc. de Furia*, Io. G. *Schneiderus* e codd. mss. ediderunt. *Babrii* tamen fabularum poëticarum sylloge, quae, *Suida* teste, *decem* libris constabat, et saeculo adeo XII. fortasse integra exstitit, plurimorum insequentium fabulatorum fons habendus est, ex quo, versu soluto, fabulas suas prosaria oratione descriptas haurirent, relictis tamen multis poëticae dictionis vestigiis, quid? nonnunquam adeo versibus totis seu dimidiatis. Id quod in fabulis a *Neveleto* editis, aliisque e cod. Bodleiano vulgatis, probatum iverunt *Bentleius* in dissert. *de Aesopi Fabulis* §. 7.; et *Tyrwhittus* in dissert. *De Babrio fabularum Aesopearum scriptore* Londini 1776. 8., recusa cum Auctario, quod Tyrwhittus Orphei Lithicorum editioni suae adiecerat, ab *Harlesio*, Erlangae 1785. 8.; nuper autem de fabulis e codd. Vaticanis a *Francisco de Furia* recens vulgatis, quarum nonnullae ipsis Babrii verbis redditae sunt, docuerunt tum doctus existimator in Ephemerid. litter Ienens. 1810 nr. 284. p. 469 sq. tum maxime *Corayus* V. C. in Aesopicarum fabb. plenissima editione sua Parisiis, 1810. 8. denique Cel. *Schneiderus* in fabularum e cod. Augustano novissima editione a se curata Vratislaviae 1812. 8., adhibita in restituendis genuinis Babrii fabulis *Buttmanni* et *Niebuhrii* opera. Easdem Ba-

brii fabulas Aesopicas prosa oratione reddidisse fertur *Syntipas* quidam, gente Persa, incertae scriptor aetatis, quem ante saeculum XIV. vixisse putant. Eas, Syriaca lingua conscriptas, *Michaël Andreopulus* grammaticus in graecum sermonem convertisse dicitur: quam versionem e duobus codd. mss. Mosquens. primus graece edidit, latinam vers. et animadversiones adiecit *Ch. F. Matthaei* Lipsiae 1781. 8. — Quae quidem Babriani operis vestigia, plurium Criticorum sagacitate eruta, eorumdemque doctissimis curis restaurata, adeo ut *quinquaginta* admodum, inque his *undeviginti choliambicas* Babrii. fabulas a I. G. Schneidero cum Augustani codicis illis editas, numerare nunc liceat, cum singulis versibus qui passim a Suida citantur, integri libri elegantissimi poëtae — qui, si nunc exstaret, Bentleio iudice, Phaedro merito opponi, nisi praeferri, posset — iacturam gravissimam reddunt. Nam quae editae quidem sunt sub *Gabriae* nomine vitiose scripto fabulae XLIII. *tetrastichis iambicis*, primum ab *Aldo Mauutio* graece et latine cum Phurnuto, Palaephato aliisque, Venetiis 1505. fol.; mox inter scriptores gnomicos a *Io. Frobenio*, Basileae 1518 et 1521. 8.; auctae deinceps *undecim* novis, itidem tetrastichis iambicis, e codd. Palatinis, sub eodem *Gabriae* nomine, a *Neveleto*: eas Babrii nomen mentiri, et a seriore Graeculo, fortasse *Ignatio* quodam *Magistro* seu *Diacono*, Seculi IXni scriptore et Patriarcha Nicaeensi, qui Babrii choliambos in puros senarios, absurdo artificio *quatuor versuum*, quibus singulas fabulas comprehenderet, adhibito, mutaret, procusas esse, praeter unam quadragesimam tertiam, de *Hirundine* et *Luscinia*, quae tredecim Choliambis absolvitur, et *genuinum Babrii* opus omnium consensu agnoscitur, acute iudicat *Bentleius*. — Parum autem feliciter in Babrii fabulis restituendis versatus esse existimatur *Xav. Bergerus*, qui nuper edidit *Babrii fabularum choliambicar. libros* III. Monachii 1816. 8. cf. Ephem. litter. Ienenses 1816. nr. 172 sq.

§. 52.

Librorum igitur mss. qui dictas *fabulas Aesopi* vel potius *Aesopeas* continent, alii aliis pleniores, praecipui sunt: 1. Codex *Boni Accursii*, primi editoris, qui fabulas Aesopicas 149. a *Maximo Planude* collectas vulgatasque, una cum vita Aesopi Planudea primum graece in lucem emisit Mediolani 14$\frac{7}{8}\frac{0}{0}$ quaternis; quae collectio omnium vulgatissima ab *Aldo Manutio* Venetiis 1505 graece et latine, forma max. tum a *Io. Frobenio* Basil. 1518. 8. aliisque deinceps iterum typis expressa est. — 2. Codex Reg. *Parisinus*, quo usus *Robertus Stephanus*, Henrici pater, novam fabb. Aesop. editionem, ad huius codicis fidem denuo emendatam, et XX novis fabulis auctam, vulgavit Parisiis 1546 quaternis. — 3. *Quinque* codices *Palatini* ab *Is. Nic. Neveleto* excussi, qui Francofurti 1610 et 1660 octonis edidit librum hoc indice: *Mythologia Aesopica* in qua Aesopi fabulae graecolatinae 297, quarum 136 (corrige 148) e codd. Palatinis descriptae primum prodeunt etc. opera et studio I. N. Nev. — 4. Codex *Bodleianus*, ex quo sagacissimus *Th. Tyrwhittus* aliquot fabulas Aesopeas nunquam antehac editas inseruit dissertationi suae supra laudatae *de Babrio, fabular. Aesopear. scriptore* Londini 1776. 8 mai. rec. ab Harlesio Erlang. 1785. 8. — 5. Codex *Casinensis abbatiae Florentinae* et codd. *Vaticani* e quibus nuper *Franciscus de Furia* Aesopi fabulas edidit ita inscriptas: *ΑΙΣΩΠΟΥ ΜΥΘΟΙ. Fabulae Aesopiae quales ante Planudem ferebantur* ex vetusto cod. abbatiae Florent. nunc primum erutae, latina vers. notisque exornatae. Pars I. II. Florentiae 1809. 8. quae Florentina editio, sed novis additamentis aucta, denuo repetita est Lipsiae, curante *G. H. Schaefero*, 1810. 8. eodemque anno et loco iterum in scholar. usum hoc indice: A. M. Fabulae Aesopicae a Fr. de Furia tum primum e codd. editae, tum aliunde collectae. Notas criticas et indicem graecit. adiecit *Car. E. Chr. Schneider* Lips. 1810. 8. — 6. Codex *Augustanus*, 231 fabulas continens, ab *Huschkio* (in diss. de fabb. Archilochi) descriptus, ceteris ditior et praestantior, quia maiorem fere ubique et inventionis

et orationis antiquitatem prae se fert, cuius apographum Reiskianum, Lessingii ingeniosissimi annotationibus ditatum, nactus *I. G. Schneiderus*, cum fabulis *Babrii* choliambicis collectis omnibus, et *Menandri* sententiis singularibus, recensuit, emendavit, typisque excudendum curavit Vratislaviae 1812. 8. — 7. Codex Reg. *Parisinus*, e quo *Rochefortius* duodetriginta fabulas nondum editas primus vulgavit in *Notices et Extraits des Mss. de la Bibl. du Roi* T. II. — quas posthac doctissimus *G. H. Schaeferus* Fabular. Aesopicar. quae Planudi tribuuntur novae editioni suae adiecit Lipsiae 1810. 8. — Exercitationi autem scholasticae haud dubie debentur Fabulae Aesopicae *quadraginta* numero, quas *Aphthonius*, saeculi IVti vel Vti rhetor (nam aetas eius certe definiri nequit) vulgavit, quaeque cum eiusdem Progymnasmatis primum editae sunt apud Commelinum 1597 octonis, tum Parisiis 1627. 8.

Quae praeterea magno numero habentur Aesopi editiones, modo omnes fabulas adhuc repertas, modo solas *Planudeas* exhibent, inter quas praecipue memorandae *Hudsoniana* Oxonii 1718. 8., repetita Lipsiae 1741. octonis mai. curante *F. G. Hauptmanno*; *Heusingerianae* tres, ultima cum *Klotzii* praefatione Lips. 1770. 1776. et 1799. 8.; *Ernestii* iunioris editio Appendicis Fabb. a Neveleto primum vulgatarum, Lipsiae 1781. 8. — (*G. H. Schaeferi*) Fabb. Aesopicae graecae quae Max. Planudi tribuuntur, cum Io. Hudsoni et I. M. Heusingeri notis atque indice verbor. locupletiss. editio nova, multo emendatior, auctaque supplemento fabularum (XXVIII ab *Rochefortio* loco laud. et aliquot ab *Imm. G. Huschkio* e cod. Augustano primum editarum in Misc. Philolog. A. Matthiae I. p. 9 seqq.) et notarum. Lipsiae 1810. 8. — denique *Adam. Corayi*, viri egregii, qui fabularum Aesopearum exempla graece scripta pleraque omnia in corpus unum collecta, emendata atque aucta nuper edidit inter *Parerga Bibliothecae Hellenicae: Παρέργων Ἑλληνικῆς βιβλιοθήκης Τόμος δεύτερος. Μύθων Αἰσωπείων συναγωγή.* Parisiis 1810. 8. — Cum notis germanico sermone scriptis in tironum usum fabulas Aesopeas a Planude vulgatas edidit *H. F.*

M. Volgerus, Lipsiae 1811. 8. — De reliquis, tum edd. fabb. Aesop., tum versionibus et imitationibus aliisque libris huc pertinentibus vid. *Harlesius*; *Mohnikius* p. 296 sq. et *Brehmii* Bibliographisches Handbuch T. II. p. 35.

La vie d'Ésope par *Bachet de Meziriac* Burg. 1632. 16. latine versa in ed. Hudson. et Hauptm. — *Bayle* Dict. crit. sub vocc. — *Richard Bentley* Dissertation upon the Epistles of Phalaris — and the Fables of Aesop. Londini 1697. et 1705. 8. latine versa a *Dan. Lennepio* in Phalaridis Epp. editione, Groning. 1774. 4. inserta *Bentleii* Opusc. philol. Lips. 1781. 8. et Aesopi Fabb., curante de Furia, editioni Lipsiensi.

AETAS SECVNDA.

Historiae, Philosophiae, Poësis Dramaticae et Eloquentiae studia vigent
ATHENIS.

Summorum quae Graecia tulit ingeniorum Aetas haec feracissima, quorum ducit chorum *Socrates*, claudit *Demosthenes*.

490 — 324 ANTE CHR. N.

§. 53.

Epici quidem, *lyrici* et *didactici* carminis Graecorum copiis hactenus enarratis, *dramaticae* quoque poësis egregiae reliquiae statim subiungi potuissent. Sed quum *dramatis perfectio* ad serius aliquantum tempus pertineat, *Attici* potissimum *sermonis* et *culturae* laetissimis incrementis memorabile; eademque *historiae* et *philosophiae* studiis, quae iisdem Athenis iam fervebant, demum successerit; haec ipsa autem historiae et philosophiae studia *prosae* orationis inventione, quam *scriptoriae artis* ad iustos libros conficiendos usus, a Solonis inde aetate in Graecia pervulgatior, adiuverit, maxime niterentur: commodius visum est, de dramate et poëtis dramaticis sermonem tum *secundae* huic literarum Graecarum *aetati* reservare, tum haud prius ordiri, quam de *historicis* et *philosophis* Graecis disputatum fuerit.

Historiae vero apud Graecos initia a *cyclicis car-*

minibus repetenda esse, iam supra proditum est (§. 28 extr.). In quibus quum antiquissima opinionum, rerum, populorum, urbium, heroum memoria, fama prisca accepta et poëticis coloribus exornata, certa autem temporis notatione, praeterquam quod per genealogias omnia descripta erant, destituta contineretur: primi prosa oratione narratores, quos, Thucydide auctore (I. 22.), λογογράφους appellare licet, nihil aliud egere, nisi ut tum deorum heroumque genealogias resque gestas, populorum atque urbium origines mythicas (κτίσεις), ab epicis et maxime *cyclicis* poëtis celebratas, sine crisi, oratione redderent metro quidem soluta, ceterum poëticae quoad materiam et formam simillima; tum quae ex aliis rerum hominumque monumentis, quae passim exstabant, eorumque interpretibus indigenis didicerant, fideliter referrent, litterisque consignarent. Vid. Strabo I. p. 34. coll. Thucyd. I. 21. Dionys. Halic. T. VI. p. 819 sqq. ed. Reisk. Iam qui primi rerum Graecarum et exterarum eiusmodi enarratores, soluta usi oratione, laudantur, et *mythographorum* nomen a *Strabone* (I. p. 53.) iis inditum meruerunt, intra Olymp. LX et LXX. paulo ante Persica bella floruisse, atque huius etiam inventionis laudem *Ioniae* patriae suae vindicasse putandi sunt. Antiquissimus enim et prosae orationis historicae quasi auctor perhibetur *Cadmus Milesius* (Strabo I. p. 48 ed. Siebenk. Plin. H. N. VII. 57.): cui a Dionysio Halic., loco in hac re palmario, de Thucyd. Iudic. Opp. T. VI. p. 818 sq. adiunguntur *Acusilaus* Argivus, qui Hesiodi carmina in prosam orationem convertisse h. e. in epitomen redegisse dicitur (cf. *Sturzius* in Fragm. Acusilai. *Heynius* ad Apollodor. T. II. p. 351.), *Eugeon* Samius, *Deïochus* Proconnesius, *Eudemus* Parius, *Democles* Phigaleensis, *Hecataeus* Milesius, *Charon* Lampsacenus, *Amelesagoras* Chalcedonius. Cf. Ioseph. I. contra Apion. Praeter quos, eodem temporis ambitu, nec ratione diversa, mythica Graecorum et exterorum populorum tempora enarrarunt *Pherecydes Lerius* sive Atheniensis, dictus hinc γενεαλόγος, Grammaticis antiquioribus maxime frequentatus; *Hellanicus* Lesbius, *Damastes* Sigeensis, et *Dionysius* Milesius, qui extre-

mus, teste *Diodoro Siculo* III. 65 sq. et *Eudocia* in Violario ap. Villoison. Anecdot. T. I. p. 128. universam historiam mythicam, ex iisdem fontibus haustam, ordine quodam et ad verae historiae modum, singulari opere in *quinque* libros dispertito, quod *κύκλος ἱστορικὸς* inscribitur, exposuisse fertur; idem, tritissimo hoc *λογογράφων* orbe tandem relicto, ad *sui temporis* res gestas maxime memorabiles in *Persicis* (*τὰ Περσικά*) et *Rerum post Darium* historiis (*τὰ μετὰ Δαρεῖον*), fortasse binis unius operis partibus, enarrandas progressus. Quam multiplex autem et varium operum a logographis his conditorum argumentum fuerit, quamque late tum patens exterarum gentium atque terrarum itineribus cognitarum notitia, e solius *Hellanici*, cuius natales in Olymp. LXX vel LXXI. incidunt, librorum indice intelligitur. In his etiam *Κτίσεις* h. e. mythicae de *Vrbium et Insularum originibus* narrationes numerantur; quarum si plures uno opere continebantur, *Περιηγήσεων* et *Περιόδων* nomen acceperunt: ut *Hecataei* Milesii laudatur *Ἀσίας περιήγησις*, *Εὐρώπης περίοδος*, haud dubie partes eius *Περιόδου Γῆς*. In quibus ut *Geographiae* initia animadvertere licet, ita *temporum* quoque *rationem* primi habuisse feruntur *Theagenes* et *Hippys* Rhegini, e Magna Graecia, Cambysis circiter aetate, qui *sacerdotum Argivarum* et *Sicyoniorum ἀναγραφὰς* i. e. *tabulas* confecerunt; cuiusmodi scriptum etiam *Hellanici* esse videtur quod passim commemoratur: *Ἱέρειαι τῆς Ἥρας Sacerdotum Iunonis Argivae recensus.*

Iam vero ex operibus his logographorum, quos memoravimus, dudum deperditis multa apud seriores historicos, mythographos, et veterum poëtarum commentatores, *Scholiastas* dictos, servata leguntur, digna utique, quae diligentius conquirantur, inque iustum librorum rerumque ordinem redigantur. Id quod in nonnullis etiam effecere viri doctissimi, *F. W. Sturzius*, tum *Hellanici Lesbii* editis Fragmentis Lipsiae 1787. 8. tum *Pherecydis Lerii* et *Acusilai* illis, Gerae 1789. 8. — et *F. Creuzerus*, *Hecataei*, *Charonis* et *Xanthi* reliquiis una vulgatis, hoc indice: *Historicorum Graecorum antiquissimorum Fragmenta collegit, emendavit, explicuit, ac de cu-*

iusque scriptoris aetate, ingenio, fide, commentatus est F. C. Heidelbergae 1806. 8.

Heynii Commentatio de Apollodori Bibliotheca, contextui Graeco in sec. edit. praemissa. pag XXX–XXXV. *Eiusdem* Comm. de primordiis historiae scribendae inter Graecos — in Commentatt. Soc. Reg. Gotting. T. XIV. 1801. 4.— *Fr. Creuzeri* Die historische Kunst der Griechen. Lipsiae 1803. 8. — *Nic Falkii* de Historiae inter Graecos origine et natura commentatio Kieliae 1809. 8 — *A. Wendtii* Comm. de poëseos epicae atque historiae confinio. Lipsiae 1811. 4. — On certain early Greek Historians mentioned by Dionysius of Halic. — in *Museo Critico* or Cambridge Classical Researches 1812 Nr. I.— *F. A. Ukerti* Untersuchungen über die Geographie des *Hekataeus* und *Damastes*. Vimariae 1814. 8 — *Aug Matthiae* De Pherecydis Fragmentis — in F. A. Wolfii Analectis Litterariis T. I. p. 321–331.

§. 54.

„Processum tandem est ad *illud historiarum genus*, „quod eo nomine *vere* dignum haberi debet, ut per„scriberentur ea, quae evenisse aliquis aut ipse vidisset, „aut ab aliis, qui viderant, cum fide tradita accepis„set“ *). Quorum auctorum chorum ducit, quamquam in nonnullis historiae partibus a decessorum suorum ἀκρισίας culpa vix liberandus, eiusdem cum Cadmo, Hecataeo, Pherecyde, Dionysio. Hellanico, aliisque, patriae Asiaticae particeps, *Herodotus*, *Halicarnasso*, Cariae urbe in Asia minore, honesto loco natus circa Olymp. LXXIV. 1. a. Ch. 484., Panyasis poëtae propinquus, sed qui patria mature relicta, in insulam Samum concedens, mox, historiam scribendi capto consilio, per omnem Graeciam, Macedoniam, Thraciam, ultra Istrum et Borysthenem, per maximam Asiae partem, Aegyptum et Africam, itinera fecit. Samum denuo regressus, historiarum in itinere fortasse inchoatum opus pertexuit, easque, saltem operis partem, primum in *conventu Olympico* Olymp. LXXXI. 1., tum *Corinthi*, et decem annis post, Ol. LXXXIII. 3. *Athenis*, in festi *Panathenae-*

*) *Heynii* verba sunt in Commentat. de Apollodori Biblioth. p. XXXV.

orum celebritate, publice recitasse videtur. Sub idem tempus (Ol. LXXXIII, 3.) coloniae, ab Atheniensibus *Thurium* in Magnam Graeciam deductae, eum comitem se adiunxisse tradunt, ibique per otium historiarum libros a se dudum perscriptos retractasse probabile fit. Cf. Wesselingius in praefat. ad Herodot. p. 2. In eadem urbe vitam eum finiisse, colligitur e Suida, et epigrammate apud Stephanum Byzantium, v. Ruhnkenium ad Hom. Hym. in Cer. 83. coll. Hermanno ad Aristoph. Nubes p. 324. Mortis tempus autem ignoratur. Aetate tamen provectior obiisse, certe Peloponnesiaci belli (Ol. LXXXVII. 1.) tempora attigisse videtur, auctore Dionysio Halic. de Charactere Thucyd. p. 138. et Wesselingio, loco laud. Argumentum vero operis eximii, in *novem* libros, Grammaticorum lusu *Musarum nominibus* inscriptos, distributi, quod in historicis tam unicum exstat, quam in epico carmine Homerus; argumentum, inquam, primarium historiae Herodoteae, ex auctoris consilio, in *bellorum, asserendae libertatis Graecorum causa contra barbaros populos, maxime Persas, gestorum* expositione versatur: sed descriptio et forma totius operis, ad epicae poëseos naturam constituta, fusae narrationis candor et summa simplicitas, orationis vividae suavitas, quid? ipsa *dialectus*, qua usus est scriptor ingeniosissimus, abunde docent, ad quod potissimum exemplum historias suas composuerit. Enimvero vel sic nec fide, nec auctoritate, in iis maxime quae a se ipso visa et perlustrata exponit, illum carere multa vincunt argumenta, recentiorum itinerariis ac pervestigatione egregie nunc firmata. — De Codd. Mss. Herodoti v. Fabricius Harlesian. Vol. II. p. 335. — *Graeci contextus principem editionem Aldinam*, Venetiis 1502. f. m. praecesserat, annis propemodum triginta, *versio* Herodoti *latina*, a *Laurentio Valla* e Cod. Ms. confecta, ac primum edita Venetiis 1474 f. m. Insecutae sunt editiones *Io. Camerarii* Basil. 1541. et 1557. fol. — *H. Stephani* 1570. et 1592. fol. — *Thom. Gale*, Londini 1679. et *Iac. Gronovii* Lugd. Bat. 1715 fol. Ceteris vero palmam praeripuit editio *Petri Wesselingii* cum L. Vallae interpretat. lat. et *Galii, Gronovii, Valckenarii*, et editoris annotatione, Amste-

lod. 1763. f. m. Inchoatam inde a doctiss. *F. V. Reizio* (Lipsiae 1776. 8. recus. ibid. 1807. 8.) compendiariam editionem continuavit *G. H. Schaeferus*, Lipsiae 1800. 8, iterumque a se recognitam 1812. 8. Idem novam suis curis adornavit Lipsiae 1800 sqq. III Voll. octonis.— Wesselingianam contextus Herodoti recensionem ad Codd. Mss. fidem denuo collatam recognovit, et cum vers. lat. emendata, lectionis varietate atque annotatione Wesseling. editionis suisque notis nuper edidit doctissimus *Io. Schweighaeuserus* Argentor. et Paris. 1816. VI Voll. 8. — Praecesserat *A. C. Borheckii* editio altera Lemgoviae 1808 sqq. 3. Voll. 8mai. — Nitida et accurata contextus Graeci editio prodiit apud Tauchnitzium, Lipsiae 1815. 3 Voll. 12. — Herodoteae historiae particulam edidit *Dav. Schulzius* hoc indice: Herodoti libri (a cap. 94. libri sexti) qui enarrationem pugnar. inter Graecos et Persas complectuntur, cum summario animadversionum superior. interpretum atque suis. Halae Saxon. 1809. II. Voll. 8. *Versionum* Herodoti praestantissimam, *gallico sermone*, subiecta annotatione critica, historica, et disquisitione de chronologia Herodoti, debemus eruditissimo *Larcherio*, quae secundis curis multo auctior prodiit Parisiis 1803. IX Voll. 8. *E germanicis*, ceteris praestat nuperrima, auctore *Fr. Langio*, Berolini 1811 sq. II Voll. 8. — *Chronologiam* Herodoti singulari libro docte explicuit *C. F. Volney*, Paris. 1807 sqq. II Voll. 8.— De *Geographia Herodotea* multi scripserunt. v. Harles. Satis est commemorare: *James Rennel The geographical System of Herodotus* etc. Londini 1800. 4. et *Mannerti Geographie der Griechen und Römer* T. I.

Gattereri Comm. de contexto historiar. Herodoti — in Bibl. histor. univers. T. II. p. 46 sqq. latine versa in Borbeckii editionis Herod. T. II. — *Fr. Creuzeri* Herodot und Thucydides. Lips. 1798 et Marburgi 1803. 8. — *Eiusdem* Commentationes Herodoteae. Aegyptiaca et Hellenica. Pars I. Lipsiae 1819. 8 mai. — *Bredowii* Geographiae et Uranologiae Herodoteae Specimina. Helmstadii 1804. 4. — *Böttigeri* De Herodoti historia ad carminis epici indolem propius accedente. Vimariae 1792 et 1793. 4. — *G. Knoesii* Disquis. de fide Herodoti etc. Gottingae 1806. 4. — *D. F. Krusii* Ueber Herodots Ausmessung des Pon-

tus Euxinus, Bosporus, Hellesp und der Propontis etc. Vratislav. 1818. 8 — *I. G. Rhode* Ueber Herodot u. die Glaubwürdigkeit seiner Geschichten — in *Eiusdem* Beiträgen zur Alterthumskunde Berol. 1820. 8. II. p. 1—40.

§. 55.

Herodotei operis praestantia et celebritas excitarunt *Thucydidem* Olori filium, Atheniensem, cuius natales in Ol. LXXVII. 2, a. Ch. 471. incidunt, vitam graece descripsit *Marcellinus*, ut, quum praefectus copiarum in bello Peloponnesiaco, re infeliciter gesta ad Amphipolin Ol. LXXXIX. 1., popularium suffragiis a muneribus bellicis remotus, atque exilio multatus, in *Thraciam* secessisset, eiusdem *belli Peloponnesiaci historiae* conscribendae per viginti annos intentus, neque studio nec opibus parceret. In quo acerrimi ingenii, accuratae diligentiae, elocutionis strictae ac plenae nervorum et roboris, partu consummatissimo, incertum est, rerum narratarum fidem, an narrationis, in summa verborum paucitate, copiam et gravitatem magis admiremur. Dicendi certe artem in narrationibus, quas *primus* fere, saltem multo frequentius quam praegressi historici, historiis suis insereret, *Antiphontis* rhetoris clarissimus discipulus, prodidit tantam, ut oratorum summus, Demosthenes, ad gravissimum hoc exemplum se compositurus, eas manu sua octies vel decies descripsisse dicatur. v. Lucian. adversus Indoctum T. II. p. 380. cf. Cic. de Orat. II. 13. Paulo aliter tamen idem sentit in Orat. c. 9. §. 30. Discrimen autem inter Herodotum et Thucydidem acute dispexit et eleganter declaravit his verbis Quintilianus X. 1. 73: „Historiam multi scripsere praeclare, sed nemo dubitat duos longe ceteris praeferendos, quorum diversa virtus laudem paene est parem consecuta. *Densus* et *brevis*, et semper *instans sibi Thucydides: dulcis* et *candidus* et *fusus Herodotus*: ille *concitatis*, hic *remissis affectibus* melior; ille *concionibus*, hic *sermonibus*; ille *vi*, hic *voluptate*.“

Historia Thucydidea, cui descriptio egregia status Graecorum, ab antiquissimis inde temporibus usque ad Persica bella, praemittitur, belli Peloponnesiaci causas persequens, anno ante belli huius initium (Ol.

LXXXVII. 1.) *septimo* incipit, inque *vigesimi* eiusdem belli anni enarratione subsistit; liber tamen *octavus* (totidem enim *nunc* numerantur), ceteris inferior habitus, a nonnullis Thucydidi abiudicatur.

De Codd. Mss. Thucydidis v. Fabric. Harlesian. Voll. II. p. 729 sqq. — *Editionum princeps Aldina* est, Venetiis 1502. fol.; ad lectionis usum magis commendandae sunt editiones *Duckeri* et *Wassii* cum interpret. latina, Scholiis graecis et notis, Amstelod. 1731. fol. et hinc expressa *Vindobonensis*, curante *Altero*, cum VV. LL. codd. Vindob. aliorumque, 1785. II. Tomis. 8. et *Bipontina* 1788. VI Tom. octonis. Novam inchoaverat *Gottleberus*, quam *Bauerus* continuavit, ediditque Lipsiae 1790. 4. absolvit autem C. D. *Beckius*, altero volumine adiecto, Lipsiae 1804. 4. nuper etiam *tertio* promisso, quod *Glossarium* Thucydideum complectetur. Idem *Beckius* minorem Thuc. editionem graece ad codd. fidem recensitam, criticaque annotat. et glossario instructam suis curis vulgatum iri nunciavit. — Tredecim Codd. mss. bibl. reg. Paris. contulisse se professus est *I. B. Gailius* V. C. in splendida editione Thucydidis quae graece, cum vers. lat. et gallica, lect. varietate notisque prodiit Parisiis 1810. X Voll. 4. et 8. quam versionis Gallicae editio praegressa erat ibidem 1807. — Criticam et exegeticam operis Thucydidei et scholior. editionem nunciavit *Ern. Frid. Poppo*, cui idem vir doctissimus praelusit egregiis *Observationibus criticis in Thucydidem*, editis Lipsiae 1815. octonis. — In usum scholarum Thucydidem ediderunt *Bredenkampius*, Bremae 1791. sq. II Voll. 8. — Fratres *Zosimae*, una cum Scholiis, Venetiis 1802. II Voll. 8. — et nuper *Petrus Elmsleius*, Edinburgi 1804. VI Voll. in 8. seu 12. mai. de qua nitida edit. cf. *Wolfius* in Anal. Litter. T. I. p. 481. Adde Tauchnitzianam Lipsiae 1815. II Voll. 12., et maiorem ex recens. et c. notis *Frid. Haackii*, Lipsiae 1819. 4. mai. — Commentarii perpetui instar habenda est interpretatio *germanico* sermone confecta, et doctis observationibus illustrata a *Io. D. Heilmanno*. Lemgoviae 1759. 8. secundum edita cum animadvers. correctionibus et supplementis, etiam seorsum vulgatis, a *G. G. Bredowio*, ibid. 1808. 8. mai. *Gallice* verterunt

P. C. Levesque, Parisiis 1795. IV Voll. 8. et *Gailius* Parisiis 1807. X Voll. in 4. et 8. cum commentat. de Thucydide (Mémoire sur Thucyd.). Herodoti et Thucydidis scripta ad artis historicae rationes et praecepta exegit *Fr. Creuzerus* in libello: *Herodot und Thucydides* etc. Lipsiae 1789. 8.

Dionysius Halic. De Thucydide iudicium. — *Henr. Dodwelli* Annales Thucydidei et Xenophontei. Oxonii 1702. 4. repet. in edd. Duckeri et Beckii. — *T. Fr. Benedicti* Commentarii critici in octo Thucydidis libros. Lipsiae 1815. 8. mai. — *Eiusdem* Observationes ad quaedam Thuc. loca 1813. 4. — *Frid. Rothius* Ueber Thucydides u. Tacitus. Vergleichende Betrachtungen. Monaci 1813. 4. — *C. F. F. Haackii* Kritischer Beitrag zum Vten Buche des Thucyd. Stendal 1817. 8.

§. 56.

Historiae Graecorum bellique Peloponnesiaci filum, a Thucydide incisum, pertexuerunt *Cratippus*, *Xenophon*, *Theopompus*. Cratippi, cuius interierunt historiae, memoriam servavit Dionysius Halic. de Thucydide p. 847. Reiske, et Marcellinus in vita Thucydidis.

Xenophon Atheniensis, Socraticus, natus Ol. LXXXIII. 2. post Ol. CV. 4. a. Ch. 357. demum obiisse fertur Corinthi. Prima stipendia in bello Peloponn. meruit. Annos circiter XLV natus, *Cyro* iuniori, contra fratrem *Artaxerxem* Mnemonem, Persarum regem, bellum paranti se adiunxit. Quo in pugna interemto, et Graecorum auxiliorum praefectis e medio sublatis, *decem millia Graecorum* per medias hostium terras, longissimo itineris tractu, imperator copiarum, in Graeciam reduxit. Non multo post sub *Agesilao* Lacone militans, quum ab Atheniensibus exilio multatus esset, primo *Scilluntem*, mox *Lepreum*, Elidis vicos vel oppidula, postremo, redux factus, Athenis *Corinthum* se contulit, ubi reliquum vitae in otio honesto, philosophiae ac historiarum studiis deditus, transegit. Patriae ingratae iniuriam tam aequo tulit animo, ut Atheniensibus, contra Thebanos bellum gerentibus, duos quos susceperat filios mitteret militatum, quorum alter, *Gryllus*, in prae-

lio ad *Mantineam* fortissime pugnans occubuit. Xenophontem scriptorem inter Atticos praestantissimum praecipue commendant orationis leniter fluentis summa simplicitas, perspicuitas, copia et mira suavitas ac dulcedo. Servata sunt, et pro genuinis Xenophontis scriptis habentur: 1) *Hellenica* l. VII., historiae Thucydideae continuatio inde ab Ol. XCII. 2. usque ad pugnam Mantineensem Ol. CIV. 2. 2) *Anabasis* sive *Expeditio Cyri* iunioris, l. VII. quam tamen nonnulli Xenophonti abiudicant v. prolegg. *Mori* ad Hellen. c. VI. p. XXXV sqq. et *Weiskius* in praefat., vindicat autem *Schneiderus* in Epist. ad Buttmannum editioni suae praefixa p. IX sq. 3) *Cyropaedia* l. VIII. sive de educatione, disciplina et vita Cyri maioris; praeter *epilogum* operis, qui spurius esse iudicatur. 4) *Memorabilia Socratis* l. IV. opus egregium, sapientissimi viri, cuius nomen prae se fert, et ingenium et philosophandi rationem luculenter definiens. 5) *Oeconomicus* s. de re domestica administranda. 6. 7) *De republica Lacedaemoniorum* et *de rep. Atheniensium*, duo breviores libelli; de quorum fide tamen dubitari potest. Prior iam a Demetrio Magnesio Xenophonti abiudicatur. Vid. *Boeckhius* in libro qui inscrib. *Die Staatshaushaltung der Athener* T. I. p. 48. et 344. et *Schneiderus* in novissima Xen. quam curavit editione. 8) *Πόροι ἢ περὶ προςόδων*, i. e. ratio redituum comparandorum. 9. 10) *Περὶ τῆς ἱππικῆς*, de re equestri, et *Ἱππαρχικός* s. de officiis Magistri equitum. 11) *Hiero* Syracusanorum rex, i. e. *Simonidis poëtae cum Hierone colloquium de misera tyrannorum conditione.* 12) *Συμπόσιον* s. Convivium Philosophorum. 13) *Agesilaus*; celeberrimi Spartanorum regis elogium, quod tamen non a Xenophonte, sed a Sophista quodam profectum esse contendit *Valckenarius*, dissentiente *Reitzio* de prosod. accent. inclinat. p. 38. et *Kühnio* in Vindiciis Agesilai Xenophontei Lipsiae 1777. — 14) *Κυνηγετικὸς* sc. *λόγος*, sive de Venatione liber. Denique *Apologia Socratis*, liber in primis Xenoph. editionibus desideratus, nec nisi e Memorabilibus Socratis, genuino opere, fere consarcinatus, plurium Criticorum consensu, merito habetur pro supposititio.

Edita *primum* sunt Opera Xenoph. Florentiae ap. Iuntam 1516. Fol. ex codice mutilo et vitioso. Praestant *Aldina* editio, curante *Asulano* 1525. fol. H. *Stephani* binae Paris. 1561 et 1581. f. *Leunclavii* cum versione latina, Basileae 1539. fol. bis repetita. Nitida quidem est editio *Eduardi Welsii* gr. et lat. Oxoniae 1703. V Voll. 8. sed parum accurata, contextu Xenoph. plurimis in locis temere imminutato atque corrupto. Welsianam tamen typis repetendam curavit *C. A. Thiemius*, Lipsiae 1763 sq. IV tomis oct. (recus. ibidem 1801.), cui editioni indicem, tum verborum, tum historicum, una cum lectionis varietate, ab ipso Thiemio inchoatum, accuratissima diligentia adstruxit *Sturzius* V. Cl. edito *Lexico Xenophonteo* Lipsiae 1801. sqq. IV Voll. 8. — Insecuta est *Beni. Weiskii* editio cum notis criticis et exegeticis, Lipsiae 1798 sqq. VI Voll. 8. — Tum *I. B. Gailius* ab anno inde 1804. usque ad 1816. Xenophontis opera edenda curavit VII partibus, sed X voll. quaternis, Graece, cum vers. latina, suaque Gallica, Var. Lect. notisque criticis, additis tabb. geogr. et figuris aeri incisis LIV., et XXXV speciminibus Msstor. librorum, hoc indice: Oeuvres complettes de Xenophon, traduites en français et accompagnées du texte grec, de la version latine et de notes critiques etc. Parisiis T. I—VII. X Voll. 4. quibus adduntur eiusdem Viri Doctissimi *Observations militaires* et *géographiques*, quae uno volumine ibidem prodierunt. — Denique plena operum Xenophontis editio critica et exegetica novis maxime curis eruditissimi *Io. G. Schneideri* vulgata est Lipsiae 1815. VI tomis, octonis, quorum primus Cyropaediam, IIdus Anabasin 1806. *tertius* Hellenica 1791. *quartus* Memorab. et Apologiam Socr. 1801. *quintus* Oeconomicum, Sympos. Hieron. Agesil. 1805., *sextus* Xen. opuscula politica, equestria et venatica, cum Aeliani libello de Venatione 1815. 8. continet. — *G. H. Schaeferi* studio et doctrinae eximiae debemus nitidam contextus Graeci, ad fidem librorum et coniecturas virorum doctorum emendati, editionem Tauchnitzianam, Lipsiae 1811—1818. VI Voll. duodenis. — Singulorum Xen. Scriptorum, imprimis *Cyropaediae*, *Hellenicorum*, *Memorabilium*, *Anabasis*, in schola-

rum usum plures, inque his partim egregiae editiones adornatae sunt ab *Hutchinsono*, *Bachio*, *Ernestio*, *Zeunio*, *Moro*, *Schneidero*, *Schützio*, *Bothio*, *Teuchero*, *Weckherlino*. — *Fischeri* commentarium in Xenoph. Cyropaediam edidit *C. Th. Kuinoel*, Lipsiae 1803. 8. — Xen. *Encomium Agesilai* cum Plutarchi Agesilao in scholar. usum edidit, notisque illustravit *C. Guil. Baumgarten-Crusius*, Lipsiae 1812. 8. — *Hipparchicum* et *De re equestri libros duos* Graece cum vers. Gallica notisque vulgavit nuper *Courierus*, idem vir doctus qui Pastoralium Longi lacunam e Cod. Ms. supplevit, hoc indice: Du Commandement de la Cavalerie et de l'Équitation, deux livres de Xenophon, traduits par un officier de l'Artillerie à cheval, Paris 1812. 8. — *Symposium* separatim edidit cum notis *Guil. Langius*, Halae 1802. 8. — *I. L. Hempelii* Specimen novae Xenophonteorum Hellenicorum editionis. Sondershusae, 1819. 8. —

Operum Xenoph. versionem Gallicam *Gailii* cura confectam laudavi. *Germanicae Borheckii*, *Lasii*, *Grillonis*, *Meyeri*, insunt collectioni quae inscribitur: *Sammlung der neuesten Uebersetzungen der griech. prosaischen Schriftsteller*. Quibus adde, quae nuperrime prodiit, *I. I. Hottingeri*: Xenophon's Denkwürdigkeiten des Socrates. Turici 1819. 4. — *Anglicas* enumerat *Brüggemann* in *A view of the English editions, translations and illustrations of the ancient Greek and Latin authors*, Stettin 1797. 8. p. 132 sqq. et *Supplement* etc. ibid. 1801. p. 52 sqq. De reliquis vid. *Harlesius* in Introd. T. I. p. 380 sqq. et in Supplem. T. I. p. 187 sqq. Idem in Breviore Notitia Litterat. Graecae p. 148 sqq.

Comitis Fortiae Urbani Vie de Xenophon, suivie d'un Extrait historique et raisonné de ses ouvrages etc. *Eiusdem* Mélanges de Géographie, d'Histoire et de Chronologie anciennes; avec deux Cartes et un Mémoire de M. Barbié du Bocage, destinés à servir de supplement à l'histoire et aux Oeuvres de Xenophon etc. Utriusque libri notitiam debemus *Fr. A. Wolfio* in Analect. Litterar. T. II. p. 226. — *F. Creuzeri* dissertatio *de Xenophonte historico, simulque de historiae scribendae ratione quam inde ab Herodoto et Thucydide scriptores graeci secuti sunt*. Lipsiae 1792. 8. — *Aug. Boeckhii* Comm. Acad. de Simultate quae Platoni cum Xenophonte intercessisse fertur, Berolini 1811. 4. — *Fr. Aug. Bornemanni* de gemina Xen. *Cyropaediae* et *Mas.*

Tyrii recensione dissert. crit. P. I. II. Schneebergi 1814sq. 8 m. — *Dav. Schulzii* Diss. duae de Cyropaediae epilogo Xenophonti abiudicando. Halae Sax. 1806. 8 m. — Der Epilog der Cyropaedie von X. durch philosophische, historische u. philologische Anmerkungen erläutert, aus unbenutzten Handschriften verbessert und gegen *Szulze's*, *Schneider's*, *Heindorf's* u. A. Zweifel gerechtfertigt von *F. A. Bornemann*, Lipsiae 1819. 8. — *Bremii* Comm. *Ueber Xenophon's Hiero* — in *Eiusdem* et *L. Döderleinii* Philolog. Beiträgen aus d. Schweitz. T. I. Nr. 8. Turici 1819. 8. — *Lud. Dissenii* de philosophia morali in Xenophontis de Socrate commentariis tradita. Gottingae 1812. 4. — Xenophon und die 10,000 Griechen. Ein historischer Versuch von *I. C. L. Haken*. 1805. 8. — *Conr. von Orelli* Anmerkungen zu Xen. Gastmahl, mit Zusätzen von *I. G. Bremi*, Turici 1814. 8. Supplementum II. editionis Isocratis or. περὶ ἀντιδόσεως. — *I. K. von Orelli* Ueber einige Stellen Xenophon's — in *Eiusdem* Philologischen Briefen, supplem. eiusdem edit. Isocratis. — *I. H. Koeppenii* progr. Ad Xen. Agesilaum Notae et Emendatt. Hildesh. 1788. 8. — Eiusd. Progrr. III. in quibus Hellenica Xen. emendantur. ibid. 1786 sqq. — *James Rennel* Illustrations, chiefly geographical, of the History of the expedition of Cyrus from Sardis to Babylonia: and the Retrait of the ten thousand Greeks — with an Appendix, containing an Enquiry into the best method of improving the Geography of the Anabasis. Explained by three Maps. London 1817. 4.

§. 57.

Xenophonti aequalis fuit *Ctesias* Cnidius ex Cariae urbe, artis medicae peritus, quam in Persia multos per annos exercuit, Artaxerxi Mnemoni regi, cuius in pugna acceptum vulnus sanaverat, imprimis gratus. Huius exstitere olim tum alia scripta, ad *physicam terrae descriptionem* spectantia, tum *historiarum* libri XXIII. *de rebus Assyriis*, *Persicis*, et *Indicis*, dialecto Ionica conscripti, quorum *excerpta* tantum servarunt *Diodorus Siculus* et *Photius*, seorsum edita ab *H. Stephano* 1557 octonis, auctius gr. et lat. 1594. 8. et passim *cum Herodoto*, cui ea subiecit quoque *Wesselingius*. In *Assyriorum* et *Persarum* historia princeps auctor fuit, ab Herodoto et Xenophonte saepe dissentiens; in *Indicis*, istis temporibus, paene *unicus*, sed, ut illa aetate, fabulosus. Cf. *Heerenii* Ideen etc. T. I. ibique *Tychsenius* in Versuch einer Erläuterung der vom Ktesias angeführten Indischen Wörter aus dem Persischen p. 961 sqq. ed. II. — *A. H. Weyrauchii* Herodot und Ktesias über Indien in *Morgen-*

sternii Diario bonae frugis plenissimo quod inscribitur: *Dörptische Beiträge.* Jahrgang 1814. P. II. 1815. p. 365—415.

Iisdem temporibus floruit *Philistus* Syracusanus, „*qui, quum Dionysii tyranni* (iunioris) *familiarissimus esset, otium suum consumsit in historia scribenda*, maximeque Thucydidem est, sicut mihi videtur, imitatus" *). Post *Antiochum*, antiquiorem scriptorem, *Sicularum rerum* historiam in *duas partes* (συντάξεις) divisam, alteram, res, ut videtur, a Troia capta usque ad Olymp. XCIII. a. Ch. 406. ad captumque Agrigentum, octingentorum circiter annorum spatio gestas complexam, alteram inde, ubi prior pars substiterat, exorsam, inque *Dionysii maioris* rebus enarrandis versatam, universam XI libris persecutus erat, quos tempus delevit. Singulari praeterea opere *Dionysii iunioris*, qui post obitum Senioris Ol. CIII. 1. regnare coepit, cuique ipse inter amicos fuit, res primis quinque regni annis gestas *duobus* libris exposuisse memoratur. cf. *Heynii* Comm. tertia *de Diodori fontibus* in Comm. Soc. Gott. Vol. VII. p. 115. Quamquam prudentia civili et dictionis brevitate aliis historicis praestitisse dicitur, notatur tamen, et quod nimio ornatu rhetorico historiam cumulavit, primusque fere eorum fuit, qui, pravo exemplo, placendi studium historiae finem ponerent, et propter tyrannorum studium et adulationem. Idem Dionysii iunioris contra Dionem partes tuitus, exercitu cui praeerat devicto, morte voluntaria occubuit. v. Diodor. Sic. XVI. 16.

Proximi ab his abfuere duumviri, *Isocratis*, dicendi summi artificis, disciplinam secuti, *Theopompus* atque *Ephorus*; prior Chius, Philippi Macedonis aetate florens, Olymp. CV., cuius *Hellenica*, operis Thucydidei continuatio, libris XII, annorum septemdecim historiam complexa, usque ad proelium navale ad Cnidum Ol. XCVI. 3., et *Philippica*, libris LVIII, *sui temporis* historia *generalior*, celebrantur, (v. Cic. Brut. 17. 56.) quibus aegre nunc caremus. Idem, Suida,

*) Ciceronis verba sunt De Orat. II. 13.

Photio et Grammatico Sangermanensi Ms. testibus, *Epitomen Herodoti Historiarum* libris *duobus* composuit, de qua nuper docte egit *G. Frommelius* vulgato libello: *De Theopompi Chii Epitome Herodotea*, quem *Meletematum de discipl. antiquitatis* Parti *tertiae* Lips. 1819. 8. inseruit *Fr. Creuzerus*. Cf. Ruhnkenii Hist. crit. orator. Graecor. p. 164. Reisk. Reliqua Theopompi Fragmenta ex Diodoro Siculo aliisque collegit quondam *Oudendorpius*. Cf. *Kochium* de Theopompo Chio. Stettin 1792. 8. et *Eiusdem* Prolegomena ad Theopompum Chium 1803. 4. — *Gedoyn* in Mem. de l'Academie des Inscr. T. XIV.

Alter, *Ephorus*, Cumaeus ex Aeolide, viro docto, qui nuper historiarum eius fragmenta collegit, Ol. XCIII. 4. natus esse, quarto autem et sexagesimo aetatis anno, circa Ol. CIX. 4., vita decessisse videtur. Cui supputationi tamen obstant duo Plutarchi et Diodori loca, in quibus Callisthenis et Alexandri M. ponitur aequalis. *Graecorum* et *Barbarorum historiam universalem*, DCCL circiter annorum, ab reditu inde Heraclidarum usque ad annum a. Ch. 341. Olymp. CIX. 4. *triginta libris*, qui in deperditis numerantur, condidit. Trigesimi tamen libri partem, in qua *bellum sacrum* enarratum erat, non ipse, sed filius eius *Demophilus* scripsisse perhibetur. Ceterum ob rerum aptam narratarum dispositionem aeque laudatur Ephorus ac Theopompus, sed dictionis limatae laude hoc multo censetur inferior, de quo v. *Strabo* XIII. p. 924. et *Diodorus Sic.* XVI. 78., quem ad historiarum corpus suarum condendum *Ephori libris* prae ceteris usum esse constat. Omnino magni eum fecerunt veteres, quod historiam catholicam i. e. universalem primus scripsit; tum quod Geographiam cum Historia coniunxit; hanc denique ipsam, omissa aetate mythica, ab Heraclidarum demum reditu exorsus erat. Sed nec uno hoc opere condendo famae apud posteros consuluit; laudantur plura Ephori scripta, tum historica, ut Σύνταγμα ἐπιχώριον, *de patria sua*, eiusque historia, et *quindecim libri Memorabilium* in variis locis; tum varii argumenti, ut *duo libri de Inventionibus* (Εὑρήματα); XXIV *de Bono* et *Malo*; *de Elocutione*, περὶ λέξεως; aliaque, sed fidei

incertae. Dialecto autem usus est Attica nova. De quibus omnibus consulas librum quem ante tetigi: *Ephori Cumaei Fragmenta.* Collegit atque illustravit *Meierus Marx.* Praefatus est *Fr. Creuzerus*, Carlsruh. 1815. octonis maior.

Denique huc referendi, praeter *Anaximenem Lampsacenum*, (auctorem τῶν Ἑλληνικῶν v. Diodor. XV. 89.) *Heraclides* e Ponto et *Dicaearchus*, Aristotelis discipulus uterque, de quorum scriptis, maximam partem deletis, quum in terrarum et rerumpublicarum descriptione geographica atque politica versentur, infra dicemus.

§. 58.

Philosophiae, quum *contemplativae*, tum *practicae*, prima apud Graecos fundamenta aoedos, vates atque poetas antiquissimos iecisse, supra vidimus (§§. 10. 23. 33. 34.). Eodem loco habendi, qui sapientiae studia ad respublicas bonis legibus, institutis, vitaeque ac morum graviore disciplina temperandas tuendasque converterent: in quorum numero, post *Minoëm* Cretensium regem, fuere *Lycurgus* (888 a. Ch.), *Zaleucus* (circa Ol. XXX. 1. a. Ch. 660), (*Draco*), *Solon*, *Charondas* haud ita longe post Zaleucum florens, *) *Spartanorum*, *Locrorum* Italiae, *Atheniensium*, *Catanensium* Siciliae et plurium *Chalcidicarum*, quae per Graeciam Magnam et Siciliam sparsae erant, coloniarum legumlatores: tum plurimi ex iis, qui in *Septem* Graeciae *Sapientibus* vulgo numerantur.** Sed *contemplativae* philosophiae initia, post symbolica ista placita et phantasmata, in vetustissimorum vatum Cosmogoniis et Theogoniis exposita, repetuntur vulgo

*) Uterque certe diu ante Pythagoram. Vide *Bentleium* in dissert. de Phalaridis Epist. p. 338 sq. ed. Lips. *Heynium* in Opusc. Acad. T. II. *Ruhkopfium* ad Senec. Epp. XC. 5.

**) Praeter *Solonem* et *Thaletem*, *Pittacus*, *Bias*, *Periander*, *Cleobulus* et *Chilo*. „Hi omnes, ut Ciceronis verbis utar (de Orat. III. 34.), praeter Milesium Thalem, civitatibus suis praefuerunt." cf. Dicaearch. ap. Diog. Laërt. I. 40. *Meinersii* Geschichte d. Wiss. in Griech. u. Rom. T. I. p. 43. Not.

a *Thale Milesio* et schola *Ionica*, cuius idem auctor habetur, Croesi temporibus florens, circa Ol. XLV. a. Ch. 600. Is quidem opiniones et decreta sua de rerum hominumque origine atque natura, partim ex *Orphicorum disciplina* verisimiliter hausta, deque corporum caelestium ortu, magnitudine, motu, tum prima Geometriae elementa, neque carmine nec scripta vulgasse oratione videtur, (quamquam assignata passim Thaleti scripta reperimus. Vide *Wyttenbachium* in Bibl. Crit. P. VIII. p. 103.) sed familiaribus suis tradidisse, inter quos *Anaximander* clarissimus fuit, natus circa Ol. XLII., praeceptor *Anaximenis*, qui Ol. LVIII. floruit. Communi sententia vero primus *de Deorum rerumque natura* (περὶ φύσεως καὶ θεῶν) *soluta oratione scripsisse* perhibetur *Pherecydes* ex *Syro* insula, unde *Syrius* dicitur et *Theologus*, circa Ol. LIX., cum *Pherecyde* iuniore, *Lerio* vel *Atheniensi*, qui *Genealogus* et *Historicus* appellatur (§. 53), non confundendus. —

Pherecydis huius Syrii discipulus celeberrimus habetur *Pythagoras Samius*, cuius natales Ol. XLIX. obitus Olymp. LXVIII. fini, a. Ch. 584—505., optime assignantur: vir ingenio, doctrina et auctoritate praecellens, cuius vitam, instituta, placita, disciplinam, nubes auctorum, aetatis et fidei diversissimae, hoc magis obscuravit, quod summi philosophi *scripta*, quorum verus auctor sit, *exstant nulla*. Philosophia autem quam tradidit, quaeque non metaphysicam solum de rerum natura disceptationem, sed morum etiam disciplinam et civitatum regendarum scientiam complectebatur, *Italica* dicitur, quod *Crotone*, Italiae inferioris urbe, scholam condidit, multitudine discipulorum et auctoritate valde nobilitatam, „*exornavitque eam Graeciam, quae Magna dicta est, et privatim et publice, praestantissimis et institutis et artibus.*" *) — *Pythagoreorum fragmenta*, a *Io. Stobaeo* potissimum servata, ediderunt *Guil. Canterus* Basileae 1566. 4. *Henricus Stephanus* cum *Diogene Laërtio*; *Thom. Gale* in Opuscul. Mythol. ethicis et phys. Cantabrig.

*) Cic. Tusc. V. 4.

1671. et Amstelod. 1688. 8. *Villoisonius* in Anecdotis Graec. T. II. p. 799. — Sub *Theanus*, uxoris Pythagorae, nomine quae supersunt fragmenta et Epistolae, *Io. Chr. Wolfius* edidit in *Fragmentis mulierum Graecar. prosaicis*. Londini (Hamburg) 1739. 4.

Ionsius de Scriptoribus hist. philos. Ienae 1716. 4.— *Thom. Stanley* The History of Philos. London 1743. in latinum serm. conv. ab *Oleario*, Lipsiae 1711. 4. — *Bruckeri* Historia critica philosophiae, Lipsiae 1742 sqq. VI Voll. 4. — *Eiusd.* Institutiones hist. philos. Lipsiae 1790. 8. — *Tiedemanni* Griechenland's Erste Philosophen. Lips. 1780. 8.— *Eiusdem* Geist d. speculativen Philosophie, Marburg 1791. sqq. VII Voll. 8. — *Fr. Bouterweckii* Comm. de primis Philosophorum Graecorum decretis physicis, in Comm. Soc. Reg. Gott. Recentioribus Vol. II. Gotting. 1813. 4. cuius argumentum auctor dedit in Ephem. Gotting. 1812. Nr. XI. p. 97. — *Goessii* Comm. de variis quibus usi sunt Graeci et Romani Philosophiae definitionibus P. I. II. 1812. 4.— *Phil. Ludov.* et *Io. Frid. Snelliorum* Leben und Meinungen der ersten griechischen Philosophen. Giessen 1806. 8. — *Meinersii* Gesch. d. Wiss. in Griech. u. Rom. Lemgo 1787. II Voll. 8. — *Buhlii* Geschichte des philosophirenden menschlichen Verstandes, Lemgo 1793. 8. — *Eiusdem* Lehrbuch der Geschichte der Philosophie, Göttingen 1796 sqq. VIII Voll 8. — *Tennemanni* Gesch. d. Philos. Lipsiae 1798 sqq. IX Voll. 8. — *I. M. Degerando* Histoire comparée des Systemes de Philosophie. Paris 1804. III Voll. 8. — *Fr. Astii* Grundriss d. Gesch. d. Phil. Landshut 1807. 8. — *Phil. Ludov. Snellii* Kurzer Abriss der Geschichte der Philosophie. Erste Abtheilung, enthaltend die Geschichte der alten Philosophie. Giessen 1813. 8. — *W. T. Krugii* Geschichte der Philos. alter Zeit, vornämlich unter Griechen und Römern. Lipsiae 1815. 8. — *Plato in Italien* — herausgegeben von *P. I. Rehfues*. Tubingae 1808. III Voll. 8. — *G. v. Wedekind* Der Pythagoräische Orden etc. Lipsiae 1820. 8.

§. 59.

Iam qui sequuntur Philosophi, *Xenophanes*, *Parmenides*, *Empedocles*, testes adhibeantur idonei, ut planum fiat, quam diu philosophia Graecorum vetustae epicae poësis, cui originem debuit, non indolem tantum, sed formam etiam et habitum retinuerit. Carmine enim, ἔπεσι, et metro epicis poëtis proprio, *de rerum natura* philosophatos eos esse vidimus §. 47. 48. p. 75. sqq. cf. Cic. Acad. Qu. IV. 23.

Xenophanes quidem, Pythagorae aequalis et diu superstes, *Colophone*, patria urbe, relicta, quum multos annos per Graeciam peregrinatus esset, tan-

dem *Eleam* s. *Veliam*, in Lucania coloniam a Phocaeensibus Olymp. LXI. 1. conditam, concessit, novamque patriam, in qua cum familiaribus philosophicis vacasse sermonibus fertur, tum aliis modis, (§. 47) tum maxime eo nobilitavit, quod scholae, a se et *Parmenide* discipulo suo conditae, ab urbe, utriusque Philosophi sede ac domicilio, alterius etiam patria, nomen haesit *Eleaticae.* Quantopere Homerum et Hesiodum propter mythos de Diis in carminibus proditos insectatus sit, supra (§. 47) docui. Ipsius autem, pariter atque scholae, cuius primus auctor fuit, de Universo atque Deo princeps decretum, *Ciceronis* verbis (Quaest. Acad. IV. 37.) sic relatum: *Xenophanes, unum esse omnia, neque id esse mutabile, et id esse Deum, neque natum esse usquam et sempiternum, conglobata figura* *): in quam diversas sententias interpretati sint viri doctissimi, disci licet ex Harlesii Epimetro ad Fabricii B. Gr. Voll. II. p. 619.

Inter *Aristotelis* Opera Liber de Xenophane, Zenone et Gorgia, de quo cf. Fabric. Harles. Vol. II. p. 618. et Vol. III. p. 247 sq. — *Baylius* in Lex. Hist. Crit. sub voce. — *Iac. G. Feuerlini* Dissert. de Xenophane Altdorf. 1729. 4. — *I. G. Buhlii* Comm. de ortu et progressu pantheismi inde a Xenophane Colophonio usque ad Spinozam, Gottingae 1791. 4. — *Chr. Aug. Brandisii* Commentationum Eleaticarum Pars I. Xenophanis, Parmenidis et Melissi doctrina e Philosophorum reliquiis veterumque Auctorum testimoniis exposita. Altonae 1813. 8. —

Nemo tamen scholam hanc magis illustravit quam *Parmenides*, Xenophanis familiaris, *Eleae* natus, unde fortasse nonnullis verus auctor et princeps *Eleaticorum* habetur. Acerrimi vir ingenii, ob vitaeque innocentiam in honore magno fuit, dignus utique, quem senem in dialogo *cognomine* cum Socrate iuvene colloquentem Plato induceret. Ut Xenophanes, *omnia unum esse, τὸ πᾶν ἓν εἶναι,* docuit. „Si Parmenidi (credo), ait Seneca (Ep. 88, 36.) *nihil est praeter unum*". cf. Plut. adversus Colot. Vol. II. p. 1114 D. *Füllebornius* ad Fragm. Parmen. p. 60 sq. — Auditorem vero

---

*) *Sextus Empir.* Pyrrhon. Hypot. I. 225. sic effert: *ἓν εἶναι τὸ πᾶν, καὶ τὸν θεὸν συμφυῆ τοῖς πᾶσι.*

Parmenidis et amicum clarissimum accepimus *Zenonem* fuisse *Eleaticum*, in arte *Dialectica* excellentem, eamque ob causam *Palamedem Eleaticum* Platoni significanter dictum in Phaedro §. 97. p. 301. Heind. ubi vid. Schol. et Diogen. Laërt. IX. 25. coll. *Spaldingio* ad Quintil. III. 1. 10. Eumdem civis egregii laudem, quam meruerat, maximos cruciatus et supplicium fortiter tolerando firmasse, testes sunt Cicero de Nat. Deor. III. 33. Tuscul. Disput. II. 22. et Diodor. Sic. T. II. p. 557 sq. ed. Wess.

Celebrior multo fuit Parmenidis sive, ut nonnulli tradunt, discipulus, sive, ut *Theophrastus*, gravissimus auctor, Diogene Laërtio teste VIII. 55., retulit, aemulus et in poematis imitator, *Empedocles Agrigentinus* (§. 48.) ex Sicilia (unde honorificum nomen *Μουσῶν Σικελικῶν* apud Platonem meruit), quem *Pythagoreorum* placita maxime probasse volunt, quin etiam, contra temporum rationem, Pythagorae ipsius auditorem fuisse finxerunt. Ingenii ille magnitudinem cum doctrinae copia adaequans, utroque pariter atque opibus, quibus pollebat, ad civium et exterorum salutem liberalissime usus est. Sed naturae imprimis artisque salutaris scientia, ut temporibus illis, egregie instructus, ab hominum et scriptorum nimis credulorum vulgo pro *vate*, *mago* et *circulatore* habebatur: quumque post secessum philosophi in Peloponnesum, obitus eius et tempus et locus ignorarentur, de genere mortis, qua absumtus fuerit, varia, aliaque aliis absurdiora commenti sunt eximii huius viri tum amici, tum obtrectatores. Primus Philosophorum Empedocles, Aristotele auctore, quatuor rerum elementa, posuisse fertur, eaque aeterna et materiam reliquarum rerum omnium primam. His autem duo principia, in personas mutata, addebat, *Φιλίαν* atque *Νεῖκος*, *Amicitiam* et *Litem* sive *Discordiam*, nimirum causas rerum omnium efficientes, quarum ope, quum post diuturnam pugnam corpuscula prima disiungerentur atque coniungerentur, ex quatuor illis elementis casu, non consilio, effectus sit mundus, quem item aeternum statuebat.

Empedocles Agrigentinus, De Vita et Philosophia eius exposuit etc. *Frid. Guil. Sturzius* T. I. II. Lipsiae 1805. 8 mai. cum censura

praestantissimi huius libri, quam egi in *Ephemer. litterariis Vilnensibus* polonico sermone conscriptis. Vilnae 1806. T. II. p. 386–404. — Adde quos laudat *Sturzius* T. I. p. 136: *Scipionem Aquilianum* de placitis Philosophorum qui ante Aristotelis tempora floruerunt. Venetiis 1620. 4. et cura *Bruckeri* Lipsiae 1756. 4. cap. 22–24. p. 141–173. — *Dieterici Tiedemanni* System des Empedocles — in Götting. Magazin der Wissensch. und Litteratur. 1781. 8. Particula IV. p. 38–71. cet. — Nuperrime Philosophi huius placita subtiliter rimatus est, et accurate explicuit Vir doctus in *Wolfii* Analectis Litter. T. II. p. 411–460.: *Ueber die philosophische Lehre des Empedocles* von H. R.

§. 60.

Eleaticorum placito, *omnia esse unum*, *idque immutabile*, contrarium statuit *Heraclitus Ephesius*, Parmenidis aequalis, circa Olymp. LXIX. 1. a. Ch. 504. *omnia fluminis instar se habere* docens, *et in perpetua mutatione versari*; nec de ulla re unquam dici posse, *eam esse*, immo *omnia usque fieri*; *Principium autem omnium rerum Ignem esse*, *ex quo cuncta oriantur*, *et in quem cuncta resolvantur.* Haec aliaque multa pariter abstrusa, in quibus enodandis vetustissimi Graecorum ante Socratem Philosophi, qui *Physici* dicuntur, maxime occupati erant, tractaverat in libro unico *de Rerum Natura*, *περὶ φύσεως*, *soluta* quidem oratione, et *dialecto Ionica*, composito, sed, ut tum prosa erat, maxime Philosophorum, ad poëticae dictionis ambiguitatem proxime accedente; unde *Platoni* (Sophist. p. 242 E.) haud dubie dictus *Μοῦσαι Ἰάδες*, apud seriores autem, Ciceronem etiam (De Finib. II. 5. De Nat. Deor. I. 26. III. 14.), qui tamen in obscuritatis, philosopho Ephesio exprobratae, causis inveniendis caecutiisse videntur, *σκοτεινοῦ*, *obscuri*, nomen meruit. Rectius Seneca Ep. XII. 6.: „Heraclitus, cui cognomen *Scotinon* fecit *orationis obscuritas*.“ cf. Aristot. Rhet. III. 5. 6. Demetr. de Elocut. §. 192. p. 78. quos laudat nuperrimus reliquiarum Heracliti indagator sagacissimus, *Fr. Schleiermacher* in Mus. d. Alterthumswiss. T. I. p. 326. Perpauca enim libri Heraclitei fragmenta supersunt, a serioris maxime aetatis scriptoribus, Plutarcho, Sexto Empirico, Clemente Alexandrino, aliisque commemoratione aut laude minus dignis, servata; paucissima *Platonis* et

Aristotelis auctoritate nituntur. Quas quidem reliquias Philosophi, cuius apud veteres magnum erat nomen, diligentissime non tantum collegit, sed admirabili quadam continuatione serieque inter se colligavit vir doctissimus, paulo ante a me laudatus, in Commentatione germanica, Museo Antiquitatis a Wolfio et Buttmanno edito, T. I. p. 316—533. inserta, hoc indice: *Herakleitos der Dunkle, von Ephesos, dargestellt aus den Trümmern seines Werkes und den Zeugnissen der Alten*, Berolini 1808. 8. — Quae praeterea sub Heracliti nomine feruntur *Epistolae* inter *Epistolas Graecas apud Aldum*, et ab *H. Stephano* in *Poësi philosophica* Parisiis 1572. 8. p. 142 sqq. editae, omnium consensu spuriae censentur. Ad totam Heracliti philosophiam spectat *I. M. Gesneri* disputatio *De animabus Heracliti et Hippocratis* in Commentatt. Soc. Gotting. T. I. et nobilissimi dicti Heraclitei, αὔη ψυχὴ σοφωτάτη καὶ ἀρίστη, *Sicca anima sapientissima et optima*, sententiam, post *Wesselingium* in Miscell. Obss. Vol. V. P. III. p. 42., et *Heynium* in prolus. *De Animabus siccis Heracliti*, inserta eius Opusc. Academ. Vol. III. p. 104 sqq. docte explicuit *Schleiermacher* l. l. p. 506 sqq.

In eodem disputationis, Philosophis huius aetatis maxime frequentatae, argumento versatus est *Anaxagoras* Clazomenius, natus Ol. LXX. 1. a. Ch. 500., *Hermotimi*, civis sui, discipulus, *Archelai* autem Milesii, philosophi, *Periclis*, et *Euripidis*, tragici poetae, magister. Is inter Graecos philosophos primus, *Νοῦν*, *Mentem*, *Intelligentiam supremam*, ab elementis rerum physicis rerumque natura et *materia*, cuius partes infinitas ὁμοιομερείας appellabat, seiunxisse, omnisque motus, ordinis ac pulchritudinis causam efficientem adhibuisse dicitur. Plut. in vita Periclis c. 4. T. II. p. 105. Tauchn. Τοῖς ὅλοις πρῶτος οὐ τύχην οὐδ' ἀνάγκην, διακοσμήσεως ἀρχήν, ἀλλὰ νοῦν ἐπέστησε καθαρὸν καὶ ἄκρατον, ἀποκρίνοντα τὰς ὁμοιομερείας. Pervulgata hinc Anaxagorae sententia a Platone significata in Phaed. p. 72. D.: Πάντα χρήματα ἦν ὁμοῦ· εἶτα Νοῦς ἐλθὼν αὐτὰ διεκόσμησε: *Omnes res una* h. e. in unum confusa, commixta erant. *Tum Mens accessit, easque ordinavit.* Notatus tamen

Clazomenius Philosophus ab eodem Platone ibidem p. 97 sq. et de Legg. XII. p. 696. ob ratiocinationis inconsequentiam, tum ab Aristotele Metaphys. I. 4. aliisque, quos *Wyttenbachii* doctrina contulit ad Phaed. p. 258 sq. — Idem, quod tum voce, tum scripto, nunc deperdito, *τῶν φυσικῶν*, Solem, Lunam et reliqua sidera deorum numero eximenda, et pro massis quibusdam igneis lapideisque (*μύδροις διαπύροις*) habenda esse docuit, Athenis, ubi triginta annos vixisse dicitur, *impietatis* (*ἀσεβείας*) in Deos patrios accusatus, nec, nisi Periclis auctoritate, a capitis poena liberatus, Lampsacum abiisse fertur, ubi brevi post, Ol. LXXXVIII. 1., vita defunctus est. vid. Diog. Laërt. II. 12. III. 9. Plut. Pericl. p. 654. Ioseph. c. Apion. II. 37. Lucian. in Timone c. 10. ibique Hemsterhus. cf. Tychsenius Ueber den Process des Socrates — in Bibl. d. alt. Litt. u. Kunst. T. II. p. 18.

Successit *Democritus* Abderites, Socratis et Hippocratis aequalis, in cuius aetate definienda mire turbatae sunt temporum rationes. Vid. Fabric. Harlesian. Vol. II. p. 628 sqq. — Diodoro Siculo Ol. XCIV. 1. *annos nonaginta natus* obiisse dicitur, et *ultimas terras peragrasse* traditur *Ciceroni* de Fin. V. 19. qui multus est in opinionum sive placitorum Democriti enarratione. cf. *Gedikius* in *Ciceronis historia philosophiae antiquae* Berolini 1782. 8. p. 67 sqq. De *Atomis* doctrinae inventione, quae ab aliis tamen *Leucippo*, Democriti praeceptori, tribuitur, *Epicuro* praelusisse videri debet. Ceterum ingens librorum, ethici, physici, mathematici, grammatici, musici et poëtici, technici, historici argumenti, a Democrito *prosa* oratione et *dialecto Ionica* conscriptorum, quos recensuerat olim *Callimachus*, et per tetralogias, perinde ut *Platonis* scripta, digesserat *Thrasyllus*, fertur numerus (v. Fabric. Harles. T. II. p. 634 sqq.); in his tamen plures spurii ac suppositicii habentur iam veteribus. V. Gellium N. A. X. 12. Etiam *magica* et *chemica* scripta Democriti ferebantur, et *chemicà* quidem sub eius nomine adhuc *inedita graece* exstant in Bibliothecis, *latine* autem edita sunt cum *Synesii* ac *Pelagii* commentariis, Patavii 1572. 8. Reliquorum deperditorum librorum Fragmenta et *Epistolae*, itidem

suppositiciae, insunt *H. Stephani Poësi philos.* Sermonis Democritei, ad poëtici vim gressumque incitatiorem accedentis, virtutes praedicat Cicero in Orat. c. 20.

§. 61.

Interea duae artes in *Graecia Magna* et *Sicilia* inventae sunt, altera *Dialectica*, sive *ars disceptandi, argumenta rationesque, quae in utramque partem afferri possunt, expendendi, disputandique* de rebus, quas philosophi, rerum naturae studio unice dediti, simpliciter docere atque probare tentaverant; cuius artis, ad investigandam veritatem obstetricia velut officia conferentis, auctorem Aristoteles *) tradit *Zenonem Eleaticum*, Parmenidis auditorem, (§. 59) circa Ol. LXXIX. clarum, cuius plura olim scripta ferebantur, quique *primus* quaestiones philosophicas *dialogorum forma* tractasse scribitur Diogeni Laërt. III. 48. coll. Aristotele de reprehens. Sophist. l. 9. p. 180. Casaub. et *Tiedemanni* Geist d. speculat. Phil. T. I. p. 297. Ab Eleaticis autem Philosophis artem hanc ad sectam *Megaricam* sive *Eristicam* transiisse, deinde ad *Stoicos* pervenisse, docuerunt *Bruckerus* Hist. Crit. Philos. T. I. p. 610 sq. et *Buhlius* in Commentatt. Soc. Reg. Sc. Gott. T. XI. p. 234 sq. quos laudat *Ruhkopfius* ad Senecae Ep. CXVII. 11. T. III. p. 376 sq. — *Altera*, a priore sedulo distinguenda **), erat *Sophistica*, merae inserviens ostentationi, (*φαινομένη, οὖσα δ' οὔ*. Aristot. l. l.) quae docebat *de re qualibet proposita in utramque partem disputare, captiosis quaestionibus et contortis syllogismis oppugnare atque turbare quaecunque communi hominum consensu societatis humanae, religionis, ac virtutis haberentur fundamenta, vanaeque eloquentiae praestigiis alios ad sententiam suam perducere.* Artem hanc, moribus, luxu et licentia iam tum corruptis, perniciosis-

---

*) Ap. Diogen. Laërt. IX. 25. p. 645.

**) v. Aristot. Metaph. III. 2. p. 503 Casaub. cf. *Stäudlini* Geschichte u. Geist d. Skepticismus. T. I. p. 213. et p. 225.

simam, placendi pariter atque lucri studio professi sunt, quum aliis in Graeciae urbibus, tum Athenis, *Gorgias Leontinus*, *Thrasymachus Chalcedonius*, *Protagoras Abderita*, *Prodicus Ceus*, *Hippias Eleus*, quos tamquam artis dicendi primos magistros, infra denuo attingam. Hac enim laude eos privare nolumus, quam et excitandis, et varia doctrina perpoliendis ingeniis, maxime vero sermone Graeco perficiendo, prosaeque orationis accuratae via et ratione invenienda sine ulla dubitatione meruerunt.

§. 62.

His ipsis *Sophistarum* scholis exercitatus, neque quaestionum methaphysicarum, quibus enodandis philosophi superiores ad unum omnes, opera quidem et studio pervicaci, at successu parum felici, hactenus immorati erant, non bene gnarus, prodiit *Socrates*, Sophronisci, lapidarii Atheniensis, filius, qui natus Ol. LXXVII. 4. a. Ch. 469., iniustae datus neci occubuit Ol. XCV. 1. a. Ch. 400. prope septuagenarius. Idem tamen, quo erat ingenio paene divino, qua iudicii pollebat subtilitate, rerum, quae mentis humanae vires excedere videntur, investigatione relicta, *philosophiam ad hominum mores animumque cognoscendum et emendandum, ad vitaeque civilis ac privatae usum revocavit* *); virtutis, officii, probitatis erga Deum, notionibus planissimis ac firmiter stabilitis adolescentum animos imbuit; ad eorum reverentiam studiumque indefessum et sermonibus et exemplo impensissime cohortatus est. Quod quo facilius assequeretur, *in rebus istis occultis, et ab ipsa natura involutis, prorsus inscium se et ignarum* simulans, (quae *εἰρωνεία* vulgo dicitur Socratica) Sophistas, omnia scire, deque re qualibet in utramque partem acute, perspecte ac diserte dicere se posse professos, iisdem, quibus ipsi

*) cf. Cic. Tusc. V. 4. Acad. I. 4. Brut. c. 8. „Iis (Sophistis) opposuit sese Socrates....... primumque tum philosophia, *non illa de natura, quae fuerat antiquior*, sed haec, in qua de bonis rebus et malis, deque hominum vita et moribus disputatur, inventa dicitur."

uterentur, armis impugnando, saepenumero ad incitas redegit. In iuniorum aeque institutione non tam docendi ac demonstrandi, quam disserendi cum discipulis, ex eorumque animis aptis quaestionibus veritatem sive iustas de rebus notiones eliciendi usus est methodo, quae, dici vix potest, quantam quum ad ingenii facultates evolvendas et exercendas, tum ad notionum ac verborum differentiam acute dispiciendam et subtiliter definiendam, vim habuerit, adeo ut vel nunc Socratis, primi inventoris, nomine merito commendetur. Quae viri eximii, sapientia, frugalitate, constantia, morum integritate, inter cives otio et luxu tum diffluentes, omnique vitiorum genere corruptos, conspicui, tot et tanta merita, nimio fortasse ardori, quo in corrigendis refutandisque popularium omnigenorum placitis atque opinionibus passim usus fuerit, mentisque errori, quo *Daemonem* sive *Genium quemdam tutelarem*, *voluntatis et actionum suarum moderatorem*, *per totam vitam se comitari*, sibi persuaserit, apud iudices aequiores veniam facile conciliabunt. Ceterum quamquam nihil scripti, sive, ut Ciceronis verbis utar (De Orat. III. 16.), *litteram nullam* reliquit Socrates, quaeque de vita eius et doctrina cognoscere vis, e discipulorum, maxime *Xenophontis*, libris hauriendra sunt: ad excolendas tamen et expoliendas mentes, ad sermonis Attici subtilitatem, perspicuitatem et elegantiam mirifice augendam, ad morum stabiliendam disciplinam *docendo* tantum profuit, et *discipulorum clarissimorum*, qui ex disciplina eius prodierunt, *multitudine*, litteris Graecis, philosophiae imprimis, tam insignia attulit incrementa, ut in earum historia, hoc certe temporis ambitu, principem locum summo huic viro assignandum esse, nemo dubitaverit.

Xenophontis Memorabilia Socratis. — *Eiusdem* quae fertur *Apologia Socratis*. — *Plato*. — *Diogenes Laertius* in Vita Socratis. — *Io. Luzacii* Oratio de Socrate cive, Lugd. Bat. 1706. 4. — *I. C. Tychsen* Ueber den Process des Socrates — in Bibl. d. alt. Litt. u. Kunst. T. I. II. — *I. F. Ch. Graeffe* Sokratik. Götting. 1798. 8. — *G. Wiggers* Sokrates als Mensch, als Bürger und als Philosoph etc. Zweite Auflage. Neustrelitz 1811. 8. — *Socrates*. Betrachtungen u. Untersuchungen von *Ferdinand Delbrück*. Köln 1816. 12. — De Socratis *Δαιμονίῳ* s. Genio, Veterum loca praecipua sunt: Plat. Phaedr. p. 242 B. Theag. p. 128 D. Apol. Socr. p. 31 D. Xenoph. Mem. Socr. I. 1. 4. Plut. de Genio Socr. — Max.

Tyrius Diss. XIV. XV. Appuleius De Deo Socr. — Cf. *Chr. Meinersius* De Genio Socratis — in *Ei.* Philosoph. Schriften. T. III. Nr. 2.

§. 63.

E *Socraticis Philosophis alii*, magni praeceptoris sui vestigiis proxime insistentes, philosophiae ethicae praecepta, methodo Socratica tradiderunt. Horum principes fuere *Xenophon* (de quo inter historicos egimus §. 56.), *Aeschines* et *Cebes*.

Aeschinis, Lysaniae filii, Atheniensis, ut *ab oratore cognomine* distinguatur, vulgo *Socratici* dicti, sub nomine *tres* feruntur *dialogi*, in codicibus et editionibus nonnullis inter *Platonicos libros*, quorum dubia est auctoritas, olim recepti: 1) *Axiochus* sive de *morte non metuenda* cum primo *Tusculanarum* libro et *Teletis*, philosophi satis antiqui et praeclarae doctrinae, loco apud Stobaeum p. 535. quem dialogi auctor adeo imitatus esse videtur doctissimo *Wyttenbachio* in Misc. Doctr. lib. II. p. 37., conferendus, incerti quidem auctoris, sed veteris, et probi. Imitationis item, sed servilis, vestigia apparent in duobus reliquis, Aeschini quoque vel Platoni, sed utrique perperam tributis: 2) *Περὶ ἀρετῆς, εἰ διδακτόν; an virtus doceri potest?* ab *Aug. Boeckhio* Simoni Socratico adscriptus, et cum aliis tribus, *De Lege*, *De Lucri Cupidine* et *De Iusto*, inter Platonicos vulgo lectis, additis insuper *Eryxia* et *Axiocho*, editus Heidelbergae 1810. 8. 3) *Ἐρυξίας ἢ περὶ πλούτου, de divitiis earumque pretio.* Vide Wyttenb. l. c. p. 38. In omnibus interlocutorum partes tuetur Socrates cum familiaribus. Sub Aeschinis nomine seorsum editi sunt primo ab *Io. Clerico*, graece cum latina versione notisque, *Amstelod.* 1711. 8. dein cum nova versione et animadversionibus a P. *Horreo*, Leovard. 1718. 8. Eosdem ad Mss. et edd. fidem denuo recensitos, subiunctis fragmentis Aeschinis et veterum de eo testimoniis, *quater* edidit *Io. Fr. Fischer*. *Tertia* editio, copiosissimis commentariis et locupleti verborum indice ditata, prodiit Lipsiae 1786. 8. Nuperrime *Neophytus Duca* *),

*) Eiusdem *Ducae* industriae et doctrinae, quod, data hac occasione, obiter moneam, debemus editiones graecas *Thucydidis*

gente Graecus, cum aliis similis generis sermonibus a se confectis, eos graece vulgavit Vindobonae 1814. 8.

Cebes Thebanus, Socratis, Xenophonte et Platone testibus, auditor, tres dialogos reliquit, quorum tertius, *Πίναξ*, i. e. *Tabula* (picta) inscriptus, *imaginis allegoricae*, quam in Saturni templo aliquis dedicaverat, *vitae humanae et studiorum morumque diversorum rationem adumbrantis*, descriptionem continens, adhuc sub *Cebetis* nomine legitur: cuius tamen fidem, ab aliis creditam, alii pluribus impugnant argumentis. *Klopferus* (Fr. G.) in dissertat. de Cebetis Tab. prima, Zwicaviae edita 1818. 4. pro antiqui libelli διασκευῇ, recentiore aetate facta, habet: cuius generis alia quoque, quae feruntur, opera, ut Timaei Locri, Ocelli Lucani scripta, haberi possint. Utut est, libelli consilium et materia, ad virtutis studium vitiorumque ac voluptatum fugam commendandam idonea, effecerunt, ut a viris doctis frequenter ederetur, imprimis cum *Epicteto*, inque recentiores linguas converteretur. Criticum editionum censum instituit *Cel. Schweighaeuserus* in editione sua *Epicteti* et *Cebetis*, Lipsiae 1798. 8. — Seorsum cum versione *Hieron. Wolfii* et notis Tabulam Cebetis edidere *Iac. Gronovius* Amstelod. 1687. 8. aliique. Nuperrime, quod sciam, in Scholarum usum, cum introduct. argumentis notisque germ. *G. F. W. Grosse*, Misenae 1813. 8. quae est recognitio editionis *Büchlingianae* a. 1798. — cf. Fabric. B. Gr. Vol. II. p. 705 sqq.

Reservavimus huic loco commemorationem novae editionis *Epistolarum Graecar.* quae Philosophorum, de quibus hactenus egimus, nonnullis, sed falso, tribuuntur, ita inscriptae: *Socratis* et *Socraticorum*, *Pythagorae* et *Pythagoreorum quae feruntur Epistolae*, *Graece.* Ad fidem codicis Gottingensis recensuit,

---

cum commentario Graeco 1805. X Voll. — *Arriani* 1810. VII Voll. — *Maximi Tyrii* 1810. — *Apollodori*, *Palaephati*, *Heracliti*, *Mythologi anonymi*, *Phurnuti* et *Sallustii*, 1811. — *Oratorum Graecorum* cum diversis oratt. suo Marte elaboratis 1812. X Voll. — *Herodiani* 1813. — Praeterea *Lexicon Gallico-Graecum* 1804. II Voll. — *Eutropium* 1806. II Voll. aliaque plura opera paedagogica et grammatica.

notis Allatii, Stanleii, Olearii, Hemsterhusii, Valckenarii, Koenii, Wyttenbachii, Chr. Wolfii, H. Brehmii, aliorumque et suis illustravit, versionem lat. emendatiorem, Allatii, Pearsonii, Olearii, Bentleii, Meinersii dissertationes et indicia de Epistolis Socraticis, et Indicem adiecit *Io. Conr. Orellius* Lipsiae 1815. octonis mai. — Breviorem etiam libro titulum proscripsit editor doctissimus: *Collectio Epistolarum Graecarum, Graece et Latine.* Recensuit, notis priorum Interpretum suisque illustravit *I. C. Orellius.* T. I. continens Epp. Socraticorum et Pythagoreorum.

Chr. Meinersii Iudicium de quibusdam Socraticorum reliquiis, imprimis de Aeschinis Dialogis, de Platonis eiusque condiscipulorum Epistolis nec non de Cebetis Tabula, in *Commentatt. Soc. Scient. Götting.* T. V. — *Fischerus* in praefat. ad Aeschinis Dial. — *Sevinus* in Hist. Acad. reg. Paris. Inscript. Vol. III. p. 137 sqq. — *C. de Caylus* ibidem Vol. XXIX. p. 149. — *I. G. Schilling Ueber die Schrift des Cebes, genannt Πίναξ*, in *Magazin für öffentliche Schulen*, Bremen 1790. 8. T. I. p. 189. —

§. 64.

Nec tamen defuere inter *Socraticos*, qui de philosophandi via, a praeceptore suo monstrata, declinantes, aut arti dialecticae nimium studerent, aut morum disciplinae limites, a Socrate prudenter constitutos, migrarent, aut rerum naturae investigationem denuo repeterent. Ortae hinc novae Philosophorum familiae, *Megaricorum*, qui etiam *Dialectici* et *Eristici* sive *litigiosi* vocati sunt, auctore *Euclide Megarensi*, a quibus parum diversa videtur *Eleorum*, vel, quo nomine posthac appellabatur, *Eretricorum* (Seneca Ep. LXXXVIII. 36) schola, quarum prior a *Phaedone* Eleo, (cuius nomini Plato celeberrimum de immortalitate animi dialogum inscripsit, quique ipse plures dialogos reliquisse fertur, unde fortasse sumtam esse dixeris elegantem comparationem quam aliquo loco laudat *Seneca* *)), posterior a *Menedemo* condita fuit;

---

*) Ep. XCIV. 41. „Minuta quaedam, ut ait *Phaedon*, animalia, quum mordent, non sentiuntur: adeo tenuis illis et fallens in periculum vis est. Tumor indicat morsum, et in ipso tumore

tum *Cyrenaica* ab *Aristippo*; *Cynica* ab *Antisthene*, cuius discipulus *Diogenes* fuit *Sinopensis*. Horum singulorum opiniones placitaque enarrare non huius loci est; scripta autem quae laudantur a Diogene Laërtio, *praeter aliquot Epistolas suppositicias*, (XXII. ineditae *Diogenis* in Codd. Mss. Paris. exstant, e quibus unius fragmentum nuper vulgavit doctissimus *Boissonade* in Not. ad *Marini vitam Procli*) et *Declamationum par* sub *Antisthenis* nomine, de quo infra verbo dicam, ad unum omnia interciderunt.

A. Goeringii Disp. qua explicatur, cur Socratici, Philosophicarum, quae inter se dissentiebant, disciplinarum principes, a Socratis Philosophia longius recesserint. Parthenopoli 1816. 4.

§. 65.

Cunctorum vero ex cohorte illa Socratica philosophorum longe celeberrimus habetur *Plato*, Aristonis filius, natus Athenis belli Peloponnesiaci temporibus, anno *tertio* Olympiadis LXXXVII. exeunte, a. Ch. 429; ibidem vita defunctus Ol. CVIII. 1. a. Ch. 348. impleto anno aetatis uno et octogesimo. Seneca Ep. LVIII. 27. ibique *Ruhkopfius*, coll. *Corsinio* de die natali Platonis p. 106. Post Socratis necem Ol. XCV. 1., annos natus XXX, Atheniensium odio et invidiae subtracturus se, cum ceteris Socraticis Megaram ad Euclidem concessit, quo in *Dialectica* usus praeceptore, Italiam petiit, *Archytae*, *Timaeo Locrensi*, aliisque Pythagoreis operam daturus; hinc *Theodorum* mathematicum Cyrenis adiit, unde in Aegyptum profectus, et per Italiam redux factus, Athenis, a publicis liber negotiis muneribusve, philosophiae studiis unice se dedidit, inque *Gymnasio* suburbano, quod ab *Academo* quodam heroë nomen tulerat, et cui vicinus habitabat, quotidie cum familiaribus suis philosophicos contulit sermones. Interea tria in Siciliam fecisse itinera perhibetur, primum *Dionysio* maiore Syracusis

---

nullum vulnus apparet. Idem tibi in conversatione virorum sapientium eveniet. Non deprehendes quemadmodum, aut quando tibi prosit: profuisse deprehendes."

regnante, secundum et tertium a tyranni *successore cognomine* et *Dione* Syracusano, quocum Syracusis ac postea Athenis familiarissime vixerat, impensissimis arcessitus precibus. Neque *docendo* solum, *Socratis rationem* (§. 62. p. 110.) *unice secutus*, scholae suae, quae modo *Platonica*, modo a loco quem ad disserendum sibi elegerat *Academia* dicitur, summam celebritatem, sed *scriptis* etiam, consummatissima arte perpolitis, nominis immortalitatem consecutus est, ut non soli *Longino* (IV. 11.) *divinus* (θεῖος) et *Panaetio* (Cic. Tusc. I. 32.) *philosophorum Homerus*; *Ciceroni* autem (De Nat. Deor. II. 12.) *philosophorum quasi deus quidam* appelletur. Orationem Platonis, clarissimis verborum luminibus distinctam, ab ingenioque feracissimo, multiplici studio et doctrina subacto, poëtarum imprimis lectione nutrito, velut animatam, ac suavissimis illecebris lectoris animum delinientem, inter poëma et prosam medium quoddam tenere, recte iudicat *Aristoteles* apud Diogenem Laërtium III. 37. *), tantaque elocutionis Platonicae virtus et mirificae formae quaedam absolutio atque perfectio cernitur, ut „*si verbum aliquod demas mutesve, atque id commodissime facias, de elegantia tamen detraxeris*" — monente *Favorino* apud *Gellium* II. 5. — Quae quidem tum sermonis, tum maxime totius compositionis, ac formae dialogorum *mimicae* et *dramaticae* proprietas, praeter res et argumentum, praecipue animadvertenda erit iis qui, aliis auctoritatibus destituti, de operis alicuius, Platonis nomen prae se ferentis, fide pronunciare volunt. Nam in *quinque* et *triginta* dialogis, qui supersunt, et pro genuinis vulgo habentur, plures magni viri nomen certissimis indiciis mentiri, nonnullorum autem dubiam fidem esse, partim veteres Grammatici iam viderunt, sed multo accuratius demonstrare conati sunt recentiores Critici, quamquam ipsi quoque in diversas saepe partes delati. *Aristotelis*, Platonis discipuli, auctoritate gravissima innixus *Schleiermacherus* (Platon's Werke Vol. I. p. 35.) *undecim*, et argumenti

*) Adde Cic. Or. c. 20. Quintil. X. 1. 81.

gravitate, et fide indubitata, principes dialogos non solum enumerat, sed etiam, coniectura ductus probabili, eo ordine collocat, quo a Platone compositi esse videantur. Sunt autem, quos dico, *Phaedrus*, *Protagoras*, *Parmenides*, Dialectices naturam, virtutes ac rationem explicantes; porro *Theaetetus*, *Sophista*, *Politicus*, *Phaedo*, *Philebus*, in scientiae humanae notione enucleanda maxime occupati; denique qui his, quos diximus, aliisque similis argumenti dialogis, quasi disputationum fundamentis, superstructi sunt, philosophi nostri, aetate iam provecti, *de homine* et *rerum natura placita* continentes, *Politia* sive *de Republica* libri X, *Timaeus*, et *Critias*, in quo scribendo senem mors occupavit. Vid. Plut. in vita Solonis p. 96. E. Cum *undecim* his, sine ulla dubitatione genuinis, et argumenti et compositionis necessitudine quadam ac cognatione coniuncti, ideoque vere Platonici esse videntur viro docto quem laudavimus, *novem* aut *decem* dialogi qui inscribuntur: *Lysis*, *Laches*, *Charmides*, *Eutyphro*, *Gorgias*, *Meno*, *Euthydemus*, *Cratylus*, *Convivium*, *Libri XII De Legibus*. Severior *Astius* V. Cl. (Platon's Leben u. Schriften Lipsiae 1816. 8.) tribus dialogis, *Gorgia*, *Cratylo* et *Convivio*, exceptis, quos, cum undecim prioribus illis, Platoni vindicat solos, *sex* reliquos, in his etiam, me suffragante, *Leges*, Platonicorum numero eximit. — Pro *spuriis* vero habentur *Minos*, *Hipparchus*, *Theages*, *Anterastae*, *Hippias minor*, *Clitophon*, *uterque Alcibiades*, *Epinomis*, *Definitiones*. *Minoëm* et *Hipparchum* una cum binis aliis dialogis, Platonis nomini suppositis, *De Iusto* ac *De Virtute*, doctissimus *Boeckhius* in libello *De Platonis qui vulgo fertur Minoë*, *eiusdemque libris de Legibus* p. 7 sqq. et p. 43 sqq., pro *Simonis* Atheniensis Coriarii, e Diogenis Laërtii Collectaneis II. §. 122. 123. et Epistolis Socraticorum 9. 11. 12. 13. 18. noti Socratici, scriptis habuit, sub eiusdemque nomine, ut ante dixi, quatuor annos post edidit, hoc indice: *Simonis Socratici, ut videtur, Dialogi quatuor, De Lege, De Lucri Cupidine, De Iusto ac de Virtute.* Additi sunt incerti auctoris Dialogi *Eryxias* et *Axiochus*. Graeca recensuit et praefat. criticam praemisit *Aug. Boeckhius*.

Heidelbergae 1810. 8. dissentiente tamen *Astio* in libro ante laud. p. 501 sq. — Denique *dubia fides* est, auctore Schleiermachero, Astio vero iudice *nulla*, operum quae inscribuntur: *Apologia Socratis*, *Crito*, *Io*, *Hippias maior* et *Menexenus*. — Ut vero non omnia, quae apud Platonem a Socrate disseruntur, Socratis doctrinam referre, tuto affirmari licet, ita dialogorum quum ipsa forma, tum consilia diversa, tum εἰρωνεία illa Socratica, quae in plurimis regnat, haud parum afferunt difficultatis, si quis, quid de quaque re, quae in disceptationem venit, Plato senserit aut opinatus fuerit, *ipse* velit elicere.

Praeter dialogos exstant etiam, et in editionibus omnium operum leguntur Platonis *Epistolae* XIII numero, quibus addere licet *tres* in *Epistolis Socraticorum*, quas supra laudavi, (24. 25. 26. pag. 30 sqq. ed. Orellianae) eiusdem nomini adscriptae. Sed vereor ut, praesertim post *Astii* epistolarum harum nuperrimam censuram loco laud. p. 504—530, virorum doctorum, qui vel omnium, vel unius et alterius epistolae auctoritatem ac fidem adhuc defenderint, opinio multis probetur.

Codicum Mss. Platonis notitiam dedere *Fischerus* in edit. sua IV. dialogorum, Eutyphronis rel. Lipsiae 1783. p. 176 sqq. et *Harlesius* ad Fabric. B. G. T. III. p. 123 sq. Antiquissimum, qui saec. IX. exaratus esse dicitur, e Graecia nuper doctus peregrinator *Eduardus Daniel Clarkius* Oxoniam attulit, asservatum in Bibl. Bodleiana, et descriptum a *Thoma Gaisfordio* in Catalogo s. Notitia Mss. qui a Cel. E. D. Clarkio comparati in Bibl. Bodlei. adservantur. Pars prior. Oxon. 1812. 4. cf. Millini Mag. Encycl. 1803. T. V. p. 367. *Wolfii* Litterar. Analecten. T. I. Vorrede p. XII. — *Opera* Platonis *e Cod. Ms. latine versa* a *Marsilio Ficino*, summo Platonis admiratore et Academiae Platonicae, a *Cosmo Medicis* conditae, (*Carl. Sieveking* Geschichte der Platonischen Academie zu Florenz. Göttingen 1812. 8.) Socio, primum prodiere Florentiae 1482. Fol. emendatius autem ibidem et Venetiis 1491. eadem forma. *Graeci* autem *contextus* omnium dialogorum, Thrasylli apud Laërtium (III. 56.) auctoritate in *novem tetralogias* divisorum, cum sex spu-

riis dialogis atque Epistolis, princeps editio est *Aldina*, Venetiis 1513. fol.; praestantior *Stephaniana* cum *Io. Serrani* interpretatione latina et notis, Parisiis 1578. III Voll. fol. Hanc expresserunt editio *Lugdunensis* 1590. fol. *Wecheliana* Francof. 1602. fol. et *Bipontina*, adiecta *Mars. Ficini* versione latina recognita, vita Platonis e Diogene Laërt. et notitia litteraria de Platone eiusque scriptis et editionibus, Biponti 1781 sqq. XI Voll. octonis; cui egregium accessit supplementum studio *Diet. Tiedemanni*, qui uno volumine edidit: *Dialogorum Platonis Argumenta exposita et illustrata*. Biponti 1786. 8. Eadem argumenta, sed multo subtilius ac limatius posthac rimatus est *Schleiermacherus* loco laud. et nuper *Astius* in libro quem commemoravi. Accurata et nitida est editio e Stephani recens. passim emendata, adiectis Scholiis et notis criticis, cura *C. D. Beckii*, Lipsiae ap. Tauchnitz. 1813 sqq. VIII Voll. duodenis. Ad multorum Codicum Mss. a se collatorum fidem, Platonis Dialogos nuper recensuit ac graece et latine edere coepit *Imm. Bekkerus*, Berolini 1816 sq. V Voll. oct. — Denique *Fr. Astio* debemus *Platonis opera*. Acc. Platonis quae feruntur scripta. Ad optimorum librorum fidem recens. in lat. convertit, annotatt. explanavit, indicesque rerum ac verborum accuratiss. adiecit. F. A. T. I. cont. Protag. Phaedr. Gorg. et Phaed. Lipsiae 1819. 8 mai. — Selectorum Platonis scriptorum fasciculos edidere *Nath. Forsterus* (Oxon. 1752. 8.), *Io. Sam. Müllerus*, *Io. Fr. Fischerus* (Lipsiae 1783. 8.), *Biesterus* et *Buttmannus* (Berolini 1811. 8.), *Fr. Aug. Wolfius*, primo *Symposii* cum Commentario germ. Lipsiae 1782. 8. deinde: Zu Platon's *Phaedon* von F. A. W. Berol. 1811. 4. denique: Platonis Dialogorum Delectus Pars I. Eutyphro, Apol. Socr. Crito. Ex recens. et cum lat. interpret. F. A. Wolfii, Berol. 1812. 4 et 8. — *L. F. Heindorfius* (Platonis Dialogi selecti Berol. 1802—1810. IV Voll. oct.) — Platonis libri octo — scholar. in usum, ad optimas recensiones diligenter expressi. Particula I. Hafniae 1811. 8.— *Fr. Astius* recensuit et edidit, 1) *Symposium* et *Alcibiadem* I. Landshut. 1809. oct. 2) *Phaedrum* cum *Hermiae* scholiis e cod. Monac. suisque commentariis. Lipsiae 1810. oct. 3) *Politiam* s. de Rep.

lib. X. cum additam. ad Commentar. in Platonis Phaedrum, ibid. 1814. oct. 4) *Leges* et *Epinomidem* cum perpetua annotatione ibid. eodem anno. II Voll. octonis. — *Platonis Phaedo*, explanatus et emendatus prolegomenis et annotatione *Dan. Wyttenbachii*, Lugd. Bat. 1811. 8. Eumdem Dialogum nuperrime in usum lectionum edidit *I. D. Büchlingius* Edit. secunda Halae 1819. 8. — *Menexenum* Platonis separatim graece edidit *Io. Chr. Gottleberus* Lipsiae 1782. 8. Argumentum huius dialogi subtilius delineavit et explicuit libello germanice scripto *I. H. Koeppenius*, Berolini 1790. 8. — *Ionem* recensuit et illustravit *M. G. Müllerus* Hamburgi 1782. 8. *Alcibiadem* II. *I. H. Koeppenius* Brunsvici 1786. 8. *Alcibiadem utrumque Car. Nürnbergerus*, Lipsiae 1796. 8. — *Gorgiam*, *Ludw. Hoerstelius* Gottingae 1797. 8. et *C. G. Findeisenius* Gothae 1796. 8. — *Euthydemum* et *Gorgiam* recens. vertit, notasque suas adiecit *Mart. Ios. Routhius* Oxonii 1784. 8. — Dialogos *de Republica* cum vers. Ficini emend. et notis edidit *Edm. Massey* Cantabr. 1713. II Voll. 8. graece et latine autem cum animadvers. crit. et exeg. etc. *I. I. Stutzmannus* Erlangae 1805. 8. Propositum vero atque argumentum operis huius Platonici acute scrutatus est *Car. Morgensternius* in libro *De Platonis Republica* Halae Sax. 1794. 8. — Denique *Apologiam Socratis* et *Critonem* c. vers. et notis gallicis *F. Thurot.* Parisiis 1806. 8. —

Platonis scripta *italice* vertit *Dardi Bembo*, Venetiis 1601. V Voll. 12. (Recusa est haec interpretatio Venetiis 1742 sq. III Voll. 4.); *gallice*, *Andreas Dacier*, *decem* dialogos, cum notis et praemissa Platonis vita, atque in Philosophiam eius introductione, Parisiis 1699. II Voll. 12. — et *Grou:* La Republique de Platon, Amstelod. 1763. 8. *Eiusd.* Loix de Platon, ibid. 1769. 8. denique *Eiusd.* (Sept) *Dialogues de Platon* ibid. II Voll. 8. Utriusque, et Dacerii et eruditissimi Grovii, versiones iunctim recusae sunt in collectione: *Bibliothéque des anciens Philosophes*, Parisiis 1771. XI Voll. 12., cui, praeter alia, inest quoque priorum Symposii Platonis capitum versio elegans ab *Io. Racinio* elaborata. — In *anglicum* sermonem *septem* diologos Platonis praeclare convertit et do-

ctissimis animadversionibus instruxit, praemissa Synopsi generali de scriptis Platonis, *Floyer Sydenhamus*, primo separatim, dein iunctim editos, hoc indice: *Dialogues of Plato.* Vol. I. II. London 1767-1773. quaternis. *Germanicae* versiones exstant plures, in his *Kleukeri*, Lemgovii 1778 97. VI Tom. 8. *Fr. L.* Com. a *Stolberg* 1796. III Voll. 8. et nuperrima, auctore *F. Schleiermachero*, cum commentatt. in universos, inque singulos dialogos, notisque criticis et philosophicis, Berolini 1804 sqq. V Voll. 8. nondum absoluta. — Platon's *Phaedros* und *Gastmal*, übers. erläut. u. verbess. von *Fr. Ast.* Jenae 1817. 8 mai. — Ueber das Wahre, Gute, und Schöne. Drey Dialogen, der *Theaetetos*, *Philebos* und *Hippias* d. gr. nach einem berichtigten Texte übers. von *F. Hülsemann*, Lips. 1807. 8. — Platon's *Republik* übers. von *Wolf.* Altonae 1799. II Voll. 8. — Dieselbe von *G. Fähse* Lips. 1800. II Voll. 8. — Platon's Unterredungen *über die Gesetze* übers. von *I. I. Schulthess.* Turici 1787. 8. — *Epistolas* Platonis *gallicas* fecit *Dugour* Parisiis 1792. 12; *germanicas I. G. Schlosser* Regiomonti 1795. 8. — *Commentariorum veterum* in Platonis opera (LXV numerantur usque ad Ammonium Saccam circa a. 200. p. Ch.) magna pars in Bibliothecis adhuc latet. Editi sunt *Procli Lycii* Commentarii in Platonis *Timaeum*, eiusdemque in libros *de Republica* Commentariorum fragmenta una cum Platonis Opp. Basileae 1534. fol.; — Vita Platonis ab *Olympiodoro* conscripta, et pauca ex *Scholiis* eius in Platonis Alcibiadem I. et Phaedonem, edita a *Nathan. Forstero* (Oxonii 1752) et *I. F. Fischero* ad Platonis Dialogos quatuor etc. Lips. 1783. 8. — Alia Scholiorum Graecorum fragmenta, e pluribus codd. mss. a *Io. Ph. Siebenkeesio* collecta, vulgavit *Io. Ad. Goetzius* in *Anecdotis Graecis*. Norimbergae 1798. 8. Pleniora autem *Dav. Ruhnkenius*: *Σχόλια εἰς Πλάτωνα.* Scholia in Platonem ex codd. multar. bibliothec. primum collecta, Leidae 1800. 8. De iisdem scholiis videndus *Chardon de la Rochette* in *Notices des Scholies Grecques sur Platon.* Parisiis 1801. 8. et *Petr. Olaus Bröndstedius* in Bredowii Epistt. Parisiensibus p. 125 sqq. — *Hermiae* Commentarium Graecum in Platonis *Phaedrum* e cod. Monac. una cum

Dialogo ipso ab *Astio* editum Lipsiae 1810. supra laudavimus. Nuperrime autem lucem viderunt *Procli Diadochi* et *Olympiodori* Commentarii in Platonis *Alcibiadem* I. nunc primum editi a *Fr. Creuzero*. Acc. Procli Institutio Theologica ex Cod. Ms. restituta. Francofurti ad Moen. 1819. 8. — Denique e Codd. Clarkianis *Scholia quaedam inedita* in Platonem *Th. Gaisfordius* Catalogo horum Codd. supra laudato inseruit.

Introductionem ad dogmata Platonis secundo circiter aerae Chr. saeculo *graece* scripsit *Alcinous*, quam saepius editam (Venetiis 1521. Basil. 1532. Lugd. Bat. 1630. 8. cum notis *Dan. Heinsii*) *gallice* vertit *Combes Dounous*, Parisiis 1800. 8. — *Lexicon vocum Platonicarum* a *Timaeo Sophista* Sec. III. conscriptum cum eruditissimis animadvv. edidit *Dav. Ruhnkenius* Lugd. Bat. 1789. 8. — Lexicon Platonicum sive Indices rerum ac verborum in Platonis Opera accuratissimos editurus est *Frid. Astius* Lipsiae octonis mai.

Entwurf von Plato's Leben etc. aus den Englischen m. Anmerk. und Zusätzen von Karl Morgenstern. Lipsiae 1797. 8. — *I. F. Combes-Dounous* Essai historique sur Platon, et Coup-d'oeil rapide sur l'histoire du Platonisme depuis Platon jusqu'a nous. Parisiis 1809. II Voll. 8. — Platon's Leben und Schriften. Ein Versuch das Wahre und Aechte vom Erdichteten und Untergeschobenen zu scheiden, und die Zeitfolge der ächten Gespräche zu bestimmen. Als Einleitung in das Studium des Platon herausgegeben von *Friedrich Ast.* Lipsiae 1816. 8 mai. — Plato in Italien, aus einer griech. Handschrift ins Italienische übersetzt, verdeutscht von ***, herausgegeben von *P. I. Rehfues.* Tübing. 1811. III Voll. 8. — *F. Delbruckii* Platon. Oratio. Bonn. 1819. 8. — *W. G. Tennemann* System d. Platon. Philosophie, Lipsiae 1792 sqq. IV Voll. 8. — *Fl. Sydenhami* Synopsis or general View of the Works of Platon, Londini 1759. 4. — *Garnieri* Comparatio Homeri ac Platonis in Hist. et Mem. de l'Acad. des Inscr. T. XLII. — *Graeffii* Socratik. v. supra — *G. A. Heigl* Die Platonische Dialektik Landshut. 1812. 8. — *Io. Lud. Guil. de Geer* Diatribe in Politices Platonicae principia, praeside *P. G. van Heusde.* Ultraj. ad Rhen. 1810. 8. — *Frid. Koeppenii* Politik nach Platonischen Grundsätzen, Lips. 1818. 8. — *Eiusdem* Rechtslehre nach Platonischen Grundsätzen, ibid. 1819. — *Henr. Nic. Clausenii* Apologetae ecclesiae Christ. Ante-Theodosiani Platonis eiusque Philosophiae arbitri. Hafniae 1817. 8. — *I. C. Huttneri* de Mythis Platonis, Lipsiae 1788. 4. — *Iani Cornarii* Eclogae in Dialogos Platonis omnes, separatim editae a I. Fr. Fischero. Lipsiae 1771. 8. — *Luxdorphiana* e Platone. Cum Annotatt. edidit *Olaus Wormius* Hauniae 1801. 4. — *P. G. van Heusdii* Specimen Crit. in Platonem Lugd. Bat. 1803. 8. — *Platon's Phaedon* mit besonderer Rücksicht auf die Unsterblichkeitslehre, er-

läutert und beurtheilt von *H. Kunhardt*, Lubec. 1817. — *Fr. Pettavelii* De argumentis quibus apud Platonem animorum immortalitas defenditur, Disputatio. Berol. 1815. 4. — Sylloge Lectionum Graecarum, Glossarum, Scholiorum in Tragicos Graecos atque *Platonem* ex Codd. Mss. qui in Bibl. imper. Paris. adservantur, erutorum, in ordinem redacta. Accedit Observationum criticarum Sylloge. Utramque collegit et publicavit *Godofr. Fahse* Lipsiae 1813. 8. — *F. I. Bastii* Krit. Versuch über den Text des Platon. Gastmahls, Lipsiae 1794. 8. — *Fr. Astii* de Platonis Phaedro, Ienae 1801. 8. — *I. G. Trendelenburgi* Animadvv. criticae ad Platonis *Menonem* et *Alcibiadem* I. Dantisci 1788. 4. — *Car. Morgensternii* Symbolae criticae in Platonis *Critonem* a Biestero ac Buttmanno nuper tertio editum. Dorpati 1814. fol. — *Eiusd.* Symbolae crit. ad Plat. *Politiam* ab Astio denuo editam. ibid. 1815 fol. — *G. G. Wernsdorfii* Notae in Platonis *Critonem* et *Alcibiadem* I. Lipsiae 1815. — *Ioh. Kasp. von Orelli* Philologische Briefe, ad calcem orat. Isocratis. de ἀντιδόσει p. 234—236. 323—337. — *A. Boeckhii* Comm. in Platonis qui vulgo fertur *Minoem* eiusdemque libros priores de legibus. Halis 1806. 8. — *Eiusd.* Specimen editionis *Timaei* Platonis Dialogi, Heidelb. 1807. 4. — *Eiusd.* Progr. Explicatur Platonica corporis mundani fabrica, ibid. 1809. 4. — *Eiusd.* Progr. Disputatur de Platonico Systemate caelestium globorum, et de vera indole astronomiae Philolaicae, ibid. 1810. 4. — *Eiusd.* Ueber die Bildung der Weltseele im Timaeos des Platon — in *Studien* herausgegeben von C. Daub u. Fr. Creuzer. T. III. p. 1—95. — *Eiusd.* Comm. de simultate quae Platoni cum Xenophonte intercessisse fertur. Berol. 1811. 4. — *Fried. Thierschii* Specimen editionis Symposii Platonis Gottingae 1808. 4. — *C. Fr. Heinrichii* Demonstratio et restitutio loci corrupti e Platonis Protagora, p. 327 C. D. Kieliae 1813. 4. — cf. *Beckius* in Indice Editionum praem. Tomo II. p. VII. — *Fr. Creuzeri Lectiones Platonicae*, maximam partem ex Codd. Mss. enotatae, ad calcem *Plotini* de Pulchritudine, pag. 458—537. — Commentationes Mathematico-philologicae tres, sistentes explicationem duor. locor. difficilium, alterius *Virgilii*, alterius *Platonis* etc. auctore *Car. Brandano Mollweide*, Lipsiae 1813. 8. — *Bremi* Comm. Platon's Kriton, ein echter Dialog des Platon — in *Eiusdem* et *Doederleinii* Philolog. Beiträgen aus der Schweiz. T. I. Nr. 5. Turici 1819. 8. — *I. U. Fasii* Bemerkungen und Vorschläge über das 1. Buch der Platonischen Republik. ibid. Nr. 14. — *Bailly* Lettres sur l'Atlantide de Platon etc. Lond. et Paris 1779. 8. — Platonicor. libror. *de Legibus* examen, quo, quonam iure Platoni vindicari possint, appareat; auctore *C. Dibthey* Gotting. 1820. 4.

§. 66.

Platonicorum vel *Academicorum* philosophorum, qui post Platonis mortem eius scholae praefuerunt, ut *Speusippi*, *Xenocratis*, *Polemonis*, *Cratetis* et *Crantoris*, cuius libellum *de Luctu* aureolum appellat Cicero Quaest. Acad. IV. 44., in *veteri* Academia. *Arcesilae* in *media*, *Carneadis* in *nova*, rel. *nullum*

scriptum aetatem tulit, si forte excipias Ὅρους sive *Definitiones*, quae a nonnullis *Speusippo*, Platonis e sorore nepoti, tributa, vulgo inter Platonis scripta leguntur, et *librum de morte*, *Xenocrati* adscriptum, quem Ficinus pro dialogo similis argumenti habet, qui vocatur *Axiochus*, quemque ab aliis ad *Aeschinem* auctorem referri vidimus §. 63. Utrumque opus cum Alcinoi Introductione etc. iunctim editum est Parisiis 1533. et Basileae 1532. 8. —

Franc. Dorothei Gerlachii Comm. exhibens Academicorum iuniorum, imprimis *Arcesilai* atque *Carneadis de probabilitate disputationes* etc. Gottingae 1815. 4. —

§. 67.

Platonem aetate antecessisse putatur *Ocellus* ex *Lucania*, *Pythagoreus*, sub cuius nomine exstat liber περὶ τοῦ παντὸς φύσεως, *de natura et ortu Universi*, communi scriptorum Graecorum sermone (κοινῇ) exaratus, quum libri huius fragmenta a *Stobaeo* servata dialecto *dorica* scripta sint: quae potior causa habenda, cur libellum hunc Ocello abiudicandum esse censeant, eiusque antiquitatem impugnent nonnulli, imprimis doctissimus *Meinersius*, quibus obloquuntur *Bruckerus*, *Tiedemannus*, *Wyttenbachius* (Bibl. Crit. Part. VIII. p. 119 Not.) *Bardili* et *Rudolphi*, nuperrimus Ocelli editor et interpres, Lipsiae 1801. 8. Praecesserant contextus graeci tum aliae, ut a *Thoma Galio* in Opusc. Mythol. Phys. Ethicis, tum *duae* editiones a Gallofrancis *March. d'Argens*, Berolini 1762. 8. et *Batteusio*, Parisiis 1768. 8. curatae. Utrique *versio gallica* et animadversiones subiectae sunt. Batteusii editione, praeter Ocellum, continetur etiam similis liber *dorice* scriptus, *Timaei Locrensis*, itidem Pythagorei, quem Plato philosophiae causa adiisse dicitur Ciceroni de Fin. V. 29. Timaei libellum, qui inscribitur περὶ ψυχᾶς κόσμω καὶ φύσιος, *De anima mundi et natura*, servavit *Proclus*, qui eum commentario suo in Platonis dialogum, Timaei nomine insignitum, praemisit. Post *Th. Galei* editionem, in Opusc. mythol. phys. modo laudatis, prodiit liber *Timaei Locri* etiam cura *March. d'Argens* cum versione *gallica* et com-

mentariis copiosis Berolini 1763. 8. In germanicum sermonem eum convertit *Ch. G. Bardili* in *Füllebornii Beyträgen zur Geschichte d. Philosophie*, part. IX. Idem *Bardili* in opusculo suo: *Epochen d. vorzüglichsten philosophischen Begriffe* etc. Halae 1788. 8. post *Tiedemannum*, Timaei librum auctori, cuius nomen prae se fert, vindicare studet, dilutis aliorum, maxime *Meinersii* argumentis, fidem libelli impugnantibus.

Utrumque, Ocellum pariter ac Timaeum, nominis fama atque auctoritate anteibat *Archytas*, *Tarenti* urbis patriae septies praefectus, philosophus scholae Pythagoricae, et mathematicus inventis clarus, cuius *ad Platonem*, qui Tarenti eum invisit, fertur *epistola*, apud *Diog. Laërtium* VIII. 80. Scripta philosophici et mathematici argumenti compluria reliquit, ex quibus fragmenta quaedam, partim *Galei* Opusc. Mythol. phys. inserta, et liber *περὶ τοῦ παντος φυσιος*, *dorice* scriptus, superest, ab *Io. Camerario* editus Lipsiae 1564. 8. quem tamen spurium et ab iuniore Peripatetico magni viri suppositum nomini esse, iam Themistius iudicavit. cf. *C. G. Bardili* De Archyta Tarentino disquisitio — in Novis Actis Soc. Lat. Ien. Vol. I. p. 3—16.

Nec *Philolaum* Crotoniatam omittamus, e celeberrimis Pythagoricis unum, qui, Diogene Laërtio (VIII. 15) et Iamblicho (vit. Pyth. c. 31) testibus, *primus Pythagoreorum commentarios* de rerum natura *scripsisse* fertur, ingenti pretio centum minarum a Platone emtos. V. Diog. Laërt. I. I. et III. 19. VIII. 84. Gellius N. A. III. 17. Quod si verum, vix cum Cicerone (De Orat. III. 34.) Archytae discipulus erit habendus, sed aetate paulo superior cum Socrate vixisse videtur, cuius discipuli, Simmias et Cebes, ante Socratis mortem eum Thebis audiverunt, teste Platone in Phaedone p. 61. E. ubi de eo Scholiastes: *δι᾽ αἰνιγμάτων*, inquit, *ἐδίδασκε, καθάπερ ἦν ἔθος αυτοις* (*τοῖς Πυθαγορείοις*). *ἦλθεν ουν καὶ εἰς Θήβας, τεθνεῶτι τῷ διδασκάλῳ Λύσιδι χοὰς ποιησασθαι, εκεισε τεθαμμενῳ.* Eiusdem cum aliis Pythagoreis nomen in Astronomiae veteris historia adhuc clarissimum habetur, secus iudicante *Aristotele de Caelo* II. 13. quem sequitur doctissimus

Idelerus in comment. germ. *Ueber das Verhältniss des Copernicus zum Alterthum*, inserta *Museo Antiquit.* a Wolfio et Buttmanno edito T. II. p. 399-412. cf. *Wyttenbachius* ad Platonis Phaed. l. l. Fabricii B. G. Vol. I. p. 862 sq. *Aug. Boeckhii* Disp. de Platonico systemate caelestium globorum, et de vera indole astronomiae Philolaicae Heidelb. 1810. 4. tum eiusdem qui nuper prodiit liber, in quo philosophi huius placita et scriptorum fragmenta quae supersunt, a Stobaeo maxime servata, explicuit et illustravit, hoc indice: *Philolaos des Pythagoreers Lehren nebst den Bruchstücken seines Werkes*, von *August Boeckh*. Berolini 1819. 8.

§. 68.

Platonem viginti per annos Athenis audiverat *Aristoteles*, Nicomachi medici filius, natus *Stagirae* in Macedonia Ol. XCIX. 1. a. Ch. 384. unde *Stagirites* dicitur. Is, relictis post obitum magistri Athenis, ad *Hermiam* eunuchum, Platonis discipulum, Atarnensium in Mysia tyrannum, amicitiae et hospitii iure ac necessitudine sibi devinctum, sese contulit: quo, triennio post, regis Persarum iussu, interfecto, Mitylenen profugit, unde mox Ol. CIX. 2. a *Philippo* Macedonum rege arcessitus, *Alexandri*, quindecim tum annorum iuvenis regii, instituendi erudiendique curam susceptam parenti filioque adeo probavit, ut utriusque amorem, honorem statuae, patriaeque urbis eversae restaurationem, haud contemnenda operae suae ferret praemia. Post Philippi mortem (Ol. CXI. 1.), priusquam in Asiam discederet Alexander, Athenas reversus, in gymnasii suburbani, cui ab Apollinis Lycii templo vicino *Lycei* nomen inditum, porticu ambulatoria (περίπατος) scholae a se conditae tredecim per annos praefuit. Extincto demum rege (Ol. CXIV. 1.), inimicorum invidiae et criminationibus subducturus se, *Chalcidem* Euboeae clam secessit philosophus, ibique anno sequenti, incertum morbo an morte voluntaria oppressus, annos natus tres et sexaginta, obiit anno tertio Olymp. CXIV. a. Ch. 322. — Pythagorae, Parmenidis, aliorumque philosophorum morem secta-

tus Aristoteles, *duplicem docendi methodum* adhibuit: philosophiam reconditiorem et subtiliorem, qua ex *principiis* et *causis* interior rerum natura ad rei *veritatem* exigitur, *paucis tantum familiaribus*, ingenii acumine ac sollertia praepollentibus, investigandique labori assidua exercitatione assuetis, tradens; ex *communibus* autem vulgi *opinionibus populariter* disserens, rerumque argumentis, quibus *mera inerat probabilitas*, utens *coram omnibus*, quotquot disputationibus eius interesse vellent (cf. Gellius XX. 5.). Quam eamdem doctrinae diversitatem ad *libros* quoque scriptaque, quibus *totum disciplinarum ad philosophiam et naturae historiam pertinentium ambitum* non solum *emensus* est, sed ad *certos* etiam *fines* limitesque *primus revocasse* putandus, transtulisse eum in comperto est, ita ut *alios in vulgi*, *alios in familiarium usum* componeret commentarios, hos appellans *acroamaticos*, illos *exotericos*. V. doctissimus *Buhlius* in Comment. *de distributione librorum Aristotelis in exotericos et acroamaticos eiusque rationibus et causis*, Gottingae 1786. 8. et secundis curis recusa in Opp. Arist. editione T. I. p. 107-152. Ex ingenti vero librorum numero, quos summi et immensa doctrinae copia instructi ingenii, in quo formando, quid efficere posset, experta esse videtur natura, philosophus aut ipse, dum vixit, in lucem emiserit, aut, id quod de plurimis credere licet, scriptos necdum editos una cum bibliotheca sua *Theophrasto*, discipulo suo clarissimo atque in schola successori, reliquisse dicitur; nullorum iacturam aeque dolendam esse arbitramur, ac τῶν Νομίμων et Πολιτειῶν, in quo ultimo opere, ut ait Cicero (De Fin V. 4.), *omnium fere civitatum*, *non Graeciae solum sed etiam Barbariae*, *mores*, *instituta ac disciplinas* exposuerat. Qui supersunt *potiores*, ad *tria* genera commode revocari possunt. I. Opera *philosophica Organum*, libros tres de *Rhetorica*, *Rhetoricam ad Alexandrum*, opus spurium, ab *Anaximene Lampsaceno* verisimiter conscriptum (v. Spaldingius ad Quintil. III. 4. 9. et II. 15. 10. *Buhlius* in praefat. ad Aristot. Vol. V. p. IV sqq.), et *Poëtices* fragmentum; *Physicam* sensu latiore cum *Meteorologia*, et *Methaphysicam*, tum *Ethica* ad

Nicomachum filium et ad *Eudemum*, *Magna Moralia*, *Politica* et *Oeconomicorum* librum I. comprehendunt. II. *Mathematica*, quorum duo opera, *Quaestiones Mechanicae* et *De Lineis insecabilibus* liber, feruntur. III. Ad *rerum naturalium historiam* pertinent *libri decem*, nunc superstites, *Historiae de Animalibus*; *De partibus animalium*; *De animalium incessu*, aliique multi, partim spurii aut dubiae fidei, in his liber ex aliis Aristotelicis verisimiliter consarcinatus, *De mirabilibus auscultationibus* (cf. *Niebuhrii* Römische Geschichte T. I. p. 29): de quibus omnibus v. *Fabricius* B. Gr. Vol. III. p. 207-284. et *Buhlius* in Commentat. laud. p. 51 sqq. et in Praefat. ad Voll. III. Aristotelis p. XI sqq. Eumdem adi de *librorum Aristotelis*, post auctoris obitum, *fatis*, Strabone et Plutarcho ducibus, disputantem in praefatione ad Vol. I. Aristot. p. XVII sqq. item doctissimum *Schneiderum* in Epimetro II. praefationi ad Aristotelis historiam de Animalibus subiecto T. I. p. LXXVI—XCIII. — Sermone in conscribendis libris, illis imprimis *acroamatici* qui dicuntur, usus est Aristoteles purissimo quidem, sed propter breviloquentiam, sententias spissas, verba nova novis rebus imposita, vel alio sensu et significatu, a vulgari et solito diverso, frequenter usurpata, difficillimo et hactenus obscuro. In oratione eius accurata, concisa et perpetua, frustra quaeras Platonici dialogi Veneres et illecebras; imaginum, comparationum, fictionum, allegoriarum et descriptionum ornamenta, e poëtarum penu ad mitigandam contemplationis philosophicae severitatem tam divina ingenii copia deprompta, quam elocutionis arte attemperata, sed quae in disceptationibus philosophicis veritatis et scientiae unice studiosum impediunt, turbant, onerant; unde a more hoc antiquo, philosophiae praecepta mythorum et symbolorum involucris tradendi, severior Stagiritae ratio prorsus recessit.

Codicum Mss. Aristotelis, *editionum*, atque *interpretum Graecorum*, *Arabicorum* et *Latinorum* cohortis censum vel potius delectum diligenti studio confecit *Buhlius* in editionis suae operum Aristotelicorum Vol. I. p. 155-358. *Graecorum* quidem *interpretum*, quorum in *Aristotelem commentarii seorsum editi*

exstant, praecipui (ab aerae Chr. saeculi IIdi fine ad XIImi initium), habentur: *Alexander Aphrodisiensis*, *Porphyrius*, *Themistius*, *Ammonius Hermeae*, *Simplicius*, *Ioannes Philoponus*, *Michaël Psellus*, et *Eustratius*: de quibus, suo cuiusque loco, videbimus. — *Editionum omnium operum* Aristotelis, post *principem* illam *Aldinam* una cum *Theophrasti libris*, iam Erasmi aetate perraram, (cuius exemplum in Bibliotheca Academica Vilnensi asservatur) Venetiis 1495-98. V Voll. fol. min., praestantiores erant: *Frid. Sylburgii*, Francofurti ap. Wecheli heredes 1587. V Voll. 4.; *Is. Casauboni*, Lugduni 1590. II Voll. fol. (pluries recusa); *Guil. Du Val*, Lutet. Paris. 1619. II Voll. fol. (Ibidem maioribus typis 1639. et 1654. IV Voll. fol.). Successit demum, longo temporis spatio interiecto, nostra aetate, *Io. Theoph. Buhlii*, de Aristotelis scriptis egregie meriti, multo emendatior editio *Biponti* 1791 sqq. praeter contextum philosophi castigatum, exhibens adnotationem criticam, librorum argumenta accurate exposita, et novam versionem latinam; cuius edit. *quinque* Volumina *octonis*, quae Organum, libros de arte rhetorica et poëtica continent, in lucem iam emissa, utinam reliqua aliquando sequantur. — E *singulorum* porro Aristotelis *librorum* editionibus numerosissimis notemus: 1) *Organi* h. e. librorum omnium ad Logicam pertinentium editionem ab *Iulio Pacio*, Morgiis 1584. 4. et secundis curis Francofurti 1597. 4. denique ibidem 1598. 8. curatam. 2) *Historiae de Animalibus* cuius nunc IX libri genuini tantum supersunt; nam *decimum*, seu potius decimi fragmentum, quod libris novem subiungi solet, spurium et supposititium esse, plurima vincunt argumenta; vide *Schneiderum* in praefatione p. XIII.; olim vero multo plures partes fuisse e Plinii H. N. VIII. 16. 17. verbis colligitur „*quinquaginta ferme volumina* illa praeclara *de Animalibus*" laudantis, quem vincit etiam aetate multo superior *Antigonus Carystius*, qui Hist. mirab. c. 66. *Septuaginta* libros numerat. Ad quod praeclarum, et accuratissima diligentia confectum opus *octingenta* ab Alexandro rege *talenta* accepisse Aristoteles traditur Athenaeo X. p. 398. E. coll. Plin. H. N. l. l. cf. Schneiderus in Epimetro I. T. I. p. XLII-XLVII.

Historiae igitur huius, post *Iul. Caes. Scaligeri* editionem, quae cum eiusdem *Scaligeri* versione latina et commentariis anno 1619. demum prodiit Tolosae. fol. *Ph. Iac. Maussaco* editore; tum post Galli eruditi *Camusii* diligentiam et industriam eximiam, quam in vertendo et illustrando Aristotelis libro viris doctis approbavit, edita *Histoire des Animaux d'Aristote, en grec et en françois, traduit par Camus* Parisiis 1783. II Voll. quat. — praestantissimam editionem nunc debemus *Schneideri* studio et doctrinae, hoc indice vulgatam: *Aristotelis de Animalibus Historiae libri X.* Graece et Latine. Textum recensuit, Iul. Caes. Scaligeri versionem diligenter recognovit, commentarium amplissimum, indicesque locupletissimos adiecit *Io. G. Schneider.* Lipsiae 1811. IV Voll. 4 mai. 3) *De mirabilibus auscultationibus* ab *Io. Beckmanno* Gottingae 1786. 4. 4) *Aristotelis Quaestiones Mechanicae.* Recensuit et illustravit *Io. Petr. van Capelle.* Amstelod. 1812. 8. 5) *Politicorum* libri VIII. a *Dan. Heinsio* Lugd. Bat. 1621. 8. et nuper *Cel. Schneideri* cura, qui Graeca recensuit, emendavit, illustravit, interpretationemque latinam addidit. Francof. ad Viadr. 1809. II Voll. 8. 6) *Ethicorum ad Nicomachum* cum commentariis *P. Victorii*, Florentiae 1583. fol. nuperrime autem ex recognitione et cum Commentario *Car. Zellii* Heidelb. 1819. 8 mai 7) *Rhetorices* ab eodem *P. Victorio.* Venetiis 1548. fol., a *Theod. Goulstonio* Londini 1619. 4. (recusa ibid. 1696. 4.) et a *Reizio* Lipsiae 1772. 8. 8) *Poëtices* a *Franc. Robertello* Florentiae 1548. fol., a *Vinc. Madio* Venetiis 1550. fol. a *Dan. Heinsio* Lugd. B. 1611. 8. et 1643. 12.; cum paraphrasi latina *Th. Goulstoni* et Variorum notis a *Iac. Uptono* Cantabrig. 1696. 8.; graece ab *Reizio* Lipsiae 1786. 8.; a *T. Winstanleio* Oxonii 1780. 8. a *Thom. Thyrwhitto* cum vers. et notis, editore *Thom. Burgessio* Oxonii 1794. 4. et 8. repet. 1806. 8. et nuperrime a *Godofr. Hermanno* Lipsiae 1802. 8. 9) *Secundi* qui vulgo fertur *Oeconomicorum* libri; iam olim Erasmi, Ger. Vossii, Petiti, Petavii, et nuper *Boeckhii* (Die Staatshaushaltung der Athener T. I. p. 3. et 322. T. II. p. 130.) iudiciis damnati, ut Aristotelis ingenio et nomine indigni, a doctissimo

Schneidero, hoc indice: *Anonymi Oeconomica quae vulgo Aristotelis falso ferebantur.* E libris scriptis et versione antiqua (*Guil. de Morbeka*) emendavit et enarravit *I. G. Schneider* Lipsiae 1815. 8 min. 10) Denique hoc ipso anno: Ἀριστοτέλους λόγος, ὁ, περὶ φύσεως, τῆς ζωϊκῆς μάλιστα, μεθοδικός. *Aristoteles über die Wissenschaftliche Behandlungsart der Naturkunde überhaupt, vorzüglich aber der Thierkunde.* Griechische Urschrift mit einigen Textberichtigungen, einer deutschen Uebersetzung u. Anmerkungen. Herausgegeben von *Franz Niklas Fitze.* Prag 1819. 8.

Denique *versiones* nonnullorum Aristotelis librorum, praeter laudatas, memoratu digniores sunt: *Ethicorum* (e latina versione) *polonica* a *Seb. Petricio* Medico, Cracoviae 1618. fol.; *germanicae* auctoribus *Jenischio*, Gedani 1791. 8. et *Ch. Garvio* Vratislav. 1798. II Voll. 8. — *Politicorum polonica* ab eodem *Seb. Petricio* Cracoviae 1605. fol.; *gallicae* a *Champagne* Parisiis 1797. II Voll. 8. et a *Ch. Millon* ibidem 1803. III Voll. 8.; *germanicae* cnm *Oeconomicorum* fragmentis a *I. G. Schlosserio*, Lubecae 1798. III Voll. 8. et, sine his, a *Ch. Garvio* cum notis et commentationibus *C. G. Füllebornii* Vratislav. 1799 sqq. II Voll. 8.; *Anglica* una cum *Ethicis* a *Io. Gillies.* 1797. II Voll. 4. — *Oeconomicorum polonica* a *Seb. Petricio* Cracoviae 1618. fol. — *Metaphysicorum germanica* a *C. G. Füllebornio* in *Beyträge zur Gesch. der Philosophie* part. II. et III. 1792 sqq. 8. — *Historiae de Animalibus* item *germanica* cum annotatt. auctore *Frid. Strackio.* Francof. ad Moen. 1816. 8. — Nullius tamen scripti Aristotelici plures exstant versiones quam libelli sive fragmenti de *Arte poëtica*, inque his *italicae* quatuor a *Lud. Castelvedro* 1750. *M. Piccolominio* 1575. *Octav. Castellio* 1642. et *Hannibale Caro* 1732.; gallicae cum observatt. *Andr. Dacerii*, Parisiis 1692. 12. et *Batteusii* in libro qui inscribitur: *Les quatre Poëtiques d'Aristote, d'Horace, de Vida, des Despréaux*, avec les traductions et des remarques par Mr. l'abbé *Batteux* à Paris 1771. II Voll. 8. (Inest textus graecus libri Aristotelici ad duos codd. Mss. bibl. Paris. passim refictus); *germanicae* cum notis et dissertationibus, auctore *M. C. Curtio* Hanno-

ver. 1753. 8. (cf. *Lessingii Hamburgische Dramaturgie* 1767. II Voll. 8.) et *I. Th. Buhlio* Berolini 1798. 8. denique *Anglicae* praestantissimae, cum doctissimis annotationibus et commentariis a *Thom. Twiningio* Londini 1789. 4. et ab *Henr. Iac. Pye* Londini 1792. Quibus addenda nunc *Poëticae Aristotelis nova versio* ex graeco exemplari editionis novissimae. Acc. Appendices duae: *De Tragoediae officio* et *De Dramaticae* poëseos *apud Graecos origine* (auctore *March. Io. Hausio*) Panormi 1815. oct. mai.

Zeidleri Introductio in lectionem Aristotelis — *Franc. Patricii Discussiones Peripateticae* Basileae 1571. fol. — Memoires de l'Academie des Inscript. Vol. 38. 39. 41. — *I. Sev. Vateri* Animadversiones et Lectiones ad Aristotelis libros III. Rhetoricorum. Accedit auctarium *F. A. Wolfii* Lipsiae 1794. 8. — *Eiusdem* Theologiae Aristoteleae Vindiciae, Lipsiae 1795. 8. — *G. L. Spaldingii* Commentarius in priorem partem libelli (vulgo Aristotelici) *de Xenophane*, *Zenone* et *Gorgia*; qui inest in Eius *Vindiciis philosophorum Megaricorum*. Halae 1792. — *C. D. Beckii* Progr. cui inest Varietas Lectt. libellor. Aristotelicor. e Codice Lipsiensi. Lipsiae 1793. — *C. T. Krugii* Observationum criticarum et exegetic. in *Aristotelis librum de Categoriis*, Partic. I. de libri sinceritate. Lipsiae 1809. 4. — Recherches critiques sur l'age et l'origine des traductions latines d'Aristote et sur des commentaires grecs ou arabes employés par des docteurs scholastiques — par M. *Jourdain*. Paris 1819. 8. — *F. Kasp. v. Orelli* Aristoteles Pädagogik — in *Bremi* et *Döderleini* Philolog. Beiträgen aus der Schweiz. T. I. Nr. 4.. Turici 1819. 8. — cf. Libri hist. phil. enarrantes supra laudati ad calcem §. 58.

§. 69.

Aristotelis discipulum praestantissimum, eiusque in *Peripateticorum* schola successorem, iam ante designavimus *Theophrastum* a patria *Ereso*, Lesbi insulae urbe, cognominatum *Eresium*, qui iuvenis a patre Athenas missus, Aristoteli imprimis, cuius disciplinae sese addixit, philosophiae rerumque naturalium acerrimum studium, ingenii alacritatem et miram facundiam, *eloquendique divinum nitorem*, qui tantus in illo fuit, *ut ex eo nomen quoque traxisse dicatur* *), magnopere approbavit. Idem, quum prae-

*) Quintil. X. 1. 83. cf. Cic. Or. c. 19. §. 62.

ceptoris vita defuncti locum in *Lyceo* capesseret, tanto plausu docuit Athenis, ut *bis mille* discipulos habuisse memoretur Diogeni Laërtio V. 37., itaque carus et acceptus fuit Atheniensibus, ut, quum *annos quinque* circiter et *octoginta* natus decessisset (Ol. CXXIII. 3. a. Ch. 285.) omnis fere populus ad philosophi exsequias cohonestandas conveniret. — Scriptorum, quorum magnum reliquit numerum, plurima pars, philosophici ac historici imprimis argumenti et elegantioris doctrinae illa, temporis iniuria interciderunt. (V. deperditorum censum apud Fabricium Harles. B. G. Vol. III. p. 445 sqq.) In his maxime desiderantur eius *Πολιτικά*, *libri tres de Legumlatoribus* (*περὶ νομοθετῶν*), et *viginti quatuor de Legibus* (*Νόμων κατὰ στοιχεῖον κδ*); quod quidem opus respexit *Cicero* in loco supra citato (De Fin. V. 4.): „*Omnium fere civitatum*, *non Graeciae tantum*, *sed etiam Barbariae*, *ab Aristotele mores*, *instituta*, *disciplinas*, *a Theophrasto leges etiam cognovimus.*“ Librum eius rhetoricum *περὶ λέξεως* laudat Dionysius Halic. De compos. verborum. p. 212 Schaef. et Demetrius de Elocut. §. 175. Ceterum Theophrasti libros in ordinem redegisse dicitur idem, qui Aristotelis opera in *πραγματείας* primus distribuit, pluribusque librariis describenda et divulganda dedit, *Andronicus Rhodius*, Luculli temporibus clarus in Peripateticorum disciplina philosophus. Supersunt I. *Historiae plantarum* (*περὶ φυτῶν ἱστορίας*) libri *novem* integri et *decimi* fragmentum exiguum; in quibus supra D plantas, secundum stirpium communitatem vel discrimina, sagaciter ac diligenter descripsit, adeo ut Aristotelis de plantis, qui genuini ferebantur, libris deperditis, Theophrastus Botanicorum qui de plantis scripserunt princeps habendus sit. V. *Hallerus* in Bibl. Bot. T. I. p. 31 sq. Huius operis ipse meminit in fronte alterius, serius conditi, quod inscribitur: II. *De causis sive generatione plantarum* (*περὶ φυτικῶν αἰτιῶν*) libri *octo*, quorum *sex* tantum *priores* servati sunt, plantarum magis physiologiam quam notas, quibus earum stirpes et familiae discernantur, explicantes. III-XII. Libelli, seu potius *Excerpta* librorum *physici* argumenti complurium, ut *De Lapidibus*, e quo Plinius in Historiae

suae Naturalis libros (33. 36. 37.) multa ad verbum transtulit, monente Fabricio l. c. p. 422. *De Ventis. De Signis pluviarum, ventorum, tempestatis et caeli serenitatis. De Igne* liber *unus*, e *duobus*, Diogeni Laërtio commemoratis, superstes. *De Odoribus* (*περὶ ὀσμῶν*). *De Sudoribus* (*περὶ ἱδρώτων*). *De Vertigine* (*περὶ ἰλίγγων*) fragmenta. *De piscibus in sicco degentibus* etc. XIII. *Metaphysica*, ab *Andronico* tamen in recensione operum Theophrasti omissa, quem secutus est nuperrimus editor. XIV. *Liber de sensu.* XV. *Characteres*, sive *morum vitiosorum notationes* atque *descriptiones Ἠθικοὶ Χαρακτῆρες* *), aut maioris operis Theophrastei deperditi epitome, aut opusculorum similis argumenti, diversis auctoribus, collectio, cui qui eam condidit nescio quis praefatus esse videtur, aut, quae *Darbarei*, nuperrimi editoris, opinio est, „*ἐκλόγιον καὶ οἷον ἀπάνθισμα ἐκ τῶν σποράδην τῷ Θεοφράστῳ ἐν τοῖς αὐτοῦ συγγράμμασι περὶ ἠθῶν εἰρημένων*" h. e. delectus et quasi florilegium dictorum de moribus, quae in Theophrasti scriptis dispersa olim legebantur. Quo sumto, neque definitiones vitiorum, ad unam fere omnes variis peccantes modis, neque Characterum Epilogi, aut Prooemium, ipsi Theophrasto tribuenda erunt, sed totius opusculi et compilatori et editori addicenda. *Princeps editio* a *Pirckeymhero* curata Norimbergae 1537., non nisi XV Characteres cum Prooemio continet. Accessere VIII ex alio codice Ms. una cum XV prioribus editi a *Io. Bapt. Camotio* in *tomo sexto Operum Aristotelis*, Venetiis apud Aldi filios 1552. 8. Numerum hunc XXIII Characterum denuo auxit *quinque* novis e codice Palatino *Is. Casaubonus* in editione sua egregia, Lugduni 1599. iterumque 1612 et 1617. 8. cum commentario eruditissimo. Denique *Io. Chr. Amadutius* ex codice Vaticano Characterum *duo* capita eatenus *inedita* primus vulgavit in editione splendida, *Adamo Czartoryscio*, Principi bonarum artium amantissimo, dicata, Parmae apud

---

*) *Seneca* Ep. XCV. 66. „*Ἠθολογίαν* Posidonius vocat, quidam *χαρακτηρισμὸν* appellant, signa cuiusque virtutis et vitii ac notas reddentem, quibus inter se similia discriminentur.

Bodonium 1786. 4. Conficitur sic numerus XXX Characterum qui in lucem editi sunt. Praeter memoratas autem libelli huius Theophrastei editiones, aeque dignae sunt quae commendentur: *Petri Needhamii*, Cantabrigiae 1712. 8. cum Casauboni versione lat. et commentariis. — *Io. Fr. Fischeri*, Coburgi 1763. 8. cum suis animadverss. et Casauboni commentario; — *I. H. Nastii* cum notis egregiis, germanico sermone conscriptis, et praemissa commentatione *de consilio ac ratione Theophrasti in moribus notandis*, Stuttgart. 1791. 8. — *I. A. Goezii* cum additamentis anecdotis e cod. Vaticano et lectionis varietate, Norimbergae 1798. 8. — cum versione gallica, notis crit. et praemissa comment. *de vita et scriptis Theophrasti*, a doctissimo Graeco *Corayo* Parisiis 1799. 8. — *I. G. Schneideri* Ienae 1799. et 1800. 8. — *Blochii* Altonae 1814. 8. — *Frid. Astii* duplex, *maior* ad optimor. libror. fidem recensita, cum perpetua adnotatione et dissert. de Notationum ingenio atque auctore; *minor* in usum lectionum; utraque Lipsiae 1816. oct. mai. edita — Denique eruditi Graeci *Darbarei*, hoc indice: *Θεοφράστου Χαρακτῆρες ἑλληνιστὶ ἐκδοθέντες μετὰ συντόμων κριτικῶν ἐπιστάσεων ὑπὸ Δημητρίου Νικολάου Δαρβάρεως.* Vindobonae 1815. 8. — *P. Fonteinii* editionis, quae sub annum 1760 ab Wesselingio ad Herodotum promissa, nondum vidit lucem, meminit *Wolfius* in Anal. Litter. T. II. p. 524.

Converterunt Characteres Theophrasto adscriptos in linguas recentiores, vel imitatione expresserunt plures. Celebratissimus est liber *Bruyerii*: *Les Caractères de Théophraste, traduits du grec en françois, avec les Caractères ou les moeurs de ce siècle par Mr. Jean de la Bruyere*, Parisiis 1696. 12. pluries recusus, novissime „*avec des additions et des notes nouvelles par Godefroi Schweighaeuser*“ Parisiis 1802. 12. (edit. stéréotyp.). Post Bruyerium itidem *gallico* sermone eos expresserunt *Levesque* cum Menandri sententiis, Parisiis 1782. 12., *Belin de Ballu* Parisiis 1790. 8. et *Coray* paulo ante laudatus. *Italice* cum contextu graeco, varia lectione et animadverss. *Leonardus del Riccio*, Florentiae 1761 sqq. IV Voll. 12.; *germanice*

nonnullos Ven. *Sonntag* Rigae 1792. 4. et *Hottingerus* Monachii 1811. II Voll. 8.

Libros de *Historia Plantarum*, quorum duo Codices Mss., a vulgata lectione valde discrepantes, in Bibl. Medicea Florentiae asservantur, separatim edidit *Io. Bodaeus a Stapel*, cum vers. lat. lect. var. notisque copiosissimis, cum *Iul. Caes. Scaligeri* commentariis, et plantarum rariorum iconibus. Amstelod. 1644. fol. Eiusdem *I. C. Scaligeri* exstant commentarii in Theophrasti *libros sex de Causis Plantarum*. Utrumque opus illustrant *Conradi Gesneri* Tabulae de stirpibus et earum partibus, Argentorati 1553. 8. aliaque scripta quae laudavit *Ackermannus* ad Fabric. B. Gr. Vol. III. p. 419sq. — Nitida quidem est, sed ab arte critica minus commendanda, parumque accurate impressa, quae nuper Oxonii et Londini *Historiae Plantarum* prodiit editio curante *Io. Stackhousio*, Graece, cum Syllabo Generum et Specierum, Glossario et Notis, 1814. II Voll. octonis. Praecesserant eiusdem auctoris *Illustrationes Theophrasti in usum Botanicorum praecipue peregrinantium* Oxoni 1811. 8.

Theophrasti librum *De Lapidibus* graece et latine cum brevibus Annotatt. operi suo *de Gemmis et Lapidibus* praemisit *Io. de Laet* Lugd. Bat. 1647. 8. Eumdem cum versione anglica et notis edidit *Io. Hillus* Londini 1746. 8. quae editio et *gallice* versa prodiit Parisiis 1754. 8. et *germanice*, auctore *Baumgärtnero* Norimbergae 1770. 8. atque nuper a *Car. Schneidero* Friburg 1807. 8. Eidem libello de Lapidibus illustrando praeclaram, teste Schneidero, operam navare coeperat *Chr. Aug. Schwarzius* editis ab anno 1801 usque ad a. 1808 *Commentationibus Theophrasteis*.

Omnium operum Theophrasti *princeps editio est Aldina* cum Aristotelicis scriptis, Venetiis 1495-1498. V Voll. (cf. §. 68); tum *Aldina minor* operum Aristotelis, cuius *sextus* tomus *Theophrasti opera* complectitur, Venetiis 1552. 8. curante *Camotio*; — *Basileensis*, anni 1541, cuius margini adscriptae leguntur emendationes multae e Theod. Gazae versione ductae. — *Theodori* huius *Gazae* Thessalonicensis versio latina, e Codice ms. integriore quam is fuit, e quo prin-

ceps Aldina editio prodita est, sine loci annique indicio primum edita, Tarvisii anno 1483 repetita est. — *Heinsianam* Graeci contextus, cum Gazae vers. lat. castigata, quae prodiit Lugd. Bat. 1613. II Vol. fol., omnium pessimam merito suo dici posse ac debere, locuples auctor est *Schneiderus* in praefat. ad suam edit. T. I. p. IX. — Opera pleraque, graece et latine, continet editio *Hanoviensis* 1605. fol. cum versione nova et commentariis *Dan. Furlani*, Cretensis, de quibus vide acerrimam Schneideri censuram loco laud. p. X. Huius enim viri et *Linkii* V. Cl. exquisitae doctrinae et studio indefesso recentem debemus Theophrasti editionem sic inscriptam: *Theophrasti Eresii quae supersunt Opera et Excerpta librorum quatuor tomis comprehensa.* Ad fidem librorum editorum et scriptorum emendavit *Historiam* et *libros VI de Causis Plantarum* coniuncta opera *D. H. F. Linkii*; *Excerpta* solus explicare conatus est *Io. Gottl. Schneider*, Lipsiae 1818. IV Voll. oct. mai. Cuius praestantissimae editionis consilium et subsidia, tum critica, tum interpretationis, docta editoris exponit Praefatio. Graecis Theophrasti hic accessit libellus *de Coloribus*, ab aliis Aristoteli adscriptus, tum egregium libri *de Sensu et sensilibus* fragmentum, expulsis, quae vulgo legebantur, *Metaphysicis*.

Heumannus in actis Philos. part. XVII. p. 661 sqq. — *Curt. Sprengel* Versuch e. pragmat. Geschichte der Arzneikunde T. I. p. 534 sqq. *Idem* in *Historia rei herbariae*, Amstelod. 1807. T. I. p. 66—119. et in altera huius operis edit. Germ. 1817 edita p. 53-96. — *Meursii* Lectiones Theophrasteae. Lugd. Bat. 1640. 12. — *I. I. P. Moldenhaueri* Tentamen in historiam plantar. Theophr. Hamburgi 1791. 8. — *C. G. Sonntag* Comment. in prooemium Characterum Theophr. Lipsiae 1787. 4. — *I. P. Siebenkeesii* Anecdota Graeca, Norimb. 1798. 8. p. 105—135.

§. 70.

Aristotelis discipulorum, praeter Theophrastum, doctrina scriptisque clarissimi fuerunt *Heraclides Ponticus*, *Aristoxenus Tarentinus*, et *Dicaearchus Siculus*.

Heraclidis Heracleotae ex Ponto, qui Athenas se conferens, *Platonis*, *Speusippi* et *Aristotelis* auditor fuisse perhibetur, et circa Ol. CXIII. 1. floruit, *scri-*

pta deperdita plura laudantur Diogeni Laërtio V. 86sqq. philosophica, grammatica i. e. litteraria, et historica; in his περὶ βίων libri duo; De *Pythagoreis*; etiam astronomicum, *De Corporibus caelestibus*, περὶ τῶν οὐρανίων (teste Diog. Laert. V. 87), e quorum alterutro sumta videtur *Idelero* opinio *de telluris circa axem rotatione*, Heraclidi soli tributa a Proclo in Plat. Tim. p. 281., illi et *Ecphanto* Pythagoreo ab auctore libelli de Placitis Philosophor. II. 13. coll. Euseb. Praep. Ev. XV. 28. Aliud eiusdem Heraclidis et Pythagoreorum placitum laudat Stobaeus Ecl. Phys. cap. 25. T. I. p. 515. Heeren. „Heraclides et Pythagorei unamquamque stellam pro mundo habent, qui in infinito coeli spatio suspensus, e terra et aëre constat." cf. *Idelerus* Ueber das Verhältniss des Copernicus zum Alterthum — in Mus. d. Alterth. Wiss. T. II. p. 416. — Aristotelis etiam exemplo libros περὶ πολιτειῶν reliquit, civitatum quum Graecarum, tum exterarum, institutorumque ac legum quibus florerent descriptionem continentes, e quibus excerpta volunt esse quae sub Heraclidis nomine supersunt *Fragmenta de Rebus publicis*, primum graece et latine edita a *Nic. Cragio* ad calcem libri *de Rep. Lacedaemoniorum*, Heidelbergae 1593. 4. tum inserta *Antiquitatum Graecarum Thesauro Gronoviano* T. VI.; nuper vero separatim edita et commentario perpetuo illustrata cum vers. german. a *G. D. Koelero: Heraclidae Pontici* Fragmenta de rebus publicis etc. Halae 1804. 8. Eadem, contextu passim refecto typisque nitidis accurate expresso, cum *Aeliani* Variis Historiis et *Nicolai Damasceni* Reliquiis, denuo vulgavit, et notis graecis illustravit doctissimus *Adamantius Κοραῆς* (Coray) in Prodromo Bibliothecae Graecae Parisis 1805. 8. cf. *Diogenes Laërt.* V. 86-94. *Cicero* Tusc. V. 3. Epp. ad Fam. I. 23. Nat. Deor. I. 13. De Divinat. I. 23. De Legg. III. 6. — Ionsius de Scriptt. hist. philos. l. I. c. 17. *Saxii* Onomasticon T. I. p. 82. Haud sine ira de eo iudicat *C. Meinersius* in *Geschichte d. Wissensch.* etc. T. I. p. 206 sqq.

De *Aristoxeno*, philosopho Peripatetico clarissimo, et *Musices* artis scriptore primario, accurate et luculenter egit *Guil. Leont. Mahnius* in *Diatriba* de *Aristoxeno*, Amstelodami 1793. 8. recusa in *Thesauro*

Critico Novo cura *G. H. Schaeferi* Lipsiae 1817. 8. pag. 1-172. Tarenti, nobilissima Italiae urbe, natus, primo patris Spinthari, tum Lampri Erythraei, deinde Xenophili Chalcidensis, Pythagorei philosophi, denique Aristotelis, cui totum se dederat, usus disciplina, post huius fortasse obitum Mantineae in Arcadia aetatem degisse dicitur Suidae voce Ἀριστόξενος. Eodem auctore scripsit Musica, Philosophica, Historias, et omnigenae eruditionis libros, numero CCCCLIII. Ex hoc tanto numero tamen nullum nobis integrum opus eius servatum est, praeter *tres libros* de *Harmonicis Elementis*, de quibus infra dicendi locus erit. Deperditorum etiam nonnisi *tria* et *viginti* nomina sive titulos a veteribus proditos investigare poterant Ionsius, Meursius et Menagius. Quorum indicem, a Fabricio B. G. T. III. p. 639 sqq. Harles. exhibitum, in meliorem ordinem redegit, diligenter collectis, et docte explicitis, quae supersunt, Fragmentis, *Mahnius* l. c. p. 16 sqq. Schaef. In his praecipue dolenda iactura librorum de *Vitis virorum doctrina illustrium*, *Βιοι Ἀνδρῶν*, *Pythagorae*, *Archytae*, *Socratis*, *Telestae*, Dithyramborum poëtae, *Platonis*, aliorum; (v. Plut. Opp. T. II. p. 1093. Hieronym. praefat. I. de Hist. Eccles.); tum *Νόμων πολιτικῶν Legum Civilium*, quarum librum *octavum* laudat Atheneaus XIV. p. 643. D. et *Νόμων παιδευτικῶν Legum ad institutionem accommodatarum*, e quarum *decimo* libro, Pythagoreorum et Xenophili Pythagorei dicta quaedam affert Diogenes Laërt. VIII. 15. *Philosophicorum* autem Aristoxeni librorum, ut videtur, ne indices quidem supersunt; placiti vero unius de *anima*, non esse eam nisi corporis qualitatem et harmoniam, unus Cicero Tusc. Disp. I. 10. et 18. nec sine sale, et ex eo Lactantius Instit. Div. VII. 13. De Opif. Dei c. 16. mentionem fecerunt. Quam tamen opinionem non ab Aristoxeno inventam, sed multis ante eum communem fuisse, et Pythagoricis, Musicae maxime studiosis, placuisse constat. Socrati Platonico autem in Phaedone (c. 36. 41 sq. Opp. T. I. p. 146. 157. ed. Beck) copiose declaratam fuisse, ipse monet Cicero l. l. Tusc. I. 10. cf. Wyttenbachius ad Phaedon. p. 248 sq.

Denique *Dicaearchi* Messenii Siculi, Aristoxeni aequalis et condiscipuli, quem *delicias suas, et Peripateticum magnum et copiosum* appellat *Cicero* (Tusc. Disp. I. 31. de Off. II. 5.) multa opera interiere, quum *philosophici* argumenti, ut *Sermo Corinthi habitus* inque *tres libros* divisus, *de animi natura*; libri *tres Lesbiaci* contra immortalitatem animorum; *De divinatione*; *De interitu hominum:* tum *historici* et *geographici*, ut *Περὶ Βιων* (de Vitis virorum illustrium); *Πολιτεῖαι*; *Ἀναγραφὴ τῆς Ἑλλάδος* ad Theophrastum; et *Βιος Ἑλλάδος:* de quo utroque opere, cuius hodieque exstant fragmenta, infra dicam. — Cf. Cic. Epp. ad Attic. II. 2. VI. 2. Disp. Tusc. I. 10. 22. De Divinat. II. 51. Strabo II. p. 104. — *Dodwelli* Dissertatio de *Dicaearcho.* — *Fabricius* in Catalogo Peripateticorum, Bibl. Gr. T. III. p. 486-490. ubi reliqua etiam Dicaearchi scripta, quae olim fuerunt, enumerantur.

§. 71.

Ceterorum huius aetatis Philosophorum, qui maxime inclaruerunt, quum nulla scripta aetatem tulerint, opiniones vero et placita ad eos relata enarrare, itaque philosophiae Graecae historiam condere, a libelli huius consilio alienum sit: pauca de iis strictim monere satis erit. Ex *Socraticorum* quidem familia *Antisthenes Atheniensis*, vir morum et disciplinae severitate aeque ac doctrinae copia et sermonum iucunditate notabilis, *Cynicae* scholae, a gymnasio *Cynosarge*, extra Athenarum urbis moenia sito, in quo docebat, verisimiliter cognominatae, auctor factus est, multosque et varii argumenti libros reliquit, in *decem* volumina olim collectos, quos enumerat Diogenes Laërtius VI. 15 sqq. Supersunt tantum *duae* breves *declamationes* (*μελέται*), sub *Aiacis* et *Ulyssis* nomine scriptae, quae in *Aldi*, *Stephani* et *Reiskii* oratorum graecorum collectionibus reperiuntur.

Huius discipulus clarissimus *Diogenes* fuit *Sinopensis* ex Ponto Ol. XCI. 3. — CXIV. 1., de quo quae a cognomine scriptore, talium narratiuncularum venatore acerrimo, salse et facete dicta factaque iocosa narrantur, multi in numerato habent, sed hominis in-

genium, humanarum rerum contemtum, animi elatioris constantiam, temperantiam et frugalitatem, paucissimi ut par est suspiciunt. Scripta eius genuina, pauca numero, interierunt: nam quae sub Diogenis nomine circumferuntur Epistolae XXVII (*in Epistolar. Graecar. collectionibus*), quaeque in Codd. Paris. adhuc exstant ineditae XXII, habentur spuriae.

Cynicorum autem, qui Diogeni operam dederant, in aliquo numero et honore fuere *Crates* Thebanus, et *Menippus*. Cratetis quidem, cuius plura scripta, etiam poëtica, laudantur a Diogene Laërtio aliisque (Vid. Fabric. Harles. Vol. III. p. 514.), dictum quoddam acutum *Seneca* refert Ep. X. 1. Quum enim vidisset adolescentem secreto ambulantem, interrogasse eum fertur, quid illic solus faceret? Cui respondenti, mecum loquor; „Cave, inquit, rogo, et diligenter attende; ne cum homine malo loquaris." — Alterius, *Menippi*, cui eadem ac Diogeni, magistro, ut videtur, suo, fuit patria, celebratur ingenium salibus et facetiis aptum, scribendique genus σπουδογέλοιον, quod in Satiris proditum, prosa quidem oratione, sed omnigeno carmine distincta atque expolita conditis, aemulatus est in suis *Satiris* M. *Terentius Varro* Romanus, quas hinc ipse appellavit *Menippeas*, teste *Gellio* II. 18. et *Macrobio* Saturnal. I. 11.

§. 72.

E *Cynicorum* secta originem duxit *Stoica*, a *poecile Stoa* sive porticu Athenarum appellata, quam condidit *Zeno Citieus* dictus, quod *Citium* urbs in Cypro insula eius patria fuit. Is floruit Ol. CXXV. 2. ante Christ. 279. magistrumque, praeter alios, habuisse fertur *Stilponem* philosophum *Megarensem* celeberrimum, de quo vide Diogen. Laërt. II. 115. Senec. Ep. IX. 1. De Const. Sap. V. 3. cf. Fabric. Vol. II. p. 719 sq. III. p. 627. Omnem Philosophiam cum Aristotele et Xenocrate in tres partes distribuit: *Logicam* cum *Dialectica*, *Ethicam* sive morum disciplinam, et *Physicam*. *Ethices* Stoicorum summa apud veteres auctoritas fuit, et Romanis praecipue placuit. Sed tempus delevit libros integros Zenonis et successorum

eius, *Cleanthis Lycii* atque *Chrysippi* Solensis, circa annum a Chr. *ducentesimum* defuncti, cuius de Dialectica plurimi exstabant libelli, omnino autem ad quinque et septingenta volumina numerantur, in quibus acutissime quidem, sed ieiune et exiliter disputasse fertur. Vid. Uptonum ad Dionys. Hal. de compos. Verbor. p. 69. Schaef. et auctores a Fabricio Vol. III. p. 547. laudatos, quibus adde *Senecae* verba libro I. De Benef. c. 3. „*Chrysippus quoque, penes quem subtile illud acumen est, et in imam penetrans veritatem, qui rei agendae causa loquitur, et verbis non ultra, quam ad intellectum satis est, utitur, totum librum suum* (de Beneficiis) *his ineptiis* (allegorica Gratiarum trium interpretatione) *replet.*" Nubem scriptorum de Stoicorum disciplina excitat Fabricius in Bibl. Gr. Vol. III. p. 528 sqq. cum auctario Harlesii. Satis est hoc loco laudare *Iusti Lipsii Manuductionis ad Stoicam Philosophiam libros tres*, Antverpiae 1604. 4. in eiusdem Opp. ibid. 1637. fol. Tom. IV. — et *Dieter. Tiedemanni System der Stoischen Philosophie* Lipsiae 1776. III Voll. 8. cf. Scriptores historiae philosophiae supra citatos §. 58 extr. Unius *Cleanthis*, Asso oppido Troadis orti, qui Zenonis auditor et in schola successor Atheuis floruit circiter Ol. CXXIX. 1. a. Ch. 262., e multis quae condidit operibus superstes est *Hymnus in Iovem*, carmen eximium philosophici generis, metro heroico, quod ediderunt *Fulvius Ursinus* in Fragmentis novem Feminarum et Lyricorum Antverp. 1568. 8. *H. Stephanus* in Poësi philosophica 1574. 8. p. 49.; *Brunckius* in Analectis poët. Gr. T. III. p. 224. et inter Gnomicos poëtas p. 141. una cum versionibus, Latina, Gallica et Italica; separatim vero *F. W. Sturzius* Lipsiae 1785. 4. et *Cludius* cum versione German. et commentario copioso, Gottingae 1786. 8.; nuper denique *Mohnikius* in libro inscripto: *Kleanthes der Stoiker* Is Bändchen, Greifswald 1814. 8. Adde *I. F. H. Schwabii* specimen Theologiae comparativae, exhibens *Κλεάνθους ὕμνον εἰς Δία*, cum disciplina Christiana comparatum, introductione, vers. vernac., locis parallelis et annotatione illustratum, Ienae 1819. 8 mai.

§. 73.

Zenoni Citieo aequalis vixit *Epicurus*, Atheniensis, natus Ol. CIX. 3. vita defunctus Ol. CXXVII. 2. a. Ch. 342—271. *novae scholae* in *hortis*, quos Athenis emerat, conditor, (unde philosophia eius *κῆπος hortus*, *ἡ ἐν τῷ κήπῳ διατριβή*, et *Epicurei οἱ ἀπὸ* sive *οἱ ἐκ τῶν κήπων*, *κηπολόγοι* appellari solebant), quamquam in physicis *Democriti*, in Ethicis *Aristippi* vestigiis praecipue institisse recte perhibetur. v. Cicero de Finib. I. c. 6. et 8. Ad *trecenta* volumina, (*tractatus* puta vel *disputationes philosophicas*) conscripsisse dicitur Diogeni Laërtio X. 26. e quibus, praeter paucissima fragmenta, ut *κυρίας δόξας* XLIV. i. e. *placitorum momenta praecipua*, et *Epistolas aliquot* a *Diogene* in vita Epicuri (l. X.) servatas, nihil tempora nostra attigerat, donec nuper e *papyris Herculanensibus secundi* et *undecimi* libri operis eius *de Natura*, *περὶ φύσεως*, XXXVII libros complexi, *fragmenta* eruta, ac primum a doctissimo *Car. Rosinio* in *secundo tomo* Voluminum *Herculanensium* in lucem edita sunt Neapoli 1809. fol. quam principem editionem anno superiore Lipsiae repetendam curavit *I. C. Orellius*, hoc indice: *Epicuri Fragmenta libror. II. et XI de Natura*, *in Voluminibus papyraceis ex Herculano erutis reperta*, probabiliter restituta, latine versa, scholiis et commentario illustrata a *Car. Rosinio.* Ex tomo II. Voluminum Herculanens. *emendatius edidit*, *suasque annotationes adscripsit*, I. C. O. Lipsiae 1818. oct. mai. Ex *Epistolis* autem Epicuri, a Diogene Laërt., ut dixi, servatis, *duas*, alteram ad Herodotum scriptam *de Physicis*, alteram ad Pythoclem de *Meteorologia*, quibus philosophiae Epicureae, si a morum doctrina recesseris, paene perfecta continetur epitome, separatim edidit doctissimus *Schneiderus* hoc indice: *Epicuri Physica et Meteorologica duabus epistolis eiusdem comprehensa. Graeca ad fidem libror. scriptor. et editor. emendavit atque interpretatus est Io. Gottl. Schneider.* Lipsiae 1813. oct. mai. Priorem ad Herodotum epistolam cum duobus codd. Venetis (non optimae notae illis Schneidero iudice) comparatam, una cum *Laërtiani operis* libro de-

cimo antea iam ediderat, et annotationibus illustraverat *Car. Nürnbergerus.* Norimbergae 1791. 8. iterumque ibid. 1808. 8. — Dictionis elegantiae et ornatui Epicurus aeque parum studuit, ac ceteri philosophi qui ab eo dicuntur *Epicurei.* Quam ob rem haud semel carpitur, a Cicerone *), quem perpetuum Epicuri obtrectatorem norunt omnes. Vitae tamen honeste actae laudem et existimationem integram conservavit: „dumque finem bonorum docuit voluptatem, non adeo alienus fuit a sententia aliorum sapientium, quibus summum bonum est ex virtute proveniens tranquillitas gaudiumque animi **). *Voluptas* enim illa Epicuri, ἡδονή, ab adversariis eius saepe male intellecta, non est nisi *felicitas quae ex conscientia virtutis oritur.* Hinc *Seneca,* quamvis Stoicorum partes tuitus, „Eo libentius, ait, (Ep. XXI. 9.) Epicuri egregia dicta commemoro, ut istis, qui ad illa confugient, spe mala inducti, qui velamentum se ipsos suorum vitiorum habituros existimant, probem, *quocunque ierint, honeste esse vivendum* etc.“ Atque epistolas suas creberrime ita exorsus esse Epicurus dicitur Diogeni Laërtio X. 14. *σπουδαίως ζῆν ἄριστον· graviter* h. e. composite, decenter, probe, honeste, *vivere optimum;* monente amicissimo *Ruhkopfio* ad Senecam l. l. Opp. T. II. p. 98. — Cf. *Gassendi* de vita et moribus Epicuri libri octo Lugduni 1647. 4. — *Eiusdem* Animadversiones in Diogenem Laërtium de vita et philosophia Epicuri, Lugd. 1649. fol. — *Eiusdem* Syntagma philosophiae Epicuri, Hagae Comit. 1659. 4. *Io. Conr. Schwartzii* Iudicium de recondita Theologia Epicuri vulgo Atheis annumerati, Altorfii 1718. Cuius dissertationis excerpta dedit, suo iudicio interposito, *Schneiderus* in Commentario ad duas Epistolas Epicuri a se editas.

---

*) V. c. Disp. Tusc. II. 3. (de Epicureis) Quamobrem quoniam, quemadmodum dicant, ipsi non laborant: cur legendi sint, nisi ipsi inter se qui idem sentiunt, non intelligo. Nam ut Platonem reliquosque Socraticos — legunt omnes, etiam qui illa non approbant, aut non studiosissime consectantur; *Epicurum* autem et *Metrodorum* non fere praeter suos quisquam in manus sumit: sic hos etc.

**) Fabricii verba sunt in B. Gr. T. III. p. 593.

§. 74.

Epicurum et *Zenonem* aetate aliquantum antecessit *Pyrrho* Eleus, ex pictore philosophus, circiter Ol. CXI. 1. a. Ch. 336. florens: qui quum σκέψιν i. e. artem de re qualibet proposita, inventis in utramque partem rationibus, disceptandi, a philosophis Eleaticis, Sophistis, Megaricis, Academicis, iam ante traditam, (cf. Seneca Ep. LXXXVIII. 36 sq. ibique Ruhkopf.) perficeret, sensibusque pariter ac rationi omnem veritatis cognoscendae facultatem, certamque qualemcunque scientiam prorsus abiudicaret tolleretque: philosophorum familiam duxit, qui modo a sectae auctore *Pyrrhonii*, modo a philosophandi ratione *Sceptici*, etiam *Aporetici* (ἀποϱεῖν), *Ephectici* (ἐπέχειν) ac *Zetetici* (ζητεῖν) cognominabantur. Ipse *Pyrrho* quidem, quamquam propemodum nonagenarius decessit, nihil scripti reliquit; sed opiniones eius atque doctrinam litteris mandarunt discipuli et sectatores, inter quos *Nausiphanes*, magister Epicuri, Senecae memoratus loco laud. et Diogeni Laërt. IX. 69 cum not. Menagii, *Timon Phliasius*, *Aenesidemus*, et multis annis post *Sextus Empiricus*, *cuius exstant scripta* infra enarranda, principem tenent locum.

Timonis certe Phliasii (Phliunte orti, agri *Sicyonii* oppido in Peloponneso), *Ptolemaei Philadelphi* aetate clari circa Ol. CXXVII., multa scripta ferebantur, nullum celebrius, quam *carmen satyricum* ex perpetuis constans *parodiis*, in tres libros divisum, et metro heroico sub *Sillorum* (Σίλλοι) nomine compositum, quo *philosophos* maxime *dogmaticos* iocis atque dicteriis perstrinxit multoque perfricuit sale. Supersunt fragmenta carminis huius irrisorii, ab *H. Stephano* in *Poësi philosoph.* edita, a *Brunckio* etiam *Analectorum* T. II. p. 67. inserta, quae integri operis iacturam minime compensare queunt. Cf. *Dan. Heinsii* liber de Satira Horatiana p. 133.

Diogenes Laërtius IX. 61–116. — *Sexti Empirici* Pyrrhoniarum hypotyposeon libri III. — *Aristocles* ap. Eusebium Praep. Evang. XIV. 18. — *Bayle* Dict. voce *Pyrrhon*. — *C. F. Staeudlin* Geschichte u. Geist des *Skepticismus* Lipsiae 1794. 8. T. I. p. 281–308. — *Christ. Weissii* Comm. de Scepticismi causis atque natura. Lipsiae 1801.

§. 75.

Dum ferverunt sic Athenis *philosophiae* et *historiae* studia, viguit ibidem *novum carminis genus*, quod ex *epico* atque *lyrico* ortum mixtumque, in utriusque, iam tum studiis minus celebrati, locum successit. Ut enim Graecorum *epos tragico dramati* condendo materiam suppeditasse dubitari nequeat; ut idem *cum Rhapsodorum arte* coniunctum, dramatis formae et actioni scenicae praeluserit: primae tamen *tragoediae Graecae* origines a *Bacchi festis* sive *Dionysiis* atque *Choro*, qui in dei honorem *dithyrambos aliosque extemporales lusus*, corporis motu gestuque comitante, ad instrumenti sonos musici funderet, omnium post Aristotelem *) sententia, repetendae sunt. Tripudiantis huius choreae cantibus et ludicris inconditis (*αὐτοσχεδιάσματα*), longo tempore interiecto, sollertioris ingenii nescio quis *interlocutoris* vel *unius* partes *histrionis* adiecit, qui, dum chorus a cantu requiesceret, aliquid *solus mimice narraret*, aut *cum choro colloqueretur*. Inventionis huius laus communi quadam veterum opinione ad *Thespin* Atticum, ex Icaria vico oriundum, Soloni et Pisistrato aequalem, refertur: quo tamen ipso neque *tragoediae* ille inventor continuo habendus erit, et facti huius fama ad *solos Athenienses* spectat, non ad *Graeciam universam*. Choreas enim et ludicra et fabularum primordia, multis ante Thespin annis, in aliis innumeris Graeciae, Asiae minoris, Italiae, Siciliae urbibus, in Bacchi vel Cereris honorem agitata fuisse, quum per se probabile fit, tum scriptorum veterum et monumentorum fide atque auctoritate probatur. Unde iure quodam Dorienses Peloponnesii, inque his *Sicyonii* tragoediae inventionis laudem sibi vindicare poterant. Vid. Aristot. Poët. 3. ibique Hermannum. Herodot. V. 67. Themistium Or. XIX. p. 487. Nec prorsus absurde *Epigenes Sicyonius*, sextus decimus ante Thespin, tragoediae auctor perhibetur *Suidae* (v. *Θέσπις* et *Οὐδὲν πρὸς Διόνυσον*),

---

*) De Poëtica c. 4. cf. Diog. Laërt. III. 56. et *Hermann* ad Aristot. de Poët. p. 107.

quique eum exscripserunt, *Photio* et *Apostolio* Grammaticis. Cf. *Boeckhius* in *Staatshaushaltung d. Athener* T. II. p. 363 sq. qui vel *singulare quoddam genus lyricae tragoediae pariter atque comoediae, ante et una cum dramatico*, Atheniensibus proprio, *apud Dores Aeolesque viguisse* censet. Iuventi autem perfectio et absolutio — quae et *iustae fabulae* cernitur *descriptione*, et *argumenti serii* ac *iocularis servato discrimine*, eiusdemque *unitate*, tum *dictionis gravitate*, *elegantia*, *ornatu* et *numeris* — fortasse *unis* debetur *Athenis*. Et hactenus post *Phrynichum*, Thespidis discipulum, qui *cantibus* (*μέλεσιν*) et *saltationibus* (*ὀρχήσεσιν*) maxime excelluit, et de cuius dramate, ἅλωσις *Mileti*, legendus est Herodotus VI, 21., *Aeschylus* tragoediae, hoc est fabulae, quae hoc nomine digna sit, iuventionis gloriam meretur; quippe qui addito *secundo histrione*, et *primarum partium* in dramate *constitutione*, *princeps argumentum* et *diverbium* induxit, *chori cantus imminuit*, *iocos scurriles ac petulantiam* a cothurni gravitate alienam *removit*, aliaque utiliter providit, quae ad histrionum et scenae facerent ornatum.

Bentleii Opuscula Philologica p. 300. *Böttigeri* Quatuor aetates rei scenicae apud Veteres prim. lin. design. Vimariae 1798. 4. — *Fr. Chr. Dahlmanni* Primordia et successus veteris Comoediae Atheniensium cum tragoediae historia comparati. Hafniae 1811. 8. — *A. W. Schlegel* Vorlesungen über dramatische Kunst u. Litteratur. Heidelb. 1809 sq. II Voll. 8. — *Car. Pfaffii* Tragoediae Graecae primordia et progressus. Tübing. 1814. 4. (Marchio *I. Hausius*) De dramaticae poëseos apud Graecos origine — in Eiusdem *Poeticae Aristotelis nova versione* etc. Panormi 1815. 8. — *G. Schneiderus* De Originibus Tragoediae et Comoediae Graecae. Vratislaviae 1818. 8. — *Genelli* Das Theater in Athen. Berolini 1818. 4.

§. 76.

Iam cognita dramatis graeci origine, facile erit ad intelligendum, quid sit, quod *Chori*, cuius nomine hinc saepe utuntur veteres ad *totam fabulam* designandam, in fabulis antiquissimis *primariae partes* fuerint; Iusus autem isti extemporales, ex quibus certa primo sermonum argumenta (*λέξις*), tum fabulae, ab histrionibus, adstante Choro, actae per diverbia, sensim

prodierunt, quum a *primario chori argumento et consilio alieni haberentur*, *episodiorum* (ἐπεισοδίων) nomen acceperint *), idque vel tum servarint, quum *episodia* haec a Sophoclis, qui perfecit tragoediam, maxime aetate *principem fabulae locum* obtinerent, *Choro* autem, a quo omnis ratio scenae processit, et *sine quo ne cogitari quidem tragoedia potuit*, non nisi *partes* relinquerentur *secundariae*. Sed alia plura memoratu digna in re scenica veterum observantur, quae quo referas, tantum monstrata dramatis origo docere potest. Ex quo genere est etiam, ludos scenicos, utpote a choreis sacris in deorum festis profectos, religionum et cultus deorum partem praecipuam habitos, hinc Athenis in *Dionysi* seu *Bacchi* honorem, in triplici huius numinis festo, *Dionysiis magnis* sive *urbanis*, *ruralibus* et *Lenaeis*, nullo non tempore magnificentissime celebratos esse, neque *theatra* solum, in templi Baccho conditi vicinia exstructa, *eidem deo sacra*, sed etiam *totum artificum scenicorum ordinem* cum *poëtis* qui fabulas docerent, *Bacchi tutelae* et praesidio commendatum fuisse.

H. A. L. Heerenii Diss. de Chori Graecorum tragici natura et indole Gotting. 1784. 4. — *C. D. Ilgenius* in libello: Chorus Graecorum qualis fuerit, et quare usus eius hodie revocari nequeat. Lipsiae 1788. 8. posthac inserto eiusdem viri docti Opusculis var. philologicis, Erfordiae 1797. 8. T. I. p. 45–88. — *C. Lachmanni* de Choreis systematis Tragicorum Graecor. libri IV. Berolini 1819. 8. — *W. Süvern* in lib. qui inscribitur: Ueber Schillers Wallenstein in Hinsicht auf griechische Tragoedie, Berol. 1800. — *Casaubonus* de Satyr. poësi l. 5. ad Athenaeum V. p. 218 D. ad Theophrasti Char. 3. — *Seldenius* in Marm. Oxon. p. 166 sqq. — *Ruhnkenius* in Auctario Emendatt. Hesychii ed. Alberti T. II. ad voc. *Διονύσια*. — *Oderici* Ep. de marmorea Didascalia in urbe reperta, Romae 1777. cuius censuram dedit *Wyttenbachius* in Biblioth. Critica P. VII. pag. 41 sqq. et P. XII. pag. 58–60. — *Barthelemius* in Mem. de l'Acad. des Inscr. T. XXXIX. p. 133 sqq. — *Spaldingii* Diss. de Dionysiis Atheniensium festo, inserta Commentatt. Acad. Reg. Scient. Berolin. annor. 1804–1811. Class. histor. Philolog. p. 70 sqq. — Die alte komische Bühne in Athen dargestellt von *P. Fr. Kanngiesser*, Vratislav. 1817. 8. pag. 205—336. — *Boeckhii* Comm. Vom Unterschiede der Attischen Lenäen, An-

*) Aristot. de Poët. c. 12. Ἐπεισόδιον δὲ μέρος ὅλον τραγῳδίας τὸ μεταξὺ ὅλων χορικῶν μελῶν. *Episodium pars integra tragoediae, quae est inter duas chori cantiones integras.*

thesterien, u. ländlichen Dionysien, inserta Commentatt. Acad. Reg. Scient. Berolin. annor. 1816—1817. Classi Histor.—Philolog. pag. 47-125.

§. 77.

Extemporalia vero illa Chori ludicra, ex quibus *tragoediam*, proprie sic dictam, paulatim emersisse diximus, duplici insuper fabularum generi originem dedisse videntur, quarum altera *comoedia*, altera *drama* vocatur *satyricum*. *Huius* certe nomen ductum esse constat a Choro, qui *Satyrorum*, Bacchi satellitum, *habitu* incederet. Sed levibus his et inconditis personatorum Satyrorum iocis *fabulae Satyricae* formam *primus* accommodavisse, et *Satyros* Athenis *docuisse* fertur *Pratinas Phliasius*, Aeschyli demum temporibus. v. Suidas v. *Πρατίνας* et Acron ad Horatii A. P. p. 579. Exinde novum hoc fabulae genus, in quo personarum gravitas argumenti hilaritate salsisque Satyrorum dicteriis quasi temperata fuisse videtur, Atheniensium populo ita placuit, ut, quum *choragorum* pariter atque *poëtarum*, qui *choros tragicos comicosve*, i. e. tragoedias et comoedias in scenam producerent, *commissiones* quaedam, sive concertationes institutae essent, *tragici poëtae* de praemio certare lege tenerentur *quatuor* fabulis *simul* editis, quarum *tres*, *tragoediae*, argumenti fere coniunctionem quamdam habentes, ut nobilissima Aeschyli *Orestias*, *quarta*, *Satyri* i. e. *drama* esset *satyricum*. Quem morem vocabula passim obvia *τετραλογία* (dramatica) et *τριλογία* (tragica) respiciunt. Cf. Diogenes Laërt. III. 56 sq. Schol. Aristoph. Ran. 1155. — Poëtae autem dramatici *antiquiores* non solum fabulas suas ipsi *egerunt*, verum etiam *institutores* et *magistri* fuere, non tam chori — quem et nutrire, et remunerari, et per *χοροδιδάσκαλον* instituere, et vestibus atque coronis suo ..... u instruere debuit civium opulentiorum is, qui *Choragi* partes receperat — quam *histrionum*, quorum *tres principes sortitione* quidem facta coram Archonte accipiebant, sed ea lege et conditione, ut pro arbitrio suo quas vellent partes singulis distribuerent. Quam ob rem poëtas, qui ederent fabulas, eas *docere*, *δι-*

δάσκειν δράματα, earumque *διδασκάλους* i. e. *doctores*, *magistros*, utriusque sermonis scriptoribus vulgo dici appellarique tralaticium est. Ducta hinc vox *Διδασκαλία*, quae, quum initio carmen vel fabulam a poëta conditam et institutionem scenicam significaret, serius etiam *libellum* designavit, quo fabularum census et argumenta, quoque loco et tempore, quove eventu vel successu eae actae fuerint, quinam eas poëtae docuerint, qui egerint histriones, quis chorum dederit, et horum similia continerentur. Cuius generis libros ab *Aristotelis* inde tempore, qui primus *didascaliam* huius argumenti scripsisse traditur, multi inter Grammaticos Alexandrinos, ut *Callimachus*, *Aristophanes Byzantius*, *Aristarchus*, *Apollodorus*, *Eratosthenes*, *Crates* aliique confecerunt, haud sine magno litterarum Graecarum reique scenicae Graecorum historiae detrimento deperditos. Cf. Boeckhius in Commentat. laud. p. 86 sq.

Aristoteles de Arte Poëtica cum commentariis *G. Hermanni* Lipsiae 1802. 8. — Aristotle's Treatise on Poëtry, translated with notes etc. by *Thomas Twining*, London 1789. 4. — *Brumoy* in Théâtre des Grecs Vol. I. — Voyage d'Anacharsis en Grèce, chap. 69–71. — *Dubos* Reflexions critiques sur la Poësie et sur la Peinture T. IIItius Paris. 1770. 12. — *Boettigeri* prolusio: Quid sit, docere fabulam? Vimariae 1795. 4. — *Eiusdem* De Actoribus primar. secundar. et tert. partium, ibid. 1797. 4. (coll. Prolusione de — *Tertiarum partium actore sive Tritagonista* ad calcem Philoctetae Sophoclis, Vilnae 1806. 8.) — *Eiusdem* liber germ. *Ueber die Furienmaske*. Vimariae 1801. 8. — *Godofr. Hermanni* Progr. De compositione tetralogiarum tragicarum. Lipsiae 1819. 4. — *March. Hausii* Diss. De tragoediae officio, sive de purgandarum animi affectionum lege, ab Aristotele tragoediae iniuncto, Palermi 1815. 8. — *Bouterwekii* Comm. De Iustitia fabulosa, ad rationem tragoediar. graecarum philosophicam atque politicam pertinente, in Comm. Soc. Reg. Gotting. noviss., cuius argumentum ipse auctor exposuit in Ephem. Gott. 1813. p. 1169 sqq.

§. 78.

Adumbratis sic tragoediae originibus, de incrementis quae cepit Athenis, triumvirorum, Aeschyli, Sophoclis et Euripidis ingenio artique imprimis debita, nunc videndum erit. *Aeschyli* quidem *Eleusinii* plura quae huc spectant merita — quibus etiam *personarum* sive larvarum *inventio* addi potest (Horat. A. P.

278.) — supra commemoravi §. 75. Floruit is *quingentis* ante Ch. annis, circa Ol. LXX. 1. proeliisque in campis Marathoniis, ad Salaminem et Plataeam, fortiter pugnans interfuit, *Cynegiri* illius *frater*, qui animum intrepidum patriaeque amore flagrantissimum pulcherrima morte probavit (Herodot. VI. 114.). Provectior aetate, (ante Olymp. LXXVIII. 2.) quum a Sophocle, tum iuvene, tragoediarum certamine victus esset, ad Hieronem regem Syracusas concessisse dicitur, ibique, novem et sexaginta annos natus, diem obiisse supremum Ol. LXXXI. 1. a. Ch. 456. *). Argumenta tragoediarum, si a *Persis* recedas, e *cyclo epico* componens, in fabulae tractatione Homerum praecipue imitandum sibi proposuit, ita ut dramata sua *epularum Homericarum frustula* appellare ipse soleret. Omnino antiquior dramatis forma in poëtae huius fabulis comparet. Partes *Chori*, qui animi sensus affectusque lyricis exprimit cantibus, in plerisque insignes, in nonnullis primariae sunt. Reliqua *rerum gestarum narratione* fere absolvuntur. *Aguntur* pauca, eaque haud artificiose perplexa, brevissima via ad exitum properant. Sermo grandis, sublimis, saepe abit in tumorem, ut dithyramborum furor nondum deferbuisse videatur. Enimvero menda et maculas has, partim ab ingenii incredibili magnitudine profectas, partim iuvenili, quae tum erat, dramatis aetati condonandas, poëta noster summis compensavit virtutibus; lyrici quippe spiritus audacia, imaginum et phantasmatum sublimitate, orationis uberrima copia, soli Pindaro, aequali suo, comparandus: idem in personarum quas induxit moribus adumbrandis paene unicus. Effecit Aeschylus in tragoedia, quod non multo post in sculptura *Phidias*, cuius signa simplicitate, magnitudine, specie augusta et humanam longe superante, summam obstupefactis animis admirationem iniicerent, necdum tamen eosdem pulchri ac venusti lenociniis delinirent. —

E magno fabularum numero, quas docuisse, decies ter victor, fertur Aeschylus (75 innotuere), prae-

---

*) Secundum marmor Arundel. quocum consentit Schol. Aristoph. Acharn. 10. Olympiade LXXX. 1.

ter deperditarum *nomina* et *fragmenta*, *septem* supersunt *tragoediae*, sed ne hae quidem ab omni immutatione, vel ipsius poëtae manu, vel filiorum et cognatorum studiis illata, immunes. Vid. Quintil. Inst. Or. X. 1. 66. cf. *Boeckhius* in libro didascalico: Graecae Tragoediae Principum, Aeschyli, Sophoclis, Euripidis, num ea quae supersunt et genuina omnia sint, et forma primitiva servata, an eorum familiis aliquid debeat ex iis tribui. Heidelbergae 1808. 8. p. 31-34. et quae sequuntur. Septem vero illae sunt: 1) *Prometheus vinctus* (δεσμώτης) *in rupe Scythiae Europaeae*, distinguendus a duplici fabula cognomine eiusdem poëtae, quas tempus delevit: altera *satyrica*, *Prometheo ignifero* (πυρφόρῳ vel πυρκαεῖ); altera item *tragica*, *Prometheo soluto* (λυομένῳ), in qua Titana, ad *Caucasi* iugum religatum, Hercules e vinculis liberare debuit, quamque ab *Accio*, Romano poëta vetustissimo, latinam factam esse quum aliunde constat, tum ex huius fabulae loco quem exscripsit Cicero Tusc. Disp. II. 10. 2) *Septem Duces adversus Thebas* (Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις), notissimum ex *Thebaïde* argumentum, quod in *Phoenissis* suis denuo tractavit *Euripides*. 3) *Persae*, a Choro dicta fabula, in victoriae de Xerxis copiis navalibus apud Salaminem reportatae composita memoriam. — 4—6) Trilogia, *Orestias* dicta, (v. Genelli Theater zu Athen p. 158sqq.) quam efficiunt *Agamemnon*, a Troia redux, Clytemnestrae et Aegisthi insidiis oppressus; *Choëphori* (Χοηφόροι) sive *Inferias ferentes* ad Agamemnonis tumulum, a virginum choro denominata fabula, eiusdem argumenti ac *Sophoclis Electra*; *Eumenides* sive *Furiae*, a Choro Dirarum dictae, quae Orestem matricidam exagitant, causam Athenis coram Areopago dicentem, et Minervae calculo a supplicio liberatum. 7) *Supplices* (Ἱκέτιδες) sive *Danaïdes*, quae una cum patre Danao ex Aegypto profugae, Argos Peloponnesi, patriam antiquam, petunt, Argivorumque auxilium et praesidium contra Aegyptum, Danai fratrem, eiusque filios implorant et obtinent. — Quum vetustior tragoedia non nisi *uno episodio* inter duo Chori cantica constitisse videatur; Aeschylus in dictis modo fabulis actionem per *tria* quidem episodia vel *actus* disposuit, Choro sin-

gulis intercinente, sed tamen, a pristina dramatis forma minus recedens, sedulo curavit, ut in quovis episodio *nova persona* prodiret.

Codicum mss, quorum qui omnes septem A. tragoedias continent sunt rarissimi, notitiam dedit *Harlesius* ad Fabric. T. II. p. 184 sqq. — Neque ante *P. Victorii* editionem, Parisiis ex officina H. Stephani 1557. 4., satis integer fabularum Aeschyli contextus typis impressus exstitit. Nam *princeps* editio *Aldina*, Venetiis 1518. 8. et, quae eam insecuta est, *Hadr. Turnebi* illa Paris. 1552. 8., *sex* tantum tragoedias continuerunt, *Agamemnone* parte truncato, et cum *Choëphoris* confuso. Utrumque drama separavit quidem *Franc. Robortellus*, Criticus insignis, Venetiis 1552. 8.; sed lacunam in Agamemnone e duobus libris mss. primus suppletam dedit *Victorius*. — *Guil. Canteri* accurata et emendata editione, quae Antverpiae 1580. 12. prodiit, nititur illa quam *Thomas Stanleius* vulgavit, cum vers. lat., *Scholiis Graecis*, dramatum deperditorum *Fragmentis* et doctissimis commentariis, Londini 1663. fol.; nuper repetitam eiusdem Stanleii curis secundis, ex eius autographo, cum lectt. varr. plurium libror. mss. et notis VV. DD. crit. ac philolog. suisque, a doctissimo *Sam. Butlero*, Cantabrigiae 1809-17. IV Voll. 4. et VIII. 8. Contextum verborum Stanleianum sine ulla fere mutatione expressit *De la Porte du Theil* Parisiis 1795. II Voll. 8. una cum versione *Gallica*, quae etiam inserta legitur libro pervulgatissimo: *Théâtre des Grecs* par le *P. Brumoy*. Nouvelle edition, Paris 1785 sqq. XIII Voll. 8. Ad interpretationem poëtae difficilioris multum conferunt praestantes eruditissimi *Ch. G. Schützii* editiones cum variet. lect. et commentario perpetuo; *prima* Halae 1782—94. III Voll. 8 mai., *secunda* ibidem 1799—1807. et *tertia* 1809—1811. totidem tomis, 8. quartus, *Scholia Graeca* continens, hoc ipso anno (1821) prodiit ibidem. Ab eodem *minor* Aeschyli editio, et nova recensio, adiecta versione latina, parata est ibidem 1800 sqq. II Voll. 8. — Criticae editiones sunt 1) *Porsoniana*, quae a *Porsono* iam 1794 curata, Londini et Oxoniae demum prodiit 1806 graeco-latina, duobus tomis, forma oct., editoris tamen nomine non adiecto, eademque nulla nec an-

notatione nec praefatione sagacissimi Critici instructa. In splendida autem editione *Glasguensi*, quae prodiit 1795 forma max., et ad quam editiones *Lipsienses* apud Tauchnitz. et Weigelium 1812. duodenis expressae sunt, nullae Porsoni partes habentur. 2) *F. H. Bothii*, subiecta lat. vers. et brevi annotatione, Lipsiae 1805. oct. mai. 3) Nuperrima, a *Car. Iac. Blomfieldio*, incepta 1810, ad fidem librorum mss. emendata, cum notis et glossario; cuius *Prometheus* secundum prodiit Cantabrigiae 1812. *Septem adv. Thebas* ibid. eod. a. et *Persae* ibidem 1814. et secundum 1818 — *Agamemnon* ibid. 1818. 8. octonis. Verborum contextus est *Porsonianus*, illius editionis quam 1806 lucem vidisse diximus.

Prometheum, *Persas* et *VII ad Thebas*, cum Sophoclis Antigona et Euripidis Medea, emendata et nitida editione exhibuit *Rich. Phil. Brunckius*, Argentorati 1779. 8. — *Eumenides* pro novae recensionis tragoediarum A. specimine edidit *G. Hermannus* Lipsiae 1799. 8. *Choëphoros* cum canticorum chor. divisione Burneiana *Youngius*, Edinburgi 1811. — Easdem *Conr. Schwenkius* Lipsiae 1820. 8. — *Prometheum* cum introductione germ. *Andr. Neubigius*, Norimb. 1816. 8. *Septem c. Thebas Conr. Schwenkius* Trai. ad Rhen. 1818. 8.

Converterunt universas Aeschyli fabulas *gallice*, *De la Porte du Theil*; *anglice*, *Potterus*, Londini 1777. 4. *germanice*, *I. T. L. Danzius*, Lipsiae 1805-1808. II Tomis. 8. et *G. Fähsius* ibid. 1809. 8. — *Quatuor*, Prom. Sept. c. Th. Pers. et Eumen. *Fr. L. Com. a Stolberg*. Hamb. 1802. 8. — Prometheum, Persas et Choëphoros *Wielandus*, *Iacobsius* et *Conzius* in Mus. Attico III. 3. et IV. 1. — Agamemnonem, post *Halemium* et *Ienischium*, *C. Ph. Conzius* Tubing. 1815. 8. et *Wilhelmus de Humboldt*, Lipsiae 1816. 4. Septem c. Thebas *I. W. Süvern*, Halae 1797. 8. Eumenidas idem *Conzius*, Tubing. 1816. 8.

F. C. Petersen De Aeschyli vita et fabulis. Hafniae 1816. 8. — *Fr. Iacobsi* Aeschylus, in *Nachträgen zu Sulzer* T. II. p. 391. — *P. C. Levesque* Considerations sur les trois poëtes tragiques, in Mem. de l'Institut. T. I. p. 18 sqq. — *Heeren* über die dramatische Kunst des Aeschylus. in Bibl. d. ält. Litt. u. K. Tom. VIII. — *Car. Burney* Tentamen de metris ab Aeschylo in choricis canticis adhibitis, Cantabrigiae 1809. 8 mai. — *Heinr. Blümmer* Ueber

die Idee des Schicksals in den Tragödien des Aeschylus, Lipsiae 1814. 8. *Fr. L. Abreschii* Animadversionum ad Aeschylum libri duo. Mediol. 1743. 8. — *Beni. Heathii* Notae sive lectiones ad — Aeschyli, Sophoclis, Euripidis — dramata et deperditor. reliquias. Oxonii 1762. 4 mai. — *G. Hermanni* Dissertationes academ. 1) *De choro Eumenidum.* 2) *De Aeschyli Persis.* 3) *De Aeschyli Glaucis* (*Potniensi* tragoedia, et *Pontio*, dramate Satyrico). 4) De Aesch. *Danaidibus* Lips. 1820. 4. — *Eiusdem* observationes criticae in Aeschylum et Euripidem Lips. 1798. 8. *Commentarii Soc. Philolog. Lips.* T. II. P. 2. T. III. P. 1. — *Henr. Vossii* Curarum Aeschylearum Specimen I. Heidelbergae 1812. 4. — *C. F. Wunderlichii* Obss. criticae in Aeschyli tragoedias, Gotting. 1809. 8. — *C. G. Siebelis* de Aeschyli *Persis* diatribe, Lips. 1794. 8. coll. *Schützii* Progr. de *Persarum* tragoediae A. forma et consilio, Ienae 1794. — *Le Grand* Specimen Obss. in Aeschyli *Agamemnonem*, Basileae 1778. 8. cf. *Wyttenbachii* Bibl. Crit. T. I. P. 3. pag. 107. — *G. F. D. Goesii* Comment. in Aesch. *Agamemnonem* Sect. I. et II. Erlang. 1794. 8. — *C. A. L. Federi* Comm. in Agamemnonis Aeschylei carmen epodicum primum. Heidelb. 1819. 8. — *F. C. Petersenii* Obss. in *Agamemn.* Aesch. Particula prior, in *Fr. Münteri* Misc. Hafniensibus T. I. Fasc. 2. Hafniae 1818. 8. — *Fr. Passovii* Meletemata critica in Aeschyli *Persas*, Vratislav. 1818. 4. — *A. Wellaueri* Commentatt. Aeschylear. Specimen Vratislav. 1819. 8.

§. 79.

Personarum, sententiarum atque orationis granditatem et sublimitatem, qua Aeschylus excelluit, mirae pulchritudinis, decoris ac venustatis illecebris temperavit, artisque subtilioris moderamine usus est *Sophocles* Atheniensis ex pago Colono, triginta circiter annis minor Aeschylo, natus Ol. LXXI. 2. a. Ch. 495. Quem sedecim annorum iuvenem, et formae pulcherrimae, in solemni pompa ob victoriam Salaminiam ducta, victoriae Genium saltasse ferunt, et hymnum epinicium ad lyram cecinisse. V. Athenaeus l. p. 20. Virum autem tanti fecerunt Athenienses, ut cum Pericle ducem belli contra Samios Ol. LXXXIV. 4. gesti crearent. Tetralogiam primam, cuius *Triptolemus* fuit satyrica fabula, docuisse sex et viginti annos natus idem perhibetur, Olymp. LXXVII. 4., Aeschyli in certamine poëtarum victor; ultimam, *Oedipum in Colono*, paene nonagenarius. V. Cic. de Senect. c. 7. Ex vita discessit Ol. XCIII. 3. In tragicorum concertationibus plus quam vicies omne tulit punctum, Musaeque tragicae principatum non olim solum tenuit, sed adhuc tenitus est. Tanta enim in eius fabulis cernitur

lectissimi argumenti dignitas, tantum dispositionis artificium, tanta personarum principum granditas, morum quadam humanitate ac mansuetudine temperata; tam insignis in animi sensibus et affectibus exprimendis veritas, rebus, temporibus, personis nunquam non accommodata; tantus orationis in summa simplicitate cultissimae nitor, ubertas, vis atque numeri: ut multorum ingeniorum eximiae virtutes in uno hoc poëta admirabili quodam foedere consociatae videantur. Plurima vero in tragoedia Graecorum a Sophocle utiliter innovata esse, nisi res ipsa doceret, e summa fabularum eius praestantia recte colligeres. Neque enim *binis* solum *actoribus*, ab Aeschylo institutis, *tertium* adiecit, *scenaeque reperit ornatum* (Aristot. Poët. c. 4.); sed *actioni* praecipuas fabulae partes assignans, *episodiorum numerum auxit*, *Chori* vero *partes imminuit*. Quem quum mala, quibus principes fabulae personae opprimuntur, hactenus solum attingant, ut pietatis, amicitiae, officii necessitudine cum illis coniunctus, miseratione permoveatur, afflictos erigat, consoletur, moneat, deorum auxilium imploret vel laudes praedicet, omninoque fortunae, quum adversae, tum secundae, testis sit, ab humanitatis sensu et officio haud alienus: *cantica* Chori in fabulis Sophocleis et multo Aeschyleis breviora sunt, et sedatiores produnt affectus, neque episodia tantum excipiunt, sed commodis locis saepe inseruntur diverbiis.

Sophoclis *plus centum viginti* fabulae tragicae et satyricae ferebantur: ex quo numero tamen, praeter *septemdecim spurias*, *quadraginta* vel *unam* et *quinquaginta*, quae *minoris Sophoclis*, nostri Tragici nepotis, fuissent, eximendas esse, ita ut, ad summum, *pauca ultra septuaginta* dramata fecisse putandus sit, post *Petitum* (Legg. Att. p. 70. sqq.) luculenter demonstravit doctissimus *Boeckhius* in libro didascalico laudato Cap. VIII. et IX. p. 100. sqq. Tempus *septem* pepercit, quae sunt: *Aiax flagellifer* (μαστιγοφόρος), s. *lorarius*, *Electra*, *Oedipus rex*, *Oedipus in Colono*, *Antigona*, *Trachiniae*, *Philoctetes*. *Deperditorum nomina* et *fragmenta* satis numerosa (cf. Fabricius T. II. p. 203. sqq.) nemo diligentius investigavit, ac sollertius recensuit emendavitque quam *Brunckius* in Tragici huius editio-

ne. *Clytemnestrae* fragmentum, quod nuper (Mosquae 1805. 4.) sub Sophoclis nomine vulgavit *Matthaei*, tanto poëta prorsus indignum, multisque de causis spurium habendum esse nemo dubitet. Vid. praeter Ephemer. litter. Vilnenses 1806. Nr. VIII—X. *Eichstadium* in progr. Acad. Ienae 1805. fol. et *C. L. Struvium* in nova centonis miserrimi huius editione Rigae 1807. 8— Praeterea Sophocli a Suida etiam tribuuntur *Elegiae*, *Paeanes* seu Hymni, et liber pedestri sermone scriptus *de Choro tragico*; quae aetatem haud tulerunt.

Codices mss. Tragoediarum Sophoclis, recentioris aetatis plerosque, enumerat Fabricius B. Gr. T. II. p. 215. sqq.— *Editio princeps* est *Aldina* Venetiis 1502. 8. sine commentariis graecis sive *Scholiis*, quae, seorsum edita, prodierunt demum Romae 1518. 4. Novam contextus graeci recensionem, seu potius depravationem, ad Codicis a Demetrio Triclinio emendati fidem, cum eiusdem Scholiis Graecis, quae ab illis Romae editis diversa sunt, instituit *Adr. Turnebus* Parisiis 1553. 4. Insequuntur editiones *H. Stephani* cum Scholiis utrisque et notis *Camerarii* suisque, 1568. 4.— *Canteri* Antverpiae 1579. 12.— *Johnsonii*, Oxoniae 1706. plus septies repetita; pleniores sunt Londini 1746. III. Voll. 8. tum ibid. 1758. et 1775. II. Voll. 8. cf. *Mohnikius* l. c. p. 386. not. — *Vauvillieri* Parisiis 1781. II. Voll. 4. Quibus omnibus longe praestant criticae editiones *Brunckii* cum vers. lat., Scholiis, Fragmentis et Lexico Sophocleo, Argentorati 1786. II. Voll. 4. et IV. Voll. 8. repet. ibid. 1788. et rarior Brunckiana, quae ex nova editoris recognitione, cum vers. lat. et notis, deperditor. dram. fragmentis et Scholiis *veteribus* (omissis Triclinii illis et recentioribus), splendida forma, prodiit Argentorati 1789. IV. Voll. octonis.— *Sam. Musgravii* Oxoniae 1800. II. Voll. 8. et *C. G. A. Erfurdtii* Lipsiae 1802—1811. VI. Voll. 8. mai. praematura editoris morte intercepta, quam absolvet doctissimus *Seidlerus*. Idem *Erfurdtius* minorem tragoediarum Sophoclis editionem curandam susceperat, cujus, ad *optimor. libror. fidem iterum recensitae, et brevibus notis instructae*, primum Vol. *Antigonam* Lipsiae 1809. secundum *Oedipum R.* ibid. 1811. tertium, post editoris fata editum, ibidem 1817. *Aiacem*, et quartum *Electram* ibid.

1819. 8. min. continet, curante Cel. *Hermanno*, cuius doctrinae etiam reliquam huius ed. partem acceptam olim referemus. Interea novam recensionem molitus est *F. H. Bothius* Lipsiae 1806. II. Voll. 8. et iam dudum nunciatur editio Cel. *Beckii*, quae praeter Scholia gr. plurium interpretum annotationes comprehendet II. Tomis quaternis. Denique notamus coeptam nuper hoc indice: *Sophokles Tragoedien emendirt und erläutert* durch *J. G. Fröhlich* T. II. qui Philoct. Electram et Trachinias continet, Sulzbach. 1815. 8. — et Tauchnitzianam, curante *Schäfero*, Lipsiae 1810. II. Voll. duodenis. — Singularum fabularum editiones, in Scholarum usum maxime adornatae, exstant multae; praecipuae sunt *Brunckii*, *Gedikii*, *Hoepfneri*, *Koeppenii*, *Barby*, *Lobeckii*, cui praestantissima *Aiacis* debetur editio, Lipsiae 1809. oct. mai.; *Elmsleii*, qui *Oedipum R.* recensuit, et annotatt. illustravit, Oxonii 1811. 8. mai.; *Car. Reisigii*, qui *Oed. Col.* cum Scholiis vetustis hoc ipso anno edidit Ienae octonis; aliae, in his *Vilnenses* Philoctetae 1806. 8. et Trachiniarum cum animadversionibus 1808. 8. — Inter *Versiones* tragoediarum Sophoclis, primo loco commemoranda est *Latina*, ex Codice ms. facta a *Vito Vinshemio*, ac primum edita Francof. 1549. 8. deinde cum graeco contextu Heidelbergae 1597. 8. Versionem *Gallicam* omnium fabularum Sophoclis continet: *Théâtre des Grecs*. Nouv. edit. T. II—IV. Separatim edidit *De Rochefort Théâtre de Sophocle* Paris. 1788. II. Voll. 8. De *Italicis* v. *Paitoni* Bibl. degli Autori antichi p. 58sq. Adde nuperam *Ludov. Lamberti*. In *Anglicum* sermonem converterunt Sophoclem *Thom. Franklinus* Londini 1760. 4. et *Potterus* ibid. 1788. 4.; in *Germanicum*, praeter alios, *Chr. Com. Stolbergius* Lipsiae 1787. II. Voll. 8. *Fr. Astius* cum notis criticis, Lipsiae 1804. 8. mai. *G. Fähsius* ibid. eod. a. II. Voll. 8. quibus nuper accurationis laudem praeripuit *C. W. F. Solgerus*, Berolini 1808. II. Voll. 8. mai. Acc. Vita poëtae, Commentationes Notaeque. Praeterea laudentur *Oedipi R.* versio germ. *Jacobsio* auctore, in *Novo Attico Museo* T. I. P. 2. ac nuper *Adolpho Wagnero* Lipsiae 1813. 8. mai. *Trachiniarum*, auctore *I. W. Süvern* Berol. 1809. 8. mai. denique nuperrima *Philoctetae*, et fide et

elegantia praestans, auctore *H. C. Liebau*, Mitaviae 1820. 4.

G. E. Lessing Leben des Sophokles, Berol. 1790. 8. — *Fr. Jacobs* Sophokles, in *Nachträgen zu Sulzer* T. IV. p. 86. — *H. Stephani* Annotationes in Sophoclem et Euripidem Parisiis 1568. 8. — *J. J. Reiskii* Animadversiones ad Sophoclem Lipsiae 1753. 8. — *A. Matthiae* Observatt. criticae in Tragicos. Gottingae 1789. 8. — *Lud. Purgoldi* Obss crit. in Soph. Eurip. etc. Lipsiae 1802. 8. — *Lud. Doederleinii* Specimen novae editionis tragoediar. Sophoclis Erlangae 1814. 8. — *Ejusdem* Obss. criticae in Sophoclis Oed. Col. — in *Thierschii* Actis Philologor. Monac. T. I. 1. — *Eckermanni* Commentationum Gedanensium Fasc. I. Berol. 1813. 4. — *C. Ph. Conzii* Obss. ad Sophoclis aliqua loca, praesertim ex *Aiace Lorario*, Tubing. 1818. 4. — *J. G. Jägeri* Annotationes ad Sophoclis Aiacem. Altonae 1811. 8. — Notes on the Electra of Sophocles by *Monk* and *Blomfield* — in *Museo Critico* or Cambridge Classical Researches 1812. sqq. Nr. I. II. Ibidem Nr. II. p. 141—49. Animadversiones quaedam in Fragmentorum Sophocleorum syllogen Brunckianam — *C. Fr. Wilh. Hasselbach*. Ueber den Philoktet des Sophokles. Stralsund 1818. 8. — *F. C. Peterseni* Obss. in Sophoclis tragoediam q. i. *Oedipus Rex*, Hafniae 1819. 4. mai.

§. 80.

Tertius tragicorum, qui principes habentur, *Euripides*, sedecim annis iunior Sophocle, anno et die pugnae Salaminiae, in insula cognomine, e parentibus Atheniensibus natus (Ol. LXXV. 1.) *Prodicum Ceum* in Rhetoricis, *Anaxagoram* vero in philosophia praeceptores habuit, et cum *Socrate*, aliquanto se iuniore, perquam familiariter vixisse dicitur. E studiis his oratoriis ac philosophicis ad subtiliorem colloquendi rationem instituendam, crebrasque sententias et philosophemata in fabulis serenda plurimum traxit praesidii: unde oratoriae artis studiosis Euripidis lectionem tantopere commendat Quintilianus X. 1. 67. Sed tamen et locis alienis, et merae ostentationis causa, pro tragico poëta saepe oratorem vel rhetorem se gessit Euripides et philosophum; quumque motuum animi et affectuum, imprimis molliorum, ut amoris, desiderii, pietatis, moeroris, vividissima declaratione maxime excelleret, ut vel hinc τραγικωτάτου poëtae nomen meruerit: in miseratione commovenda summum ac paene unicum tragoediae finem posuisse videtur, quo omnem dramatis rationem referret, et cuius causa argumenti unitatem et aptam fabulae descriptionem rerumque gestarum

ordinem susque deque haberet *). Quo magis etiam intelligitur fabularum Euripidis *forma epica*, quam, tragoediae incunabulis propriam, in plerisque a poëta nostro retentam esse, et *Prologorum*, quibus totum fabulae argumentum in ipsius principio statim ab actorum aliquo accurate exponitur, *inventio*, et amplissimae *narrationes* toties inductae luce clarius demonstrant. *Chori* denique partes plerumque sic comparatae sunt, ut magis ad fabulae ornatum adiectae esse videantur, quam cum eius argumento cohaerere: unde saepe fit, ut cantica paulo longius repetita, neque rebus satis apta sint quae aguntur, nec personis accommodata. Sed vel sic ingeniosissimum hunc aeque ac dulcissimum poëtam, praeter virtutes quas supra commemoravi, maxime commendant ingenii ac dictionis acumen, verborum delectus et admirabilis copia, sermonis puritas, perspicuitas, nativa elegantia et summa suavitas. — Ceterum extrema ille vitae suae tempora apud Archelaum Macedonum regem *Pellae* transegisse, ibique fato, ut vulgo tradunt, acerbo periisse dicitur, eodem anno, quo subinde provectior aetate, idemque ingenio sublimior et praestantior arte. Sophocles Atticae scenae ereptus fuit, Olymp. XCIII. 3. a. Chr. 406.

Fabulae Euripidis tragicae et satyricae *quinque et septuaginta* a Varrone apud Gellium (XVII. 4.) numerantur, haud omnes genuinae, plures autem vel interpolatae, vel emendatae et correctae, sive ab ipso poëta, sive ab aliis tragicis, maxime *Euripide iuniore*, nostri ex fratre filio. Cf. *Boeckhius* in laud. libro didascalico, cap. XVIII. p. 225. sqq. Idem dicendum de *undeviginti* illis fabulis quae aetatem tulerunt, quarum multae, ut *Medea*, *Orestes*, *Helena*, *Iphigenia Aulidensis*, *Hippolytus*, *Bacchae*, *Rhesus*, varias sive spurii et supposititii, sive recognitionis alicuius, sive interpolationis movent suspiciones, veterum criticorum testimoniis partim confirmatas. Vide *Boeckhium* l. l. capp. XIII. XIV. XVII — XIX. et *Mohnikium* in Geschichte d. Litteratur d. Gr. T. I. p. 408—413.

---

*) Aristot. Poët. XIII. 10. *Καὶ ὁ Εὐριπίδης εἰ καὶ τὰ ἄλλα μὴ εὖ οἰκονομεῖ, ἀλλὰ τραγικώτατός γε τῶν ποιητῶν φαίνεται.*

Ceterae inscribuntur: *Hecuba*, *Phoenissae*, *Alcestis*, *Andromache*, *Supplices*, *Iphigenia Taurica*. *Troades*, *Heraclidae*, *Ion*, *Hercules furens*, *Electra*, *Cyclops*, et *Danaës* initium sive *Prologus dramatis cum Chori parte*, quinque admodum et sexaginta versus, quos Euripideis longe deteriores, quid? multo inferioris aetatis partum habendum esse nobis nuper persuasit vir doctus in *Wolfii* Analectis litterariis T. II. p. 392—410. (In his *Cyclops unicum drama satyricum* est quod ex omni antiquitate ad tempora nostra pervenit.) In tragoedias *septem* tantum exstant Commentarii graeci antiqui, sive *Scholia*, ab *Arsenio* Archiep. Saec. XV. collecta, typisque primo vulgata Venetiis 1534. 8. Deperditarum nomina et fragmenta copiosa exhibet, ut alias taceam, *editio Lipsiensis* a *Beckio* curata.

Ut Codicum Mss. Euripidis, quorum censum egit Beckius in Vol. IIItio editionis modo laudatae, nullus reperitur, qui omnes fabulas contineat: ita *princeps editio* Florentina a *Iano Lascari* sub saeculi XVti finem curata, eademque rarissima, (de qua conf. *F. A. Wolfii* Analecta litter. T. I. p. 472.) *quatuor* modo, Medeam, Hippolytum, Alcestin et Andromachen; *Aldina* Venetiis 1503. 8. et *Basileensis* 1537. 8. *duodeviginti* dramata continent. *Electra*, a *P. Victorio* primum vulgata Romae 1545. 8., ad reliquas superstites demum accessit in *edit. Basil.* 1551. 8. — Post *Canteri* edit. magis emendatam (Antverpiae 1571. 12.) et Commelinam (Heidelb. 1597. II. Voll. 8.) in qua *Danaës* fragmentum vel initium ex cod. Palatino primo adiectum fuit, memorandae sunt editiones *Ios. Barnesii* Cantabrigiae 1694. fol. una cum Scholiis graecis et deperditorum dramatum fragmentis: — et *Sam. Musgravii*, quae novam textus graeci, ad Codd. Mss. maxime Parisienses recensionem, lectionis varietatem, Scholia, Fragmenta multo pleniora et notas perpetuas continet, Oxoniae 1778. IV. Voll. 4. — Barnesii editionem, (in qua insunt quoque *quinque epistolae* quae sub Euripidis nomine feruntur) cum toto apparatu Musgravii, cumque commentationibus et animadversionibus VV. DD. suisque, typis repetendam curarunt *J. F. N. Morus* et *Ch. D. Beckius* Lipsiae 1778—1788. III. Voll. 4.

qui etiam novam inchoavit ibidem 1792. 8. T. I. Nuper, post *Ern. Zimmermannum*, qui Euripidis dramata edidit Francof. ad M. 1809. III. Voll. 8 mai., Duumviri doctissimi omnes poëtae fabulas denuo recensere et illustrare coeperunt, alter *Aug. Matthiae*, cuius nomen prae se ferunt: Euripidis Tragoediae et Fragmenta. Recensuit, interpretationem corrrexit, Scholia graeca e codd. Mss. partim supplevit, partim emendavit A. M. T. I—V. Lipsiae 1813—1818. 8. alter *Aug. Seidlerus*: Euripidis Tragoediae. Ad optimorum libror. fidem recensuit et brevibus notis instruxit T. I. II. III. Lipsiae 1812sq. oct. Contextum graecum omnium fabularum accurate et nitide expressum continet editio Tauchnitziana, curante *G. H. Schäfero*, Lipsiae 1810. sq. IV. Voll. duodenis, et Weigeliana ex recens. *A. Matthiae*, ibid. 1819. 8 min. Sed subiungendae etiam sunt selectarum E. Fabularum editiones aliquot praestantissimae, ut *Hecubae*, *Orestis*, et *Phoenissarum* ab *Io. Kingio*, Cantabrig. 1726. II. Voll. 8. repet. a *Thom. Morello*, Londini 1748. II. Voll. 8. — *Phoenissarum* a *L. C. Valckenario*, Franecker. 1755. 4. et *Hippolyti* ab eodem doctissimo et sagacissimo Critico, adiecta *Diatribe in Euripidis deperditorum reliquias*, Lugd. Bat. 1768. 4. recusa ibidem 1803. 4. — *Brunckius* separatim edidit *Andromachen*, *Medeam*, *Orestem* cum Aeschyli et Sophoclis fabulis selectis, Argentor. 1779. 8. tum *quatuor Euripidis*, Hec. Phoen. Hippol. et Bacchas iunctim, ibidem 1780. 8. — *Ab I. Marklando* editae et illustratae sunt *Iphigenia utraque* Londini 1771. 8. et *Supplices* ibid. 1763. 4. et 1775. 8. — *Rich. Porsono* debemus Hecubae, Orestis, Phoen. et Medeae editiones criticas, Londini 1797. 1798. 1799. 1800. oct. mai. quae iunctim repetitae sunt, curante *Schaefero*, Lipsiae 1802. et denuo 1807. 8. — *Gilb. Wakefield* Tragoediarum delectui suo inseruit *Herculem furentem*, *Alcestin*, *Ionem*, Londini 1794. II. Voll. 8. — *Hecubam* cum animadverss. in fabulam ipsam in notasque Porsoni edidit *Godofr. Hermannus*. Lipsiae 1800. 8. Eamdem ex recens. et c. notis Brunckii, *G. H. Schäferus* Lipsiae 1803. 8. — *Herculem furentem* recensuit *G. Hermannus* Lips. 1810. 8. *Idem Supplices* ibid. 1811. 8. — *Orestem* ex recensione Barnesii, varietate lect. et animadvv.

illustr. *I. F. Faciûs*, cum praefat. *Heynii*, Coburgi 1778. 8. — Hippolytum *Egertonus* Oxoniae 1796. 4. et *Iac. Henr. Monkius*, secundum, Cantabrig. 1813. 8. — *Alcestin* ad fidem Mss. ac vett. edd. emendavit et annott. instruxit *Iac. Henr. Monkius*, acc. Buchanani vers. metrica, Cantabrig. 1816. 8. repet. ibid. 1818. 8. sine mutatione. — Eamdem cum variis lect. ediderat *Gaisfordius* Oxoniae 1806. — *Phoenissas* cum notulis *G. Burgesius* Londini 1809. 8. min. — *Easdem* c. commentario gallico *Fr. Tourot* Paris. 1813. 8. — *Heraclidas* recensuit *Petr. Elmsleius* Oxoniae 1813. 8. — *Troadas* partim Codd. Mss., partim ope coniecturarum emendavit *G. Burgesius*, subiecta appendice, in qua carminibus Euripideis, quae vulgo habentur monostrophica, verus et vetus ordo nunc demum restituitur, Cantabrigiae 1807. 8. — *Ionem* cum commentario perpet. prolegg. et indice, *Fr. Hülsemannus* Lipsiae 1801. 8. mai. — *Cyclopem* cum perpetua annotatione *I. G. Hoepfnerus* Lipsiae 1789. 8. (*idem* Iphigeniam in Aulide, Halae 1795. 8.) et *Goesius*, Norimb. 1799. 8.

Versiones omnium fabularum Euripidis *Latinae* confectae sunt ab *Erasmo* Roterod. et *Melanchthone*: *Gallicae*, a *Prevostio*, Paris. 1796. III Voll. 8. et in *Brumoy* Théâtre des Grecs. 1785. T. IV—IX. *Anglicae* a *Pottero* Londini 1781. II Voll. 8. et *Wodhullo* ibid. 1782. IV Voll. 8. *Germanicae* a *Steinbrüchelio* in *Tragisches Theater der Griechen* Vol. I. Tiguri 1763. 8 et nuper a *Bothio* cum annotatt. criticis. Berolini 1800, sqq. V Voll. 8. mai. — Adde *Helenam*, *Wielandi* opera, in Mus. Att. Novo I. 1. *Eiusdem Ionem* in Att. Mus. IV. 3. — tum *Medeam* ab Hier. Müllero convers. Erfordiae 1811. 8.

Jos. Barnesii Vita Euripidis edit. praefixa. — *J. G. Hauptmanni* Comm. de Euripide, Gerae 1743. ins. *Biographiae Classicae* Hallae 1768. 8. Vol. I. — *Fr. Jacobsii* Euripides, in *Nachträgen zu Sulzer* T. V. p. 335. — *Eiusdem* Animadversiones in Euripidis tragoedias, Gothae 1790. 8. — *Eiusdem* Exercitationes criticae in Scriptores Veteres, Lipsiae 1796. II. Voll. 8. (Vol. I. continet *Curas secundas in Euripidis tragoedias*) — *G Hermanni* Obss. criticae in quosdam locos Aeschyli et Euripidis, Lipsiae 1798. 8. — *C. A. Boettigeri* Prolusiones II. de Medea E. cum priscae artis operibus comparata, Vimariae 1803. 4. — *H. C. A. Eichstadii* Quaestionum Philolog. novum specimen. Jenae 1804. 8. — *Bouterwekii* De Philosophia Euripidea, in Comm. Soc. Reg. Sc. Gott. recent. Vol. IV. Gott.

1819. — *Caspari Baxii* Disp. de naturae simplicitate in Euripidis Oreste, Trai. ad Rhen. 1816. 8. — Euripidis ingenium ad Aristotelis Poët. c. 13. breviter adumbratum ab *J. F. Haberfeldio* Lips. 1789. 8. — *G. Wagneri* Diss. de Alceste Euripidea ibid. 1797. — *C. J. Blomfieldii* Animadvv. quaedam in Euripidis Supplices et Iphigenias, quae ex edd. *Marklandi* Oxonii nuper recusae sunt, in *Museo Critico* or Cambridge Classical Researches 1813. Nr. II. p. 181—193. — *Godofr. Fähsii* Sylloge Lectionum Graecarum, Glossarum, Scholiorum in Tragicos Graecos atque Platonem, ex Codd. Mss. qui in Bibl. Paris. adservantur erutorum, in ordinem redacta. Acc. Obss. criticar. Symbole. in Scriptores aliquot classicos et Graecos et Romanos. Lipsiae 1813. 8. — *Bremii* Comm. über zwei Ausgaben der *Iphigenie in Aulis*, den Anfang und das Ende des Drama — und über einzelne Stellen dieses Stück's — in Eiusd. *Bremii* et *Döderleinii* Philolog. Beiträgen aus der Schweiz T. I. Nr. 6. et II. Turici 1819. 8. — *Frid. Osanni* De nonnullis fabularum Euripidis deperditarum titulis, ad *Aug. Matthiaeum* — in Wolfii Anal. Litter. T. II. p. 527—541.

§ 81.

In tragicorum poëtarum principum canonem (*τάξιν*), quem Grammatici Alexandrini confecerunt, praeter *tres* dictos, relati etiam sunt *Ion Chius* et *Achaeus*. Horum prior, ter iam nobis memoratus (p. 48. 70. 72.) ex insula ortus cognomine, genere et opibus clarus, Aeschylum vidit senem iuvenis, et circa Ol. LXXXII. tragoedias dare coepit, in quas Aristarchi et Didymi Alex. commentarii olim exstitere, teste Athenaeo XIII. p. 634.; sed quarum nunc nomina modo et fragmenta supersunt, diligenter collecta studio *Rich. Bentleii* in *Epistola* ad *Io. Millium*, subiecta *Io. Malalae* Chronicorum editioni p. 50 sqq. cf. *Toupii* Epist. critica in eius Opusc. T. II. p. 96. ed. Lips. Eiusdem *Ionis* alia, ut vidimus, scripta ferebantur plura, tum *poëtica*, ut Dithyrambi, Odae, Paeanes, Hymni, Scolia, Elegiae, Epigrammata; tum *soluta oratione* composita, ut *Χίου κτίσις*; *Ἐπιδημίαι* sive De *Adventibus clarorum virorum in Chium insulam*, cuius libelli egregium servavit fragmentum *Athenaeus* XIII. p. 603 f sqq.; *Ὑπομνήματα*, sive Commentarii historici, aliaque.

Alterius, *Achaei*, nomine *duo* tragici inclaruerunt poëtae, prior *Eretriensis* ex Euboea, Euripidi aequalis; alter, iunior aetate, *Syracusanus*. Utrius fabulae et fragmenta, quae commemorantur veteribus, habenda sint, ubique discerni nequit; sed ad priorem referri

debere videntur *fabulae satyricae* pleraeque omnes, quarum frequens sub Achaei nomine mentio fit apud Athenaeum. — Sed multo plures tragici poetae exstiterunt nunc deperditi, trium principum illorum partim aequales, inque his ipsi eorum filii et nepotes aliique propinqui, ut *Bion*, et *Euphorion*, et *Philocles*, qui Sophoclem vicit *Oedipum Regem* docentem, huiusque filii *Morsimus* et *Melanthius*, neposque *Astydamas* maior, tragicus celeberrimus, qui omnes *οἱ περὶ Αἰσχύλον*, i. e. ex familia Aeschyli, eius, ac sororis filii et nepotes dicuntur (cf. Boeckhius in lib. didasc. p. 31 sqq.); porro Sophoclis filii *Iophon* et *Aristo*, et *Sophocles iunior*, ex Aristone nepos (Boeckhius p. 115 sqq.); Euripidis denique ex fratre filius, *minor* dictus *Euripides*, quem Iphigeniae Aulidensis, quae exstat, editorem correctoremque vel *διασκευαστὴν* fuisse suspicatur Boeckhius l. c. cap. XVIII. p. 225 sqq. praeterque hos alii multi, usque ad Alexandri M. tempora florentes, quorum censum videas apud Fabricium B. Gr. T. II. p. 279 sqq. quem praegressi erant *Meursius* in Bibliotheca graeca, et *Delrio* in *Syntagmate Tragicorum Veterum*, Senecae tragoediarum editioni praemisso. Ex his solum *Agathonem* commemorabimus Atheniensem, Euripidi familiarissimum, primam in certamine tragico victoriam Olympiadis XC. anno quarto nactum, in cuius aedibus *Convivium* suum *Plato* finxit divinus, poëtam amoenissimo quidem ingenii cultu conspicuum, famaque inter Athenienses illustrem; nobis autem propterea notabilem, quod tumore et nimis quaesita orationis elegantia artem tragoediae, cuius summa virtus in veritate et simplicitate cernitur, primus corrupisse dicitur. Fragmenta Agathonis nonnulla collegit *Hugo Grotius* in libro praestantissimo, summique ingenii, artis et doctrinae incredibilis monumento: *Excerpta ex Tragoediis et Comoediis Graecis*, Parisiis 1626. 4. cf. *Rich. Bentleius* in Dissert. de Epistolis Euripidis, ex latina Lennepii versione p. 63. ed. Lips. *A. W. Schlegelii* Vorlesungen über dram. Kunst u. Litteratur T. I. p. 270.

Quum belli Peloponnesiaci (Ol. LXXXVII. 1.-XCIII. 4. a. Chr. 432—405. tristissimo exitu Atheniensium opes fractae, et aliquanto post, pugna ad Chaeroneam

adversus Philippum regem Macedonum (Ol. CX. 3. a. Ch. 338.) infelici, ipsa respublica prope exstincta esset: instituta etiam, quae in florentissima post Persarum bella civitate viguerant, sensim labefacta corruisse, cumque his ingeniorum copiam ac praestantiam simul defecisse non est quod miremur. Itaque accidit, ut tragica poësis, quae post Aeschyli conatus, brevissimo temporis intervallo, Sophoclis arte divina in summum erat perfectionis fastigium evecta, post consociata huius et Euripidis fata, vix ab aliquo eminentioris ingenii artisve poëta amplius exculta fuerit, et mox tota iacuerit, donec, rerum ac temporum et ingeniorum prorsus immutata facie, *Alexandriae* sub Ptolemaeis paulisper revivisceret, sed ita, ut cum veteri Atticorum ne comparari quidem, nedum eodem loco haberi possit.

§ 82.

Ut tragoedia a dithyramborum in Bacchicis festis cantu, Chorique et histrionum lusibus extemporalibus sensim orta erat; ita *Phallica* i. e. cantus rusticorum inconditos, vindemiarum tempestate, in Bacchi honorem cum effusa laetitia iocisque scurrilibus agitatos, succedente tempore *Comoediae* originem dedisse, vel nomen ipsum, secundum nonnullos a *κώμη vicus* et *ᾠδὴ* ductum, satis declarat. v. Aristot. de Poët. IV. 14. Minus tamen variae constant mutationes, a diversis auctoribus illatae, donec e ludicris his extemporalibus primo *certa quaedam argumenta*, hinc *iustae fabulae* prodirent. cf. Aristot. l. c. 3 sqq. Ceterum et comici dramatis origines nequaquam ad *solos Atticos* referendae, et *partes principes*, ut in Tragoedia, primum *Chorus* tuebatur, quem tamen diu e *voluntariis* modo constitisse, donec *publicum* magistratus daret, ab eodem auctore accepimus (de Poët. c. V.). Quae Chori partes quum, inventis *episodiis*, in dies magis magisque imminuerentur: factum est postremo, ut tragicis Choris *citius etiam obmutescerent comici*, et comoediae *sine choro* in scenam inducerentur. Inventionem autem comoediae, Aristotele teste (l. c. III. 5.) vindicarunt sibi *Megarenses*, Atheniensium vicini, fortasse propter *Susa-*

rionem, Megara ortum secundum nonnullos, qui Olymp. L. vel LIV. circiter cum *Dolone* in vicis Atticis ludicra plaustris vexisse videtur: multo rectius tamen laus ea debetur *Siculis*, propter *Epicharmum*, qui cum *Phormide*, itidem Syracusio, *iustas* reperisse *fabulas* perhibetur Aristoteli V. 5. τοῦ δὲ μύθους ποιεῖν, Ἐπίχαρμος καὶ Φόρμις ἦρξαν· τὸ μὲν οὖν ἐξ ἀρχῆς ἐκ Σικελίας ἦλθε. Idem significant Plato in Theaeteto, et Theocritus Epigr. XVII. Sed Epicharmi huius, Pindaro atque Aeschylo aequalis, et circa Olymp. LXXVII. apud Hieronem regem Syracusis viventis, quem cum Pythagoreo Philosopho cognomine alii eumdem, alii ab hoc diversum habent, Epicharmi huius, inquam, dramata, quantum ex paucis eorum reliquiis, à *Stobaeo* maxime servatis, colligi licet, ab Atticorum poëtarum antiquis comoediis et argumento et forma multum differebant, adeo ut singulare quoddam genus, ad Satyros Atticorum fortasse propius accedens, exhibuisse videantur. Vid. Mohnikium l. c. p. 449 sq. et Censorem doctissimum nostri libelli in Ephem. Litter. Jen. 1817. cf. Fabricium Harlesian. Vol. II. p. 298—303. Wielandi Mus. Att. III. 1. p. 38. G. Hermanni Progr. de Musis fluvialibus Epicharmi et Eumeli, Lipsiae 1819. 4. Guil. Schneiderus de Orig. Com. Gr. p. 20.— Athenis autem si legitimam Comoediae formam haud longe ante Herodoti aetatem (Ol. LXXXI.) inventam fuisse contendimus, vero propiores esse videmur. Ex hoc enim tempore novum hoc dramaticae poësos genus imprimis *Athenienses* excoluerunt, fabularumque comicarum pariter atque tragicarum *commissiones* in festis Bacchicis editae sunt. Chori autem et histrionum effrenata licentia ac dicteriorum petulantia, a comoediae Atticae incunabulis repetendae, usque ad Socratis extrema tempora viguerunt; quo spatio *vetus comoedia* comprehenditur, cuius, ex Alexandrinorum Grammaticorum sententia, *Epicharmus*, *Cratinus*, *Eupolis*, *Aristophanes*, *Pherecrates* et *Plato Comicus maior* poëtae habentur principes. Successit *media Comoedia*, quam, praeter Aristophanem, *Antiphanes Carystius* et *Alexis* Thurius maxime illustrarunt, veteri hactenus moderatior, quod *fictis* tantum *nominibus* civitatis principes, praetores, philosophi, poëtae tragici ali-

ique populo deridendi proponebantur; ceterum similis, quod in utraque fabularum erant *argumenta maximam partem* politica, ad praeteritum aut praesentem reip. statum et administrationem spectantia: quae sublata demum fuerunt, et *fictis* argumentis, privatorum hominum casus, vitam moresque generaliter referentibus, cesserunt, ex quo Macedonum regibus paruerunt Athenienses; unde *nova* orta est *Comoedia*, in qua *Menander*, *Philemon*, *Philippides*, *Diphilus* Sinopensis et *Apollodorus* Atheniensis praestantissimis annumerantur poëtis, et ad cuius similitudinem quum Plautinae et Terentianae fabulae inter Romanos adumbratae sunt, tum inter recentiores populos, post renata litterarum artiumque studia, poëtae comici plerique fabularum argumenta suarum composuerunt. Ceterum ex ingenti poëtarum fabularumque triplicis huius comoediae Atticae numero, quem vel ex Fabricio Harles. Voll. II. p. 405—506 cognoscere licet, hodie non supersunt nisi *undecim comoediae integrae solius Aristophanis*, et *reliquorum pauca fragmenta*, collecta, post *Morellum* (Parisiis 1553.), *Hertelium* (Basileae 1560. 8.), *Henr. Stephanum* (Paris. 1569. 12.), ab *Hugone Grotio* in praeclaro libro supra laudato: *Excerpta ex Tragoediis et Comoediis graecis*, Paris. 1626. 4. Opimam fragmentorum messem unus affert *Athenaeus* in Deipnosophistis suis, qui *octingenta* amplius *mediae comoediae* dramata se legisse testatur. l. VIII. p. 336. Iuvat hic apponere *Quintiliani* iudicium (Inst. Or. X. 1.): „Antiqua, inquit, Comoedia quum sinceram illam sermonis Attici gratiam prope sola retinet, tum facundissimae libertatis, etsi est in insectandis vitiis praecipua, plurium tamen virium etiam in ceteris partibus habet. Nam et grandis et elegans et venusta et nescio an illa ... aut similior sit oratoribus, aut ad oratores faciendos aptior. Plures ejus auctores; *Aristophanes* tamen et *Eupolis*, *Cratinusque* praecipui."

De *Comoedia veteri* inter antiquos scripserunt *Theophrastus*, *Chamaeleon*, *Eratosthenes* et *Lycophron*. De *media* Antiochus Alexandrinus. — Inter recentiores, Comoediae origines maxime scrutati sunt: *Rich. Bentleius* in *Responsione ad Censuram C. Boylii* dissertationis de *Epistolis Phalaridis* p. 105—115. ex vers. latina Lennepiana. — *P. Signorelli* in *Storia Critica* de Teatri au-

tichi e moderni. Napoli 1777. II. Voll. 8. *C. F. Floegel* in Geschichte der komischen Litteratur. Lipsiae 1787. IV Voll. 8. — *A. W. Schlegel* Vorles. üb. dram. K. u. L. Heidelb 1809 sq. II. Voll. 8. — *P. F. Kangiesserus* in libro laud. *Die Komische Bühne in Athen.* Vratisl 1817. 8. *Guil. Schneiderus* de originibus Comoediae Graecae, ibid. eod. a. — De *Pherecrate* in veteris comoediae poëtarum sex principum relato numerum, ejusque dramate Χείρων ἢ Ἄγριοι conf. *Heinrichii* Demonstratio et restitutio loci corrupti e Platonis Protagora, Kielon. 1813. 4. — De *Antiphane* mediae comoediae poëta celebri egit, eiusque Comoediarum fragmenta collegit et illustravit *P. H. Koppiersius* in Obss. Philolog. in loca quaedam *Antiphanis*, *Theocriti* etc. Lugd. Bat. 1771. 8. — *A. Meinekii* Curae criticae in Comicorum Fragmenta ab Athenaeo servata. Berolini 1815. 8.

§ 83.

Aristophanes, civis Atheniensis, veteris Comoediae princeps, belli Peloponnesiaci maxime temporibus floruit: quo profligato, et populari reip. Atheniensis forma in paucorum dominationem, a Lacedaemone victore constitutam, abeunte, vetus in mediam transiit comoedia; unde ad utramque vulgo refertur. Quae praeterea ei evenerint, pariter atque annus quo viderit lucem e vitaque migrarit, ignoratur. Quid? quod de eius patria disceptant veteres. V. Athenaeum VI. p. 229. Sed exstant fecundissimi ingenii aeterna monumenta, fabulae Aristophaneae, quas adeat, quicunque Athenarum, qualis tunc erat, statum, popularis regiminis effrenatam licentiam, civium perditissimorum mores corruptos, potentiorum flagitia, arrogantiam, avaritiam, fraudes, Sophistarum vaniloquentiam ac disciplinam perniciosissimam, plebis insanientis summam levitatem et inconstantiam, fidissima imagine expressa cognoscere cupit, animumque et inventionis copia ac festivitate, et poëtici sermonis ubertate, puritate, elegantia, suavitate, et cavillatione in omni sermone aequabiliter fusa, et iocorum, facetiarum, dicteriorum salsissimorum lepore exhilarare. Quod tantis tamque multis virtutibus praecellens ingenium, sane mirum foret, si ab omni labe vitioque liberum fuisset. Atque, ut alia taceam quae in fabularum dispositione culpantur, offendit nimia poëtae scurrilitas, dicacitas amarulenta quae ne optimis quidem viris pepercit; iocorum mimicorum vilissimae plebeculae obscenitas, a nostri sen-

sus elegantia morumque nostrorum exquisitiore cultu valde abhorrens. Enimvero maculas has, quas partim insolitus liberrimi ingenii nisus aspersit, priscae omnino comoediae, inde a prima eius origine, adhaesisse quem fugit? Neque idcirco *Platonem*, ingeniorum, si quis alius, exploratorem acerrimum, omnisque elegantiae summum arbitrum, poëtae nostri operibus minus delectatum esse: quid? defuncti memoriam elegantissimo carmine condecorasse accepimus *).

De *quatuor* et *quinquaginta* fabulis, quas Suidae docuisse dicitur Aristophanes, *undecim* modo aetatem tulisse diximus, quae ratione temporis quo in festis Dionysiis editae fuere, hoc sese ordine excipiunt: 1) *Acharnenses* (*Ἀχαρνεῖς*) Ol. LXXXVIII. 3. belli Pelop. a. 7. 2) *Equites* (*Ἱππεῖς*) eiusdem Olymp. anno IV., in quibus *Cleon* dux plebis dicteriis conviciisque traducitur acerrimis **). 3) *Nubes* (*Νεφέλαι*) bis datae, primo Ol. LXXXIX. 1., quumque iudicum suffragia haud tulissent, (nam *Cratino*, tum nonaginta amplius annos nato, et *Amipsiae* victoria adiudicata est) anno post retractatae, quibus, sub *Socratis* persona, *Sophistae* et *Philosophi* salse perstringuntur. Sunt tamen qui a poëta quidem correctas, sed non iterum in scena actas esse putent; *Welkerus* etiam, an omnino correctae fuerint, dubitat. Vid. *Mohnikius* p. 472. not. 4) *Vespae* (*Σφῆκες*) eodem anno, quo Nubes secundum Aristophanes docuisse dicitur, eo consilio editae, ut Atheniensium effrena litigandi iudiciaque exercendi studia deridenda proponerentur. 5) *Pax* (*Εἰρήνη*) Ol XC. 1. belli Pelop. anno XIII. 6) *Aves* (*Ὄρνιθες*) Ol. XCI. 2. B. P. anno XVIII. 7) *Thesmophoriazusae* i. e. *Mulieres Cereris sacris operantes* Ol. XCII. 1. B. P. anno XXI. in quibus ridetur *Euripides* tragicus

---

*) *Αἱ Χάριτες τέμενός τι λαβεῖν. ὅπερ οὐχὶ πεσεῖται,*
Ζητοῦσαι, ψυχὴν εὗρον Ἀριστοφάνους.
Quod epigramma *Vavassor* latinis sic versibus expressit:
Numquam casurum cupidae sibi sumere templum
Invenere animam Gratiae Aristophanis.

**) Cf. *Kortumii* comm. *Der Demagog Kleon* in *Bremii* et *Döderleinii* Philologischen Beiträgen aus d. Schweiz. T. I. Turici 1819. 8.

poëta. 8) *Lysistrata*, ex Palmerii sententia, anno post edita, ad pacis cum Lacedaemoniis ineundae bona popularibus commendanda. 9) *Ranae* (*Βάτραχοι*) Ol. XCIII. 3. B. P. anno XXVII. in quibus cum Dionyso irridentur poëtae tragici, maxime Euripides, eo anno vita defunctus. 10) *Concionatrices* (*Ἐκκλησιάζουσαι*) actae Ol. XCVII ½. ad popularis reip. formam, quae tunc viguit, et Demagogorum ineptias deridendas, multis admixtis, quae Platonis de Rep. libellum salse perstringere voluisse poëtam, haud obscure significant. 11) *Plutum*, bis datum, primo Ol. XCII. 4., dein viginti annis post, Ol. XCVII. 4. vel ab ipso poëta, vel ab eius filio *Ararote*, cui fabulam hanc docendam permisisse dicitur. Quam habemus, ea ex priore et posteriore editione mixta esse videtur.

Quum et rerum et verborum explicatione admodum indigerent fabulae Aristophaneae, Grammatici veteres Alexandrini commentariis in eas conficiendis operam impenderunt, praecipue *Aristophanes Byzantius*, qui quum scenicos poëtas principes, tum Comicum cognominem suum ita enarrasse videtur, ut universam vim et artem et tempora fabularum exponeret, monente *Wolfio* in Prolegg. ad Homerum p. 220. Quorum commentariorum egregia fragmenta vel excerpta *Scholiis* continentur graecis antiquis in *novem* comoedias (Lysistrata et Thesmophor. exceptis), a Thoma Magistro, Jo. Tzetza et Demetrio Triclinio collectis, quae e variis codd. a *M. Musuro* descripta, in Aristophanis *editione Aldina* primum comparent. Adjecta his in ed. *Florentina* (1515. 4.) ab *Arsenio* alia, non e codd. Mss., sed e Galeni, Athenaei, Suidae, Eustathii libris excerpta. Denique *Odoardus Bisetus* (nam quae *Aegidius Burdinus* in solas Thesmophoriazusas collegit Scholia Parisiis 1545. 8. mentione vix digna videntur) *Bisetus* igitur e Lexicis graecis et Eustathii in Homerum commentariis graecas in universas undecim comoedias annotationes consarcinavit, quae primum in edit. Genevensi 1607. reperiuntur, deinde una cum reliquis Scholiis omnibus in Küsterianam receptae sunt.

Deperditorum A. fabularum index et fragmenta quae supersunt plenissima, accuratius recognita, ex-

stant in editione *Brunckii* Voll. III. cf. Fabricius Harles. Vol. II. p. 367 sqq.

Codicum Mss. praestantissimus est liber *Ravennatis*, in Camaldulensium coenobio prope Ravennam saeculo X., ut putant, exaratus, qui quae exstant dramata A. continet omnia, innumeris textus corruptelis medetur, multas supplet lacunas, in compluribus verborum formis Atticismum restituit, metroque a librariis toties depravato egregie consulit. — De *editionibus* Comici nostri, praeter *Fabricium* l. l., egit *Matth. Raperus*, cuius notitiam suis animadverss. auctam inseruit *C. D. Beckius* in Commentarior. in Aristoph. Comoedias Tomo I. *Editio princeps novem* comoediar. cum scholiis gr. antiquis, a Musuro descriptis, est *Aldina*, Venetiis 1498 fol. Sequuntur *Iuntinae* Florentiae 1515. 8. et eodem a. quaternis, cum Scholiis *Arsenii*, repetitae Parisiis, Basileae, Francofurti. Tum *Genevensis* gr. et lat. studio *Aemilii Porti*, cum antiquis et *Biseti* Scholiis graecis, Aureliae Allobr. 1607 fol.; *Lugdunensis* (Batav.) gr. et lat. cum brevibus notis criticis, praecipue *Ios. Scaligeri* 1624. 12. repetita et aucta notis *Tan. Fabri*, Amstelod. 1670. 12. Praestantiores editiones sunt *Ludolphi Küsteri* cum Scholiis Gr. vers. lat. et notis Casauboni, Spanhemii, Bentleii aliorumque et editoris, Amstelodami 1710 fol., et *Petri Burmanni Secundi* cum Bergleri et Duckeri observatt., nova vers. lat., notis criticis et Comici Fragmentis, Argentor. 1783. IV Voll. 8. Novae autem textus Aristophanei recensioni copias egregias futuro poëtae editori subministravit editio *Phil. Invernizii* ad fidem codicis *Ravennatis* cum Borgiano collati, Lipsiae 1794. II Voll. 8. curante Cel. *Beckio*, qui inde ab anno huius saeculi *nono* editioni huic *Commentarios criticos* et *exegeticos*, singulari etiam titulo vulgatos, adiecit, quorum T. I. et II. *Plutum* et *Nubes*, T. III. *Ranas* et *Aves*, T. IV. (1819) Beckii et *Dindorfii* curis editus *Equites*, *Pacem* et *Ecclesiaz.* illustrat., T. V. solo *Dindorfio* editore, Commentarios in *Acharnenses* et *Vespas* continet. Lipsiae 1820. 8. Graecum fabularum contextum diligenter expressum continet editio Tauchnitziana Lipsiae 1814. III Voll. duodenis et *Weigeliana* ibid. 1819. II Voll. 8 min. *Schützii* autem, viri doctissimi, e-

ditionem plenissimam, dudum nunciatam, cupide exspectamus.

Selectarum fabularum editiones notabiliores videntur Aristophanis *Plutus*, graece, cum Scholiis gr. et notis doctissimis *Tib. Hemsterhusii* Harlem. 1744. 8. repetita Lipsiae 1811. oct. mai. Idem drama ediderunt notisque illustrarunt *Harlesius* Norimb. 1776. 8. et *I. F. Fischerus*, edente *Kuinoelio* Giesae 1804 sq. II Voll. 8. et nuperrime, cum Scholiis selectis, textu recognito in usum scholar. *A. Sanderus*, Hildesh. 1820. 8 mai. — *Plutus* et *Nubes* a *W. Iägero*, Altdorf. 1790. 8. iteratis curis a *G. C. Bannero* Norimb. 1811. 8. — *Nubes*, curante *Ernestio*, Lipsiae 1753. 8. *Schützio* Halae 1786. et 1805. 8. *Harlesio*, Lipsiae 1788. 8. *G. Hermanno* ibid. 1799. 8. et *Wolfio*, Graece, Berol. 1812. 4. nuperrime *Car. Reisigio* Lipsiae 1820. 8 mai. — *Aves* cum perpetua annotatione *Ch. D. Beckii* Lipsiae 1782. 8. — *Acharnenses* cura *Elmsleii* — *Aug. Sanderi*, additis Elmsleii annotatt. Hildesheim. 1820. 8. *Acharnenses* et *Ranae* ab *Hoepfnero*, Halae 1797 et 1798. 8.

E *Versionibus* A. notamus *Latinas Andreae Divi*, Venet. 1538. 8. *metricas* N. *Frischlini*, Francof. 1586. et *Florentis Christiani* in ed. Genev. 1607. tum soluta orat. *Bergleri* et *Brunckii*. — *Germanicas* F. G. *Welckeri*, Giess. 1810 sqq. (Nubes et Ranae) II. Voll. 8. — *Wielandii* (Eq. Nub. Av.) in *Museo* Attico T. II. et in *Novo* M. A. T. I. II. *Conzii* ibid. T. II. et Tubing. 1807. 8. (Plutus) — *F. A. Wolfii*: Aristophanes Wolken. Gr. u. Deutsch. Berol. 1811. 4. — *Eiusdem* Aus den Acharnern Gr. u. D. mit einigen Scholien, ibid. 1812. 4. *Gallicas* omnium fabb. a *L. Poinsinet de Sivry*, Paris. 1784. IV Voll. 8. et ab *A. Ch. Brotierio* in *Théâtre des Grecs* Voll. X—XIII.

Franc. Vavassor De ludicra dictione p. 72 sqq. — *I. G. Hauptmanni* Comment. de Aristophane atque illius Comoediis, Gerae 1743. 4. — Neue deutsche Bibl. d. schön. W. T. XXXVII. pars I. pr. — *C. A. Boettigeri* Prolus. Aristophanes impunitus Deorum gentilium irrisor, Lipsiae 1790. 8. — *Heynii* Pr. Liberalitatis et aequalitatis civilis in Atheniensi rep. ex Aristophane delineatio. v. Opusc. Acad. T. IV. p. 392. — Critical Remarks on Aristophanes by *Iohn Iortin* in Eius *Tracts Philological, critical and miscellaneous* Lond. 1790. 8. Vol. II. — *Lud. Hotibii* Lectiones Aristophaneae. Editionem curavit *Fr. Henr. Bothe*. Berol. 1808. 8. — *Car. Rei-*

sigii Coniectaneorum in Aristophanem libri II. ad G. Hermannum Lipsiae 1816. 8. — *P. Elmsleii* Comm. de carmine antistrophico ex Aristoph. Lysistrata — in Mus. Crit. Cantabrig. 1813. II. — Plura vide apud *Mohnikium* l. c. p. 483. qui excitat *Ric. Dawesii* Miscell. *Critic.* cura *Thom. Burgesii* Oxon. 1781. 8. et Lipsiae, curante *Harlesio* 1800. 8 mai. — *Io. Toupii* Opuscula critica, in quibus *Suidas* et plurima loca veterum Graecorum *Sophoclis*, *Euripidis* et *Aristophanis* in primis quum explicantur, tum emaculantur Lipsiae 1780 sq. II. Voll. 8 mai. — Denique *Wakefieldii* Silva Critica, Cantabrig. 1789 sqq. IV. Voll. 8. mai. — *Plutarchi* iniquam Aristophanis censuram in libello, quo *Menandrum* ei longe praetulit, suam fecit *Laharpius* in *Lycée* T. II. pr. nihil ipse apponens quod lectu dignum sit, aut linguae et antiquitatis peritiam testetur. — Taceo *Voltarii* ineptias in *Lex. Philos.* voce *Athée* sqq., a doctissimo *Brunckio* in Not. ad Aristoph. p. 65. merito explosas.

§ 84.

In tanta comicorum poëtarum strage (§ 83.) nullius iactura elegantioribus litteris et politiori humanitati aeque gravis accidit, quam unius *Menandri*, *novae Comoediae*, quae *morata* (ἠθικὴ) dicitur, *principis*, et Theophrasti discipuli, qui natus Ol. CIX. 3. de vita decessit Ol. CXXII. 4. a. Ch. 289. quinque et triginta annis post Alexandri mortem. De eo satis erit *Quintiliani* iudicium apponere (X. 1. 69.): „*Menander* vel unus, meo quidem iudicio, diligenter lectus, ad cuncta quae praecipimus efficienda sufficiat: ita omnem vitae imaginem expressit; tanta in eo inveniendi copia et eloquendi facultas; ita est omnibus rebus, personis, affectibus accomodatus." cf. Gellius II. 23. E *centum* amplius fabulis, quas Athenis docuit, scriptasque reliquit, nomina modo ac pauca supersunt fragmenta (cf. Fabric. T. II. p. 460 sqq.); tum comoediae *Terentii* latinae, qui se totum ad Menandrum composuit. Fragmenta plures collegerunt; cum *Philemonis* autem, Menandro aequalis, et secundi ab eo inter novae comoediae poëtas, fragmentis seorsum edidit *Io. Clericus* Amstelod. 1709. 8. parum ille quidem feliciter; quam ob rem in gravem et asperam *Bentleii* ac *Burmanni* censuram incurrit, a *Pawio* male defensus. v. Fabric. B. Gr. T. II. p. 457 sqq. Insunt quoque *Sententiae* e *Menandri* et *Philemonis* fabulis servatae, in *Brunckii* Gnomicis poëtis p. 189. et 334 sqq. Plenissimam vero fragmentorum *Menandri* copiam e cod.

Guelferbytano cum duobus Mss. Vindobon. comparato, in qua insunt CCCCXL Sententiae, cum *Aesopo* et *Babrii* reliquiis nuper edidit *J. G. Schneiderus*, Vratislaviae 1812. 8. „Poterunt, inquit clarissimus editor, haec omnia a me in unum corpus collecta inservire puerorum et adolescentium ingeniis in Graeco sermone erudiendis variaque ratione exercendis, et multo quidem commodius et rectius quam videmus in fabulis Aesopiis barbaro sermone scriptis, quae hucusque per scholas Europae dominatae sunt." Non omnes tamen in libello hoc collectae sententiae solius Menandri esse videntur, monente ipso Schneidero.

Io. G. Hauptmanni Comm. de Menandro atque illius Comoediis, Gerae 1743. 4. — *Marmora Taurinensia* P. I p. 169 sqq. — *Mongitor* in Bibl. Sicula T. II. p. 164 sqq. — Quaestiouum Menandrearum Specimen primum auctore *Aug. Meineke*, Berol. 1818. 8.

§ 85.

Satyrica dramata — quae pariter atque Tragoedia ex inconditis Satyrorum personatorum lusibus prodierunt (§ 77.), sed Aeschyli demum aetate a *Pratina* Phliasio *iustae fabulae speciem* accepisse videntur — Satyrica igitur dramata tragoediis hactenus similia fuerunt, quod, quum Dii et Heroës inducerentur actores, a cyclo mythico sua mutuarentur argumenta: eo tamen diversa, quod cothurni gravitas et magniloquentia fabularum maxime iocularium delectu, tum oratione passim lusoria salibusque atque dicteriis crebro interpuncta, ad hilaritatem risumque captandum componeretur, et *Chori* partes nonnisi *Satyris* atque *Sileno*, perpetuis Dionysi comitibus, committerentur. Quo ipso *scenae locus* requirebatur *Satyrorum choreis aptus*: nemora, montes, antra, convalles, littora, secessus agrestes. Dramatis genus hoc peculiare quin a tragicis poëtis, quotquot inter principes retulimus, excultum ac frequentatum fuerit, nisi fabularum complurium indices et fragmenta, sub Aeschyli, Sophoclis, Euripidis, aliorum, nominibus servata, iam abunde testarentur, ipsa *tetralogiarum* ratio, (§ 77.) dubitare nos haud sineret. Solius tamen *Euripidis* fertur una

eaque integra fabula satyrica superstes, *Cyclops* inscripta, argumenti ex Odyssea (IX) notissimi, cuius, quae de toto genere breviter disputavimus, luculento firmantur exemplo. Ceterum Satyrice vetus Attica tamdiu floruit, quamdiu tragicorum poëtarum ἀγῶνες viguere. Immutatam subinde et corruptam post Alexandri M. tempora, ad pristinum nitorem revocasse dicitur *Sositheus*, poëta Alexandrinus e Tragicorum Pleiade circa Ol. CLXIV. vel potius, ex Pearsonii emendatione, CXXIV. clarus (v. Epigr. Dioscoridis XXIX. Anthol. Gr. T. I. p. 501. cum animadverss. *Iacobsii* T. I. part. II. pag. 399 et *Naekii* in Schedis criticis p. 5 sq.), cuius drama satyricum, *Lityerses* inscriptum, et pauca fragmenta inde descripta ex Athenaeo (X. p. 415.) aliisque Grammaticis cognovimus, illustrata ab *Eichstadio* in libello *de Dramate Graecorum Comico-Satyrico, imprimis de Sosithei Lityersa* Lipsiae 1793. 8. et ab *Hermanno* in Commentariis Soc. Philolog. Lipsiae T. I. p. 254 sqq. Adde *Heerenium* in *Ineditis* Bibl. Litterat. et Art. ant. T. VII. p. 9 sqq.

Is. Casauboni De Satyrica Graecorum poësi et Romanorum Satira libri duo, Parisiis 1605. 8. recus. cum doctis annotatt. *I. I. Rambachii*, Halae 1774. 8 mai. — *Dan. Heinsii* de Satira Horatiana libri II. subiuncti editioni Horatii, ap. Elzevir 1629. 12. — *Ezech. Spanhemii Sur les Césars de Iulien, et en général sur les Ouvrages satyriques des Anciens*, versioni gallicae Caesarum Iuliani praefixa dissertatio, Amstelod. 1728. 4. — *I. G. Buhlii* Pr. de fabula Satyrica Graecorum, Gottingae 1787. 4. — *Eichstadius* et *Hermannus* locis laudd. — *Hoepfnerus de Euripidis Cyclope* in praefat. edit. suae et in libro germ. inscripto *Neues Magazin für Schullehrer* T. I. part. I. T. II. part. II. T. III. part. II. — *Mohnikius* l. c. p. 433—446.

§. 86.

Ut *Doriensibus* in *Sicilia* iustae comoediae, quamquam ab Atticae ratione et indole diversae, inventionem, propter *Epicharmum*, deberi vidimus: ita iisdem aliud quoddam, idque affine dramaticae poëseos genus, *Mimos* inquam, acceptum referimus, qui, licet *nec metro illigati*, neque, *ut in scena agerentur*, scripti esse videantur, Comoediae tamen vim in hominum moribus notandis, atque in narratione cum re-

rum actu quodam coniungenda, sub forma dialogi, tantum non adaequarent: quorum hac ipsa aetate clarissimus auctor exstitit *Sophron* Syracusius, Euripidi aequalis. Eius *Mimi, dorica dialecto καταλογάδην* i. e. *prosa* quidem oratione compositi (v. Aristot. de A. P. I. 7. et ap. Athenaeum XI. p. 505 C. Suidas et Eudocia p. 389.), sed tamen *numerosa*, ad metrorum similitudinem proxime accedente (v. Schol. ad Gregor. Naz. in Montfauconii Bibl. Coisl. p. 120. *), quum eventum seu actionem quamdam, e vita communi et domestica petitam, sermonibus, ad personarum indolem, sexum, aetatem, fortunam, conditionem moresque apprime accommodatis, adumbrarent: a *Platone* philosopho, qui eos, antea neglectos, primus Athenas invexisse dicitur (Diog. Laërt. III. 18.), emtos a Dione Syracusano (Tzetzes in Chil. X. 1001 sqq.), assidue lectitati dignique habiti sunt, ad quorum exemplum in dialogis suis philosophicis, disserentium cuiusque mores scite exprimendo, sese componeret: unde vel iis saepe indormivisse, et, dum moreretur, capiti eos habuisse suppositos fertur, testibus Diogene Laërtio (loco laud.), Olympiodoro in vita Platonis, et Quintiliano Instit. Orat. I. 10. *Seria* alii continuisse dicuntur, vocati hinc σπουδαῖοι; alii argumento et oratione magis *lusoria* ac *iocosa* risum movisse, dicti γελοῖοι: in aliis *viri*, in aliis *feminae* colloquentes inducebantur; unde his μίμων γυναικείων, illis ἀνδρείων nomen inditum legimus. Sub utroque nomine frequenter citantur ab Athenaeo et Polluce. In eosdem, idiotismis, vocibus rarioribus, obsoletis, vitaeque communi propriis refertissimos, eruditi olim commentarii, in plures libros divisi, *Apollodoro* Atheniensi auctore, exstabant. v. Fragm. Apollod. p. 438 sqq. Non supersunt vero nisi tituli aliquot mimorum Sophronis et voces

---

*) *Οὗτος (Σώφρων) μόνος ποιητῶν ῥυθμοῖς τισὶ καὶ κώλοις ἐχρήσατο, ποιητικῆς ἀναλογίας καταφρονήσας.* Ad quem locum *Hermanni* verba laudat *Mohnikius* p. 489.: „Scilicet prosa oratione utebatur Sophron, sed numerorum membris ad metrorum similitudinem accedentibus, ut e Germanis *Gesnerus*, nobilissimus Idylliorum scriptor. Ac frustra foret, qui Sophronis fragmenta in metrorum leges vellet cogere."

nonnullae ex iis laudatae a Lexicographis et Grammaticis, atque explicitae; tum imitatio egregia, *Adoniazusae*, inter *Theocritea* XV., quae ad notionem qualemcunque de toto hoc Mimorum Graecorum genere animo informandam plurimum valet. — Sophronis vestigiis institisse videtur eius filius *Xenarchus* itidem Mimographus, ab Aristotele (de poëtica I. 7.), Photio, Suida, aliisque laudatus, quem a Comico cognomine poëta distinguendum esse censet *Hermannus* ad Aristot. l. c. p. 94.

Valckenarius ad Theocriti Adoniaz. p. 194–209. — *G. Hermannus* in Commentariis ad Aristotel. de Poët. p. 92–95. — Poësin *Mimicam* a *Doricae* stirpis populis imprimis excultam, iisque propriam fuisse, recte monet *Boettigerus* in prolus. *Quatuor aetates rei scenicae* p. 8. — Longe diversi tamen fuere Sophronis Mimi quum ab aliis eodem nomine passim insignitis, sed scurrilis maxime argumenti et formae, lusibus mimicis, pluribus Graeciae locis, praesertim *Spartae*, a γελωτοποιοῖς agitatis, quorum nomina (*Μαγῳδαί*, *Λυσιῳδοί*, *Δεικήλισται*, *Αὐτοκαβδάλοι*) servavit Athenaeus l. XIV., tum a *Mimis Romanorum scenicis*, de quibus v. *Ziegleri* dissertatio Gottingae 1788. 8. coll. Mohnikio l. l. p. 485.

§. 87.

Poëtae dramatici ut e philosophiae tunc florentis disciplinis ad artis suae incrementa aliquantum praesidii traxerunt: ita, haud minus quam historici, ab *eloquentiae* et *artis oratoriae* studiis quum maxime vigentibus multa petierunt adiumenta. *Eloquentia* autem, a sola ingenii vi ac sollertia animique concitati impetu quodam profecta, licet dudum inter Graecos viguerit: „tamen ante *Periclem*." (verba *Ciceronis* sunt in Bruto c. 7.), „cuius scripta quaedam feruntur, et „*Thucydidem*, qui non nascentibus Athenis sed iam „adultis fuerunt, littera nulla est, quae quidem or„natum aliquem habeat, et oratoris esse videatur." *Pericles* autem, eloquentiae laude clarissimus, et *Cleon*, huiusque aetati suppares, *Alcibiades*, *Critias*, *Theramenes*, quodnam potissimum dicendi genus secuti sint, eodem *Cicerone* iudice, „ex Thucydidis „scriptis, qui ipse tum fuit, intelligi maxime potest. „Grandes erant verbis, crebri sententiis, compressio„ne rerum breves et ob eam ipsam causam interdum

„subobscuri."*) Interea circa *artem dicendi* sive *Rhetoricen primus aliqua movisse* h. e. inchoasse, molitus esse dicitur *Empedocles Agrigentinus* (§§. 48. 59.) v. Quintil. III. 1. 8. ex Aristotele ap. Diog. Laert. VIII. 57. et Sext. Empir. p. 370. ed. Fabric. cf. Spaldingius ad Quintil. l. l. „Artium (dicendi, Τεχνῶν) autem *docto-„res* et *scriptores* antiquissimi (fuere) *Corax* et *Ti-„sias* Siculi: quos insecutus est vir eiusdem insulae „*Gorgias Leontinus*, Empedoclis, ut traditur, disci-„pulus. Is beneficio longissimae aetatis (nam centum „et novem vixit annos) cum multis simul floruit... „et ultra Socratem usque duravit. *Thrasymachus Chal-„cedonius* cum hoc, et *Prodicus* Cius (Ceus), et Ab-„derites *Protagoras*... et *Hippias* Eleus, et... *Al-„cidamas* Elaeites (Elaea, urbe Aeoliae ad litus ma-„ris Aegaei, oriundus."**) Hi enim artis *Sophisticae* (§. 61.) auctores pariter atque *Rhetorices* magistri, *uno tempore* fuerunt, Athenisque, flagrante bello Peloponnesiaco, de re qualibet proposita, maxime vero de philosophicis et politicis rebus in utramque partem dicendi artem et exercuerunt et *magna conducti mercede****) iunioribus tradiderunt, professi nimirum docere se „arrogantibus sane verbis, quemadmodum „*causa inferior* (ita enim loquebantur) *dicendo fieri* „*superior posset.*" (τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖν)****) *Coracem* vero et *Tisiam*, Syracusanos rhetores et artificiosae eloquentiae auctores, dicendi artem et praecepta primos conscripsisse, ante Quintilianum, tradiderunt *Aristoteles* in Sophist. Elench. p. 638. Buhl. et apud *Ciceronem* Brut. c. 12. coll. De Orat. I. 20. III. 21. *Tisiae* autem, quem una cum Gorgia Athenas legatum venisse refert Pausanias VI. 17. p. 252. extr. ed.

---

*) Cf. *Idem* de Orat. II. 23. „Antiquissimi (Oratores Graeci) sunt, „quorum quidem scripta constent, Pericles atque Alcibiades, et „eadem aetate Thucydides; subtiles, acuti, breves, sententiis „magis quam verbis abundantes.

**) Quintilian. loco laud. et II. 17. 7.

***) De *Protagora* hoc affirmant Quintil. III. 1. 10. Gell. V. 10. Diog. Laert. IX. 52. De *Gorgia* Diodor. Sic. XII. 53. T. V. p. 109. Bip. et Suidas s. v. cf. *Boeckhii* Staatshaush. der Athener T. I. p. 133 sq.

****) Cic. Brut. l. c. cf. Aristot. Rhetor. II. 24. extr. Gell. V. 3 extr. Plato Phaedr. p. 267. A. et p. 273. Isocrat. Panegyr. c. I. p. 6. ed. Mor.

Lips. coll. Diodor. Sic. XII. 53. etiam *Plato* meminit Phaedr. p. 267 A. et p. 273 A. Steph. ubi vide *Heindorfium* p. 316 et 336. Et *Gorgiam* cum *Thrasymacho* et *Theodoro* alio eiusdem dialogi loco p. 261 C. coniungit, primum Nestori, duo reliquos Ulyssi comparans. „Qui quum de industria, non ex insidiis, sed aperte et palam elaborarent, ut verba verbis quasi demensa et paria responderent, ut crebro conferrentur pugnantia, compararenturque contraria, et ut pariter extrema terminarentur, eumdemque referrent in cadendo sonum" *): dicti sunt *Λογοδαίδαλοι*, quo nomine prae ceteris Byzantium insignivit *Theodorum* Socrates, apud eumdem Platonem in Phaedro §. 112. p. 315. Heind. p. 266 E. Steph. monente Cicerone in Oratore c. 12. et Quintiliano III. 1. 11 fin. cf. Aristot. Rhetor. III. 13. In eodem numero habendi *Euenus Parius*, nobis ante (p. 48) commemoratus, qui poëticen et rhetoricen, utramque vero Sophistarum more tractabat, quem toties leniter perstrinxit Plato, ut in Phaed. p. 60 sq. in Phaedro p. 267. Steph. ad q. l. vide Heindorf. p. 316. et Astium p. 366. coll. Fabricio Harles. Vol. I. p. 728. tum *Polus*, eiusque magister *Licymnius*, prior Agrigentinus et Gorgiae assecla, qui praecepta sua de elocutionis elegantiis quibusdam et festivitatibus in singulari opere, quod *Μουσεῖα λόγων* inscripsisse videtur, exposuit; alter, *Licymnius*, teste Aristotele (de Rhet. III. 13. extr.) artis rhetoricae scriptor; uterque festive commemoratus *Platoni* in Phaedro p. 267 Steph. ubi vid. Schol. et notas Heindorfii p. 318. Astique p. 368. — Horum omnium, quotquot enumeravimus, paucissimae nunc supersunt reliquiae. In quibus reponantur *Hercules* ille *Prodicius* i. e. allegoria Herculis, colloquentis cum Virtute et Voluptate, quam ex *Prodici Cei* libro, *Ὧραι* inscripto, sumtam *Xenophon* Memorabilibus Socratis suis inseruit II. 1. 21. ad

---

*) Cum *Ciceronis* verbis his conferas Graeca *Diodori Siculi* l. l. T. V. p. 109. Bip. *Πρῶτος γὰρ* (*Γοργίας* ὁ ῥήτωρ) ἐχρήσατο τῆς λέξεως σχηματισμοῖς περιττοτέροις καὶ τῇ φιλοτεχνίᾳ διαφέρουσιν ἀντιθέτοις καὶ ἰσοκώλοις καὶ παρίσοις καὶ ὁμοιοτελεύτοις καὶ τισιν ἑτέροις τοιούτοις κ. τ. λ.

q. l. vide Interpretes et *Sturzii* Lex. Xenoph. T. III. p. 669 A. — tum *Alcidamantis* Elaeitae, Gorgiae discipuli, rhetoris in primis nobilis, qui, Cicerone teste (Tusc. I. 48.), scripsit etiam *laudationem mortis* ex enumeratione humanorum malorum, duae declamationes: *Ulyssis contra Palamedem*, et *Contra Sophistas*, ab Aldo Manutio, H. Stephano, et Reiskio (Vol. VIII. OO. Gr.) editae. cf Fabricius Harles. Vol. II. p. 776 sq. — denique ipsius *Gorgiae* item duae *declamationes* (*μελέται*) *Encomium Helenae* et *Palamedis defensio* inscriptae, sophisticis argutiis refertissimae, huiusque generis orationum, si genuinae sint, antiquissimae, de quarum tamen fide disceptatur. Editae exstant in *Oratorum Graecorum operibus*, ab *Aldo Manutio*, *H. Stephano* et *Reiskio* vulgatis.

Philostratus de Vitis Sophistarum. — *Cicero* in Bruto c. 7 sqq. De Orat. III. 32. et alibi passim. — *Taylorus* in Lectt. Lysiacis p. 122. ed. Reisk. — *Dav. Ruhnkenii* Historia critica Orator. Graecor., praemissa editioni suae *Rutilii Lupi* de Figuris Sententiarum, Lugd. Bat. 1768. 8. et a Reiskio Vol. VIII. OO. Gr. inserta. — *Chr. Meinersii* Geschichte d. Wiss. in Gr. u. R. T. II. p. 169 sqq. — *C. F. Stäudlinii* Geschichte u. Geist des Skepticismus T. I. p. 216 sqq. — *Garnierii* Memoire sur l'art oratoire de Corax, in Mémoires de l'Institut de Fr. Hist. et Littérat. T. II. p. 44–80. — *Hardion* Sur l'Origine et les progrés de la Rhétorique, in Mém. de Littér. T. XXIII–XXVI. — *Belin de Ballu* Histoire critique de l'Eloquence chez les Grecs. Paris 1813. II Voll. 8.

§. 88.

E Sophistarum aeque ac philosophorum disciplina multi prodierunt *Oratores* qui, *quantam vim haberet accurata et facta quodammodo oratio*, bene gnari, aut rempublicam capessentes, tum coram populo in concione Atheniensium verba facerent, tum in causis publicis privatisque coram iudicibus reos persequerentur vel defenderent, concionesque publice habitas, privatoque posthac studio elaboratas ac perpolitas, in vulgus ederent; aut ipsi a foro et concione temporibus seu voluntate sua remoti, vel aliis in eorum usum, vel eloquentiae solum ostentandae causa orationes scriberent. Quarum ingens interiit numerus, eloquentia Attica ad ultima usque reipublicae tempora florente, immo maximas sumente vires, quum immineret iam Ma-

cedonum dominatio; servatas autem Grammaticorum rursus Alexandrinorum imprimis studio debemus, quippe qui oratorum Atticorum, quos maxime probarent, delectu facto, in *principum hunc canonem decem*, quos una fere aetas tulit Athenis, receperunt sequentes: *Antiphontem*, *Andocidem*, *Lysiam*, *Isocratem*, *Isaeum*, *Lycurgum*, *Demosthenem*, *Aeschinem*, *Hyperidem* et *Dinarchum*, quorum, non omnium tamen, orationes superstites cum aliis aliorum quae supersunt iunctim edidere, primus *Aldus Manutius* Venetiis 1513. fol. deinde *H. Stephanus* 1575. fol. denique, quae praecipua nunc habetur editio, *Io. Iac. Reiskius* in *Oratorum Graecorum quae supersunt Monumentis* cum aliorum suisque animadversionibus. Lipsiae 1770 sqq. XII Voll. 8. Novam Oratorum Atticorum recensionem, bis iam nunciatam, *Immanueli Bekkero*, viro graece doctissimo, olim debebimus.

Ad historiam litterariam oratorum Graecorum cognoscendam evolvendi sunt: *Dionysii Halic.* tractatus *de oratoribus Graecis.* — *Vitae X. Oratorum Plutarcho* falso adscriptae. — *Ciceronis Brutus* c. 7 sqq. — *Ruhnkenii* hist. crit. OO. Gr. supra laud. (inserta Vol. VIII*vo* OO. Gr. ab Reiskio) — *Hardion* in Mémoires de l'Acad. des Inscr. T. XIII-XXXVI. — *Blair* Lectures on Rhetorik and Belles-Letters. Vol. III. — *Belin de Ballu* in libro paulo ante laudato.

§. 89.

Inter hos primus aetate *Antiphon*, Sophili filius, ab Atticae pago, in quo lucem vidit circa Olymp. LXXV. $\frac{1}{2}$, *Rhamnusius* dictus, copiarum terrestrium et maritimarum in bello Peloponn. dux, immutataeque Atheniensium civitatis formae auctor (Thucyd. VIII. 68.), qui proditionis accusatus a civibus suis et damnatus, bonis publicatis, in exilio periit Ol. XCII. $\frac{1}{2}$, *Quintiliano* teste (III. 1. 11.) „*orationem primus om*„*nium scripsit*, et nihilo minus *Artem* (rhetoricam) *et* „*ipse composuit*, et *pro se dixisse* optime est cre„ditus." Rhetorices magistrum, quamquam minus honorifice, eum memorat etiam Socrates apud Platonem in Menexeno p. 236. A Thucydide vero discipulo, propter summam ingenii et eloquentiae vim egregie laudatur, capitisque causam, quum se ipse defende-

ret, omnium optime (sed frustra) oravisse dicitur loco laud. cf. Cic. Brut c. 12. Contra *Alcibiadem*, cuius, tum exulis, reditum sub CCCC. dominatione prohibere conatus est, orationem habuit, fortasse plures, aliis scriptas, si recte coniecit *Boeckhius* (Staatshaush. d. Athener. T. I. p. 444 sq.) de binis quas laudant Grammatici, altera *de tributo Lindiorum* in Rhodo insula, altera de *tributo Samothraces*, siquidem sociorum tributa Alcibiadem auxisse constat. Primus enim Antiphon conscriptas a se orationes *iudiciales* sive forenses (λόγους δικανικούς) vendidit litigatoribus, narrante Ammiano Marcell. XXX. 4. — E *sexaginta* orationibus, quae olim sub eius nomine circumferebantur, (XXV spurias censuit *Caecilius* rhetor), nunc supersunt *sedecim*, maximam partem λόγοι φονικοὶ i. e. *de caede*, accusationis vel defensionis loco habitae in *causis fictis*, quas, contra *Ionsii* criminationes, Aristophonti vindicat *Ruhnkenius* in Dissertat. *de Antiphonte oratore Attico*, Lugd. Bat. 1765. 4. (inserta ab Reiskio Vol. VIImo OO. GG.) Editae sunt tum in Collectionibus Oratorum supra laudatis, tum una cum *Andocidis* et *Isaei* Oratt. Hanoviae 1619. 8. *Reiskius* eas cum Isaei orationibus in Voll. VII. OO. GG. recepit, et latinam versionem adiecit in Vol. VIII. — cf. *Taylor* in Lectionibus Lysiacis cap. VII. p. 268 sqq. ed. Reiske. — *I. G. Hauptmanni* Prolusio de Antiphonte, Gerae 1753. — *G. L. Spalding* ad Quintilianum III. 1. 11.

Andocidis, paulo iunioris Antiphonte, (natus esse creditur Ol. LXXVIII. 1.), Atheniensis, qui nobili genere ortus, rem publicam pace belloque gessit, et, instaurata a Thrasybulo populari regiminis forma, cum aliis civibus in patriam redux factus est, *quatuor* hodieque feruntur *orationes*, ad rerum Atticarum et antiquitatis cognitionem lectu utilissimas: *de mysteriis* Eleusiniis contra Lysiam oratorem; *de reditu suo*, utraque apologetica; *de pace cum Lacedaemoniis* ineunda Ol. XCI 1.; cuius fidem veteres impugnant, dissentiente *Boeckhio*, in Staatsh. d. Athener. T. I. p. 190 not.; *quarta* denique *contra Alcibiadem*: ab *Reiskio* editae in Vol. IV. OO. GG. una cum *I. G. Hauptmanni* Prolusionibus de Andocide eiusque Orationibus in Vol. VIII. Easdem orationes nuper emen-

davit et docte illustravit *Ianus Otto Sluiterus* in *Lectionibus Andocideis*, Lugd. Bat. 1804. 8. praemissa (Cap. I—V.) copiosa et erudita explicatione de gente, maioribus, de vita factisque Andocidis, oratoris in decem illis Atticis haud praecipui, sed fere postremi, cuius Cicero nullam fecit mentionem; alii leviter, et fere cum contemtu. V. Quintil. XII. 10. 21. Hermogenes de Form. p. 501. Herod. Att. ap. Philostr. Vit. Sophist. II. 1. 14. quorum dicta apponuntur a Sluitero Cap. I. p. 4. Dionysius Hal. usitatae dictionis puritatem ei tribuit. Cf. Ruhnkenii Hist. crit. OO. GG. p. XLVII-LVII. et *Wyttenbachius* in libri Sluiteriani Censura Bibl. Crit. P. XI. p. 75 sqq.

Vtroque clarior *Lysias*, „*quem*, Cicerone iudice, *iam prope audeas oratorem perfectum dicere*," a patre Syracusano susceptus Athenis Ol. LXXX. 2. octogenarius ibidem obiisse dicitur Ol. C. 2. a. Ch. 379. Admodum iuvenis Atheniensibus, coloniam *Thurium* in Italiam inferiorem deducturis, cui etiam *Herodotum* interfuisse vidimus (§. 54.), se adiunxit, in novaque urbe duos et triginta annos commoratus, quum Atheniensium copiae in Sicilia ingenti clade essent afflictae, Athenas repetiit Ol. XCII. 1. Patriam denuo relictam sub XXX tyrannorum dominatione, cum Thrasybulo revisit, ibique reliquam vitae partem privatus exegit. Artem dicendi professus, *aliis* scripsit orationes, *subtilitatis* et *elegantiae* laude maxime conspicuas (Cic. Brut. c. 9. 12. 16.), quarum *triginta quatuor*, e ducentis triginta amplius quae olim genuinae ferebantur, sed ne hae quidem satis integrae, supersunt, quum *ad populum* directae, e genere demonstrativo, tum *ad Iudices* in causis publicis atque privatis. Prioris generis est *Λόγος Ἐπιτάφιος* (XXXI.) sive *Oratio funebris* in Atheniensium memoriam, qui Corinthiis in bello contra Lacaedemonios, *Iphicrate* duce, missi auxilio Ol. XCVI. 3. in proelio occubuerant, *germanice* conversa a *Fr. Schlegelio* in *Museo Attico* T. I. Part. 2. De qua oratione *Wolfii* ad Leptin. p. 363. verba apponere iuvat: „Restant etiam nunc, inquit, tales conciones ex antiquitate quatuor, Periclis Thucydidei (II. 35.), Platonis in Menexono, Lysiaeque et Demosthenis. At huius postremi quae hodie prostat

oratio, ea iam olim obelis Criticorum confossa est, ut praeter alios docet Taylor Lectt. Lys. c. 3. *Lysiacam* adhuc tolerarunt patientius. Neque haec tamen ipsa eo stilo scripta, qui senem Lysiam decebat, sed ex Isocratis Panegyrico, aliisque Orationibus veterum ac veri Lysiae locis... a quodam Sophista composita esse videtur." cf. Hemsterhus. et Valckenarii Orationes etc. p. 218. Separatim vulgatae sunt Lysiae orationes editione splendida et magno eruditionis apparatu instructa ab *Io. Tayloro*, cum interpretatione latina, *Ier. Marklandi Coniecturis*, et *Lectionibus Lysiacis Tayloro* auctore, in quibus plurima antiquitatis et iurisprudentiae Atticae capita docte et copiose explicantur, Londini 1739. 4. — Deinde ab *Athanas. Augerio* cum vers. lat. et notis, Parisiis 1783. II Voll. 4. — et ad Cod. Vindob. fidem graece a *F. C. Altero*, Vindobonae 1785. 8. — Taylori editionem et totum apparatum suis animadversionibus auctum et emendatum, graeco tamen contextu in multis locis reficto, novaque versione latina subiecta, recudi fecit *I. I. Reiskius* in OO. GG. Vol. V. et VI. Lipsiae 1772. 8. — Versionem orationum Lysiae *gallicam* idem *A. Auger* edidit Parisiis 1783. 8. *anglicam I. Gillies*, Londini 1778. 4.

§. 90.

Lysiam excipit *Isocrates* Atheniensis, qui natus Ol. LXXXVI. 1. prope centenarius vita sponte decessit Ol. CX. 3. a. Ch. 338. nuntio cladis apud Chaeroneam accepto. Praeceptoribus usus Gorgia Leontino, Prodico Ceo et Tisia Syracusano, docendo scribendoque magis valuit quam orando. „Cuius domus cunctae „Graeciae quasi ludus quidam patuit atque officina di„cendi; magnus orator et perfectus magister, *quam„quam forensi luce caruit*, *intraque parietes* aluit „eam gloriam, quam nemo, meo quidem iudicio, est „postea consecutus." *) Hinc *palaestrae quam pugnae magis accommodatus* dicitur Quintiliano X. 1. 79.; idem „*nitidus et comtus*, qui omnes dicendi Veneres

*) Cic. Brut. c. 8. De Orat. II. 23.

„sectatus est, nec immerito; *auditoriis* enim se, non „*iudiciis* comparacat." Neque *discipulorum numero* *) tantum, sed etiam *nobilitate* floruit, summorum et imperatorum, in his maxime *Timothei* Cononis filii **), et oratorum et historicorum, ut Isaei, Lycurgi, Hyperidis, Demosthenis, Ephori, Theopompi, Philisti aliorumque praeceptor. Quae attulimus veterum scriptorum loca, ea cum aliis multis quae omisimus satis probant, Isocratem, lateribus quippe parum valentem, et timiditate quadam, naturae vitio, impeditum, raro vel nunquam forum et subsellia tetigisse, sed aetatem in iuvenum institutione et scribendis orationibus, maxime politicis, consumsisse omnem. Quo factum est, ut, quamquam ingenii copiis abunde instructus et inveniendi facultate pollens, in componenda tamen atque perpolienda oratione, verborum ac sententiarum continuationis et numerorum imprimis studiosus, tantam curam et diligentiam adhiberet, ut propter scribendi tarditatem nimiamque quasi sollicitudinem a nonnullis reprehenderetur. v. Cic. in Orat. c. 52. et 61. Quintil. l. c. cf. Fabricius T. II. p. 779. Supersunt Isocratis Orationes *una* et *viginti*, neque plures *Photius* se legisse testatur Cod. 159. Quarum *tres* dicuntur *admonitoriae*, *ad Demonicum*, clarum Atheniensem; *ad Nicoclem*, Salaminis in Cypro insula tyrannum, *de regis officio*; et *Nicocles* sive oratio sub eiusdem Cyprii regis nomine scripta *de civium erga imperantes officiis*, pro qua viginti talenta a rege accepisse dicitur; *quinque suasoriae*, in his, praeter *Areopagiticum*, nobilissima, quae *Panegyricus* inscribitur, cui elaborandae decem certe annos insumsisse dicitur Quintiliano X. 4. 4. (*Germanice* vertit et illustravit Panegyricum *Wielandus* in Mus. Att. T. I. part. 1.); *quatuor laudatoriae* e genere demonstrativo vel *epidicti-*

---

*) Quos peculiari opere in plures libros descripto persecutus erat *Hermippus*, teste Athenaeo X. p. 451 e. *Ἕρμιππος ἐν τοῖς περὶ τῶν Ἰσοκράτους μαθητῶν*, coll. VIII. p. 342. c.

**) V. Orationis *de permutatione* pars nuper detecta; Cic. De Or. III. 34. Pseudo-Plutarch. in Vitis X. Orator. T. II. p. 838. qui Timotheum Isocrati magistro aeneam statuam cum titulo posuisse Eleusine narrat.

co, in quibus eminet *Panathenaicus*, in Atheniensium laudem, quum quartum et nonagesimum annum agebat orator, summo compositus studio. v. Cic. de Senect. c. 5. coll. Orat. c. 12.; *reliquae forenses* sive iudiciales, praeter orationem *contra Sophistas*. In his quum maxime celebris lectuque iucundissima oratio *περὶ ἀντιδόσεως* sive *de facultatum permutatione* (cf. Wolfius ad Dem. Lept. p. CXXIII.), ad Isocratis vitam et studia cognoscenda perutilis, quam duo et octoginta annos natus senex venerabilis (circa Olymp: CVI. 3.) contra Lysimachum accusatorem, suscepta vitae ac dignitatis suae defensione, scripsisse se orationis initio ipse profitetur; quamque dimidia plus parte sua dudum truncatam, nuper e duobus libris Mss. bibliothecae Ambrosianae et Laurentianae restauravit, atque integram edidit Graecus doctissimus *Andreas Mustoxydes* Mediolani 1812. 8. — Vt Lysiae subtilitatem, ita suavitatem Isocrati, tamquam praecipuam orationis eius virtutem, tribuit Cicero de Or. III. 8. et sane dignum est quod legatur Socratis, seu potius Platonis, de Isocrate iudicium in extrema pagina *Phaedri*, quod latinum fecit Cicero in *Oratore* c. 13.

Codicum Mss. Isocratis censum egit Harlesius ad Fabric. T. II. p. 792 sqq.; *Editionum* Augerius in praefat. suae edit. — Omnium orationum *princeps* editio est *Mediolanensis*, curante *Demetrio Chalcondyla* 1493. fol. Successit *Aldina* Venetiis 1513 et 1534. quae insequentium fundus habetur. Tum *Wolfianae* plures ab *Hieron. Wolfio*, qui bis latine vertit Isocratem, in his optima quae prodiit Genevae 1604. 8. recusa ibidem 1651. 8. — *H. Stephani* cum Wolfii interpretatione latina, Parisiis 1593. fol. — *Guil. Battiei* cum nova vers. lat. et notis, Londini 1749. II. Voll. 8. — *Athan. Augerii* gr et lat. cum var. Lect. et notis, Paris 1782. III. Voll. 4. et 8. Eiusdem *Augerii* versio gallica Isocratis Oratt. prodiit Parisiis 1781. III. Voll. 8. — Sed omnium maxime commendantur, quas ad codd. mss. fidem accurate expressas vulgarunt *Guil. Langius* Halae 1803. 8. et graece doctissimus *Coray* in Ἑλληνικῆς Βιβλιοθήκης Tomo I. et II. cum annotationibus graecis. Parisiis 1807. 8. — Nuperrime graecus omnium Oratt. et Epistolarum contextus prodiit Lipsiae ap.

Tauchnitz. 1820. II. Voll. 12. acc. pleniore oratione de permutatione. — Editionum, quae *selectas* orationes separatim typis excusas complectuntur, ingens numerus est; v. Fabric. Vol. II. p. 780 sqq. ex quibus commemoramus praestantissimam *Panegyrici* illam, quam *Morus* curavit Lipsiae 1766. et secundis curis 1786. 8., quaeque tertium prodiit ibidem 1804. 8. Posthac *F. A. G. Spohnius* eiusdem *Panegyrici* contextum recognovit, et cum animadverss. *Mori* suisque edidit Lipsiae 1817. oct. mai. — Orationem autem *de Antidosi* sive *facultatum permutatione*, e libris mss. *tam insigniter auctam*, e cod. Ambros. primus *graece*, ut paullo ante diximus, edidit *Andreas Mustoxydes*, hoc indice: *Ἰσοκράτους λόγος περὶ της ἀντιδόσεως, ἤδη πρῶτον εἰς τὴν ἀρχαιαν γραφὴν διασκευασθεὶς καὶ ὀγδοήκοντα περί που σελίδας ἐπαυξηθεὶς σπουδῇ Ἀ. Μουστοξύδου Ἱστοριογράφου τῶν Ἰωνίων Νήσων.* Mediolani 1812. 8. Anno post ibidem prodiit: *Isocratis Oratio de permutatione*, cuius pars ingens primum graece edita ab *A. M.*, nunc primum *latine* exhibetur ab Anonymo Interprete (*Angelo Maio*) qui et Notas et Appendices adiunxit, Mediol. 1813. 8. Quam integrae orationis latinam versionem secuta est nova et correctior graeci contextus editio, cum var. lect. et notis aliisque additamentis, hoc indice: *Ἰσοκρ. λόγ. π. τ. Ἀντιδ. vervollständigt herausg. von Andr. Mustoxydes, verbessert, mit Anmerkungen und philologischen Briefen begleitet* von *Ioh. Kasp. von Orelli Nebst zwei Anhängen.* Turici 1814. 8.

Praeter orationes, aliquot *Epistolae* ad Dionysium Syracusanum, Philippum, Antipatrum, Alexandrum aliosque scriptae, modo VIII, modo X, sub Isocratis nomine feruntur, haud omnes genuinae, neque iisdem in variis codd. inscriptae, sed cum orationibus eiusdem passim vulgatae, etiam in *Epistolarum Graecarum corpore. Decem* cum aliis epp. edidit *C. F. Matthaei*, Mosquae 1776. 8. cf. Harles ad Fabric. l. c. p. 791. et doctus Anonymus in Append. I et II. ad vers. lat. orationis de Antidosi, Mediol. 1813. p. 127-134.

Dionysius Halic. in vita Isocratis. — *G. B. Schirachii* Disputationes duae de vita et genere scribendi Isocratis, Halae 1765. 4. — *Vatry* in Mem. de l'Acad. des Inscr. T. XIII. p. 162.

eo, in quibus eminet *Panathenaicus*, in Atheniensium laudem, quum quartum et nonagesimum annum agebat orator, summo compositus studio. v. Cic. de Senect. c. 5. coll. Orat. c. 12.; *reliquae forenses* sive iudiciales, praeter orationem *contra Sophistas*. In his quum maxime celebris lectuque iucundissima oratio περὶ ἀντιδόσεως sive *de facultatum permutatione* (cf. Wolfius ad Dem. Lept. p. CXXIII.), ad Isocratis vitam et studia cognoscenda perutilis, quam duo et octoginta annos natus senex venerabilis (circa Olymp: CVI. 3.) contra Lysimachum accusatorem, suscepta vitae ac dignitatis suae defensione, scripsisse se orationis initio ipse profitetur; quamque dimidia plus parte sua dudum truncatam, nuper e duobus libris Mss. bibliothecae Ambrosianae et Laurentianae restauravit, atque integram edidit Graecus doctissimus *Andreas Mustoxydes* Mediolani 1812. 8. — Vt Lysiae subtilitatem, ita suavitatem Isocrati, tamquam praecipuam orationis eius virtutem, tribuit Cicero de Or. III. 8. et sane dignum est quod legatur Socratis, seu potius Platonis, de Isocrate iudicium in extrema pagina *Phaedri*, quod latinum fecit Cicero in *Oratore* c. 13.

Codicum Mss. Isocratis censum egit Harlesius ad Fabric. T. II. p. 792 sqq.; *Editionum* Augerius in praefat. suae edit. — Omnium orationum *princeps* editio est *Mediolanensis*, curante *Demetrio Chalcondyla* 1493. fol. Successit *Aldina* Venetiis 1513 et 1534. quae insequentium fundus habetur. Tum *Wolfianae* plures ab *Hieron. Wolfio*, qui bis latine vertit Isocratem, in his optima quae prodiit Genevae 1604. 8. recusa ibidem 1651. 8. — *H. Stephani* cum Wolfii interpretatione latina, Parisiis 1593. fol. — *Guil. Battiei* cum nova vers. lat. et notis, Londini 1749. II. Voll. 8. — *Athan. Augerii* gr et lat. cum var. Lect. et notis, Paris 1782. III. Voll. 4. et 8. Eiusdem *Augerii* versio gallica Isocratis Oratt. prodiit Parisiis 1781. III. Voll. 8. — Sed omnium maxime commendantur, quas ad codd. mss. fidem accurate expressas vulgarunt *Guil. Langius* Halae 1803. 8. et graece doctissimus *Coray* in Ἑλληνικῆς Βιβλιοθήκης Tomo I. et II. cum annotationibus graecis. Parisiis 1807. 8. — Nuperrime graecus omnium Oratt. et Epistolarum contextus prodiit Lipsiae ap.

Tauchnitz. 1820. II. Voll. 12. acc. pleniore oratione de permutatione. — Editionum, quae *selectas* orationes separatim typis excusas complectuntur, ingens numerus est; v. Fabric. Vol. II. p. 780 sqq. ex quibus commemoramus praestantissimam *Panegyrici* illam, quam *Morus* curavit Lipsiae 1766. et secundis curis 1786. 8., quaeque tertium prodiit ibidem 1804. 8. Posthac *F. A. G. Spohnius* eiusdem *Panegyrici* contextum recognovit, et cum animadverss. *Mori* suisque edidit Lipsiae 1817. oct. mai. — Orationem autem *de Antidosi* sive *facultatum permutatione*, e libris mss. *tam insigniter auctam*, e cod. Ambros. primus *graece*, ut paulo ante diximus, edidit *Andreas Mustoxydes*, hoc indice: *Ἰσοκράτους λόγος περὶ τῆς ἀντιδόσεως, ἤδη πρῶτον εἰς τὴν ἀρχαίαν γραφὴν διασκευασθεὶς καὶ ὀγδοήκοντα περί που σελίδας ἐπαυξηθεὶς σπουδῇ Ἀ. Μουστοξύδου Ἱστοριογράφου τῶν Ἰωνίων Νήσων.* Mediolani 1812. 8. Anno post ibidem prodiit: *Isocratis Oratio de permutatione*, cuius pars ingens primum graece edita ab *A. M.*, nunc primum *latine* exhibetur ab Anonymo Interprete (*Angelo Maio*) qui et Notas et Appendices adiunxit, Mediol. 1813. 8. Quam integrae orationis latinam versionem secuta est nova et correctior graeci contextus editio, cum var. lect. et notis aliisque additamentis, hoc indice: *Ἰσοκρ. λόγ. π. τ. Ἀντιδ. vervollständigt herausg. von Andr. Mustoxydes, verbessert, mit Anmerkungen und philologischen Briefen begleitet* von *Ioh. Kasp. von Orelli Nebst zwei Anhängen.* Turici 1814. 8.

Praeter orationes, aliquot *Epistolae* ad Dionysium Syracusanum, Philippum, Antipatrum, Alexandrum aliosque scriptae, modo VIII, modo X, sub Isocratis nomine feruntur, haud omnes genuinae, neque iisdem in variis codd. inscriptae, sed cum orationibus eiusdem passim vulgatae, etiam in *Epistolarum Graecarum corpore*. *Decem* cum aliis epp. edidit *C. F. Matthaei*, Mosquae 1776. 8. cf. Harles ad Fabric. l. c. p. 791. et doctus Anonymus in Append. I et II. ad vers. lat. orationis de Antidosi, Mediol. 1813. p. 127–134.

Dionysius Halic. in vita Isocratis. — *G. B. Schirachii* Disputationes duae de vita et genere scribendi Isocratis, Halae 1765. 4. — *Vatry* in Mém. de l'Acad. des Inscr. T. XIII. p. 162.

§. 91.

Isaeum, Lysiae et Isocratis discipulum, magistrum vero Demosthenis fuisse tradunt: unde tempus quo floruit utcunque definitur. *Saxius* (Onomast. T. I. p. 65.) eum Ol. XCV. 3. vixisse suspicatur: eumdem primis Philippi regnantis in Macedonia annis, ideoque Ol. CV. a. Ch. 360-357., non modo superstitem fuisse, sed etiam causis scribendis operam dedisse, colligit *Wolfius* in Prolegg. ad Demosth. or. adversus Lept. p. 109. A civitate regenda et publicis abstinens negotiis, ad artis suae praecepta tradenda, orationesque in aliorum usum scribendas totum se transtulit, Lysiam magistrum suum imprimis aemulatus, quem non solum simplicitate et elegantia sermonis assecutus est, sed orationis nervis etiam superavit. Ex *quinquaginta* Isaei orationibus olim genuinis, quae etiam a *Photio* lectae erant, undecim aetatem tulere, omnes in causis *iuris Attici privati circa hereditatem*, περὶ κλήρου, versantes; unde λόγοι κληρικοὶ passim appellantur. Harum prima, quae est *de Cleonymi hereditate*, in omnibus editionibus mutila legebatur, et magna sui parte truncata, quam, *tredecim* paginas implentem, ex cod. Mediolanensi *Angelus Maius* primus graece vulgavit, latine vertit et annotationibus instruxit Mediolani 1815. 8. Decem editae sunt in corpore oratorum, optime ab *Reiskio*, cum vers. lat., annotationibus, indice graecitatis, et tabb. geogr. et histor. in Vol. VII. OO. GG. una cum *Antiphonte*. *Vndecima*, *de Meneclis hereditate* haud dudum accessit, e codice Mediceo-Florentino a *Thoma Tyrwhitto* *) primum graece edita Londini 1785. 8. — recusa, sed contextu emendatiore, a *Tychsenio* in Bibl. Litt. et Art. ant. T. III. p. 1. *Ineditorum*. Gottingae 1788. 8. et nuper a *Conrado Orellio*, cum eiusdem et *Henrici Bremii* annotatt. german. Turici 1814. 8. appendicis I. loco, post Isocratis or. de antidosi, ab *Io. Casp. Orellio* eodem anno vulgatam. In eodem Codice Florentino etiam orationem *de Cleonymi hereditate*, quam e cod. Mediol. duplo auctio-

*) Teste *Wyttenbachio* in Bibl. Crit. T. III. p. II. p. 135.

rem a Cel. *Maio* editam esse paulo ante diximus, integram legi, idem doctissimus editor testatur. — Plena omnium orationum Isaei, quales nunc *Tyrwhitti* et *Angeli Maii* studiis auctae leguntur, editio prodiit nuperrime ap. Tauchnitz. Lipsiae 1820. 12. — *Anglice* vertit Isaei orationes, cumque commentario, quo ius atticum hereditarium praecipue illustratur, edidit *W. Iones* Oxoniae 1779. 4.

Lycurgus, Athenis e nobili genere ortus, circiter Ol. XCIII., philosophiae et eloquentiae studiis, Platonis et Isocratis tradens se disciplinae, innutritus, gravissima in rep. Atheniensium munera integerrima gessit fide, cuius insigne documentum habetur, quod, quum aerario per duodecim vel quindecim annos praefuisset, reditus civitatis ad MCC talentûm auxisse narratur, quum prius fuissent LX. V. Pseudo-Plutarch. in Vitis X. Orator. T. II. p. 842 E. cf. *Wolfius* in Prolegg. ad Demosth. adv. Lept. p. LX. Cum Demosthene, familiari suo, et Hyperide Philippo Macedoni, Atheniensium libertati insidianti, fortiter obstitit, et civium improborum delicta, ignavia aut pervicacia admissa, implacabili odio ac severitate insectatus est orator; quo meruisse putandus est, ut non vivus tantum summa inter populares fama et auctoritate frueretur, sed, postquam Ol. CXIII. circiter admodum senex vita defunctus esset, mortuo statuae in Ceramico aeneae aliique summi honores haud multo post plebiscito decernerentur. Vehemens orator fuit, animi affectus intimos verissime prodens, et elocutionis gravitate insignis. *) *Quindecim* eius orationes Photii etiam aetate legebantur. *Una* tantum servata est, *contra Leocratem* Atheniensem, qui post cladem ad Chaeroneam, spretis quae id vetarent legibus, urbem reliquerat;

*) Indicii huius veritas firmatur vel praeclaro orationis Lycurgi in *Lysiclem*, quo Atheniensium duce pugnatum est ad Chaeroneam, fragmento, quod servavit Diodorus Sic. XVI. 88. „Belli, inquit, „praefectus fuisti, o Lysicles, quumque civium millia occubue„rint, bis mille capti fuerint, tropaeum de urbe hac constitu„tum sit, universae Graeciae iugum servitutis iniectum, et haec „tanta mala te duce et praetore acciderint: vivere tamen audes, „Solisque hoc iubar intueri, in forumque prodire, scilicet dede„coris atque opprobrii nunquam interiturum monumentum patriae."

edita in Corpore Orator. (ab *Reiskio* cum annotationibus *Taylori*, suisque, in Vol. IVto. OO. GG.) — una cum *Demosthenis Or. in Midiam* ab *Io. Tayloro*, qui in praefat. vitam oratoris erudite enarravit, Cantabrig. 1743. 8. — Separatim a *Phil. Melanchthone*, qui eam latine vertit, Witebergae 1545. 8. — ab *I. G. Hauptmanno*, Lipsiae 1753. 8. — optime vero a *Schulzio* cum notis germanice scriptis, et prolegomenis de vita scriptisque Lycurgi, deque orationis argumento, Brunsvici 1789. 8.

§ 92.

Eloquentiae Atticae palma in omni dicendi genere cunctis suffragiis defertur ad *Demosthenem*, in cuius summi ac plane perfecti oratoris laudes nemo frequentius exspatiatus est quam is, qui incredibili ingenii magnitudine et artis qua excelluit absolutione solus meruit, ut cum Demosthene compararetur. „Nihil, inquit, acute inveniri potuit in eis causis quas „scripsit, nihil, ut ita dicam, subdole, nihil versute, „quod *ille* non viderit; nihil subtiliter dici, nihil presse, nihil enucleate, quo fieri possit aliquid limatius; „nihil contra grande, nihil incitatum, nihil ornatum „vel verborum gravitate vel sententiarum, quo quidquam esset elatius *)." Et alio loco admirationis sensum singulari tantoque viro digna intendens modestia, ad M. Brutum suum se convertit his verbis: „Vides „profecto, Demosthenem multa perficere, nos multa „conari; illum posse, nos velle, quocunque modo causa postulet, dicere. Sed ille magnus: nam et successit ipse magnis, et maximos Oratores habuit aequales." **)

Vixit Demosthenes ab Ol. XCVIII. 4. ***) usque ad Ol. CXIV. 3. a. Ch. 385-322. quo anno, Antipatri vindictae se subducturus, in *Calauria* insula prope Argolidem Peloponnesi, veneno sumto, decessit maior

*) Cic. Brut. c. 9.

**) Cic. Orator. c. 30.

***) In album civium relatus est Ol. CIII. 3. annum aetatis agens XIX. cf. Wolfius in Prolegg. ad Dem. Lept. p. CIII. not.

sexagenario. Atheniensis fuit e pago Paeanio, operamque dedit Platoni, Isocrati et Isaeo. Quorum sublevatus doctrina, et *Callistrati* Aphidnaei, eloquentia tum praecellentissimi, magna apud populum auctoritate excitatus, ad remp. gerendam ancipiti maxime tempore accessit, in causisque dicendis superiores oratores pariter atque aequales *vi*, *sublimitate*, *impetu*, *cultu*, *compositione*, *superavit* omnes. *Paene lex orandi* fuisse dicitur eidem Quintiliano X. 1. 76. „tantaque in eo vis, tam densa omnia, ita quibusdam „nervis intenta sunt, tam nihil otiosum, is dicendi „modus, ut nec quod desit in eo, nec quod redun„det, invenias." Sub Demosthenis nomine adhuc exstant orationes *una* et *sexaginta*, tum *prooemia* ad orationes LXV. et *sex epistolae*. Non tamen omnes ab ipso habitas esse orationes, neque magis omnes genuinas, aut ab omni suppositionis suspicione liberas videri constat. *Spuriae* autem, vel *suspectae fidei* habentur *prima* et *secunda* contra Aristogitonem *),

---

*) *Secundae* nullam fidem esse uno ore tradunt Critici tam veteres quam recentiores. Vide *Boeckhium* in Staatsh. d. Ath. T. I. p. 37. Sed de *prima* etiam dubitant Dionysius Hal. et Harpocration v. Θεωρίς: *Beckerus* (Demosthenes als Staatsmann u. Redner T. I.) pro spuria habet, *secundae* patrocinio suscepto. Idem *Epitaphii* fidem, spretis Dionysii, Libanii, Photii et Taylori auctoritatibus, defendit. Ad reliquas, supra commemoratas, cf. Boeckhium l. l. T. I. p. 70. 196. 235. 246. T. II. p. 244. et in Indice v. Demosthenes. — *Quartam* Philippicam suspectam habet *Valckenarius* in not. ad orat. suam de Philippo Maced. p 251. probante Wolfio in Prolegg. ad Lept. p. LX. Boeckhio l. l. T. I. p. 195 et 235. et Beckero. Orationem περὶ συντάξεως non Demosthenis esse, sed ex aliis eius, maxime Olynth. III. et Aristocratea, ab aliquo declamatore consutis pannis confectam, Wolfius iudicat l. l. p. LXXIV. Idem sentiunt Iacobsius, Beckerus, et Boeckhius l. l. T. I. p. 70. — Orationem *Ad Epistolam Philippi* Larcherus Demostheni abiudicavit in Commentatt. Instituti Gallo-Francor. Litterar. antiq. T. II. p. 243–269. exordio orationis, si *Iacobsium* audias, excepto. Idem *Larcherus* or. de *Haloneso*, quae hodie exstat, Demosthenis esse negat, Libanii, Suidae, Etym. M. aliorumque auctoritatem secutus. Quorum rationes vel testimonia refutare conatus est *B. G. Weiskius* in progr. sic inscripto. Orationem de Haloneso Demostheni, cui vulgo abiudicatur, vindicat adiectis sub finem obss. maximam partem criticis *B. G. W.* Lübben. 1808. 4. improbante Censore Halensi (EBL. 1814. n. 108.) et Beckero l. l. cui assentitur Censor Ienensis.

oratio περὶ τῆς συντάξεως s. de pecuniaria contributione; *quarta Philippica*; *contra Timotheum*; c. *Nicostratum*; *Phaenippum*; *Neaeram*; *Theocrinem*, quam Dionysius Hal. in Dinarcho T. V. p. 652. Reisk. tribuit *Dinarcho*, addens, a Callimacho Demosthenicis annumerari: c. *Onetorem*; c. *Euergum* et *Mnesibulum*; *de Haloneso*, frustra obnitente *Weiskio*; or. *Ad Epistolam Philippi*; *Epitaphius*; *de foedere cum Alexandro*, a Libanio *Hyperidi* tributa, a nonnullis Criticis *Hegesippo*, teste Ulpiano p. 64 A., a Dionysio item Demostheni abiudicata in libello περὶ Δημοσθ. δεινότ. T. VI. p. 1127. Reisk. — *Encomium Epicratis*, Dionysii, Libanii, Photii suffragiis reiecta; denique Προοίμια δημηγορικά, et *tertia Epistolarum*. In *genuinis* eminent *octo Philippicae* e genere deliberativo, maxime *tertia*, et or. *de Chersoneso*; *quatuor forenses in causis publicis*: contra Aeschinem Oratorem *de corona* (περὶ τοῦ στεφάνου) sive *pro Ctesiphonte*, et *de falsa legatione* (περὶ τῆς παραπρεσβείας); *adversus Leptinem*, et in *Midiam*, scripta tantum, non habita; denique, *in causis privatis*, *tres* in *Aphobum* tutorem suum.

De Codd. Mss. Demosthenis, quorum ingens numerus est, v. *Taylorus* in Prolegom. ad Dem. et *Harlesius* ad Fabric. T. II. p. 831 sqq. — De *editionibus*, quas recenset *Reiskius* in praefat. ad Vol. I. OO. GG. et in Vol. IX. s. Appendice critica ad Dem., notamus principem *Aldinam* Venetiis 1504 fol. — *Hieron. Wolfii*, qui Demosthenem semel graecum, bis graeco-latinum, Basileae 1549 et 1572. fol. et ter latinum edidit. — Cum Aeschine ab *Io. Tayloro* cum doctis observatt. (sed non absoluta est editio) Cantabr. 1748 et 1757. II Voll. 4. — cura *I. I. Reiskii* inter Oratores Graecos, Vol. I et II. quae textum graecum cum scholiis gr. continent, et Vol. IX-XII. inscriptis: *Apparatus Critici ad Demosthenem*, qui notas H. Wolfii, Taylori, Marklandi et Reiskii integras, Indicesque in Dem. Opera plenissimos exhibent. — Denique *Athan. Augeri* inceptam editionem una cum Aeschinis orationibus. Parisiis 1790. 4. — Quibus nuper accessit contextus graeci accurata et nitida editio Tauchnitziana, Lipsiae 1812. V tomis 12.

Selectas Dem. Oratt. ad codd. mss. recensuit, cum Scholiisque graecis et vers. lat. notisque vulgavit *Richardus Mounteney*, Londini (septimum) 1785. 8. — *Philippicas* oratt. ad Codices tum ab Reiskio et Augerio, tum a se collatos recognovit *Imm. Bekkerus*, apposita lectione Reiskiana. Berolini 1816. oct. mai. Continentur editione hac *octo* solum illae genuinae Demosthenis contra Philippum orationes, secundum temporum ordinem dispositae, omissis, quae vulgo Philippicis annumerantur, orationibus *de Haloneso*, *Philippica IV.* et *Ad Epistolam Philippi.* Orationem *adversus Leptinem* cum Scholiis veteribus, commentario perpetuo et prolegomenis doctrinae et elegantiae laude cumulatissimis edidit *Fr. Aug. Wolfius* Halae 1789. 8. — Or. *in Midiam* cum notis critis et exegeticis *G. L. Spaldingius*, Berolini 1794. 8. — Or. *pro Pace* cum notis, Scholiis et *A. Dunaei* praelectionibus *C. D. Beckius*, Lipsiae 1799. 8. — Or. *pro Corona* cum variorum notis *Th. Ch. Harlesius*, Altenburgi 1769. 8. quam denuo recognovit, et cum Taylori, Hier. Wolfii, Marklandi, al. suisque animadverss. edidit Lipsiae 1814. 8. mai. Eamdem cum Aeschinis or. in Ctesiph. recensuit *Wunderlichius* Gotting. 1810. 8. recus. 1820 ibidem, et *Imm. Beckerus*, adiectis Scholiis partim ineditis, Halae 1815. 8 mai. — *Philippicam I.*, *Olynthiacas tres*, et or. *de Pace* selectis aliorum suisque notis instruxit *Car. Aug. Rüdigerus*, Lipsiae 1818. 8.

Gallice vertit. Dem. et Aeschinis orationes *A. Augerius*, Parisiis 1777 (nuperrima editio prodiit ibid. 1804. VI. Voll. 8.) et *Claud. Gin*, ibid. 1791. 8. — *Anglice*, *Leland* et *Francis*. — *Italice*, *Cesarotti*. — *Germanice* nonnullas oratt. *A. G. Beckerus*, *F. Iacobsius* (Demosthens Staatsreden übersetzt, und mit Anmerkungen v. F. I. Lipsiae 1805. 8.) et *Wielandus* in Mus. Attico T. IV. part. II.

Supersunt in Orationum Demosthenicarum partem *Scholia Graeca* et *Argumenta*, tum *Libanii* rhetoris, tum *incerti auctoris*. Scholia haec primum separatim vulgata ab *Aldo Manutio*, una cum *Harpocrationis Lexico in X. Oratores*, Venetiis 1503. fol., deinceps pluribus D. editionibus subiuncta, nomen mentiuntur

oratio, ea iam olim obelis Criticorum confossa est, ut praeter alios docet Taylor Lectt. Lys. c. 3. *Lysiacam* adhuc tolerarunt patientius. Neque haec tamen ipsa eo stilo scripta, qui senem Lysiam decebat, sed ex Isocratis Panegyrico, aliisque Orationibus veterum ac veri Lysiae locis... a quodam Sophista composita esse videtur." cf. Hemsterhus. et Valckenarii Orationes etc. p. 218. Separatim vulgatae sunt Lysiae orationes editione splendida et magno eruditionis apparatu instructa ab *Io. Tayloro*, cum interpretatione latina, *Ier. Marklandi Coniecturis*, et *Lectionibus Lysiacis Tayloro* auctore, in quibus plurima antiquitatis et iurisprudentiae Atticae capita docte et copiose explicantur, Londini 1739. 4. — Deinde ab *Athanas. Augerio* cum vers. lat. et notis, Parisiis 1783. II Voll. 4. — et ad Cod. Vindob. fidem graece a *F. C. Altero*, Vindobonae 1785. 8. — Taylori editionem et totum apparatum suis animadversionibus auctum et emendatum, graeco tamen contextu in multis locis reficto, novaque versione latina subiecta, recudi fecit *I. I. Reiskius* in OO. GG. Vol. V. et VI. Lipsiae 1772. 8. — Versionem orationum Lysiae *gallicam* idem *A. Auger* edidit Parisiis 1783. 8. *anglicam I. Gillies*, Londini 1778. 4.

§. 90.

Lysiam excipit *Isocrates* Atheniensis, qui natus Ol. LXXXVI. 1. prope centenarius vita sponte decessit Ol. CX. 3. a. Ch. 338. nuntio cladis apud Chaeroneam accepto. Praeceptoribus usus Gorgia Leontino, Prodico Ceo et Tisia Syracusano, docendo scribendoque magis valuit quam orando. „Cuius domus cunctae „Graeciae quasi ludus quidam patuit atque officina di„cendi; magnus orator et perfectus magister, *quam„quam forensi luce caruit*, *intraque parietes* aluit „eam gloriam, quam nemo, meo quidem iudicio, est „postea consecutus." *) Hinc *palaestrae quam pugnae magis accommodatus* dicitur Quintiliano X. 1. 79.; idem „*nitidus et comtus*, qui omnes dicendi Veneres

*) Cic. Brut. c. 8. De Orat. II. 23.

„sectatus est, nec immerito; *auditoriis* enim se, non „*iudiciis* compararat." Neque *discipulorum numero* *) tantum, sed etiam *nobilitate* floruit, summorum et imperatorum, in his maxime *Timothei* Cononis filii **), et oratorum et historicorum, ut Isaei, Lycurgi, Hyperidis, Demosthenis, Ephori, Theopompi, Philisti aliorumque praeceptor. Quae attulimus veterum scriptorum loca, ea cum aliis multis quae omisimus satis probant, Isocratem, lateribus quippe parum valentem, et timiditate quadam, naturae vitio, impeditum, raro vel nunquam forum et subsellia tetigisse, sed aetatem in iuvenum institutione et scribendis orationibus, maxime politicis, consumsisse omnem. Quo factum est, ut, quamquam ingenii copiis abunde instructus et inveniendi facultate pollens, in componenda tamen atque perpolienda oratione, verborum ac sententiarum continuationis et numerorum imprimis studiosus, tantam curam et diligentiam adhiberet, ut propter scribendi tarditatem nimiamque quasi sollicitudinem a nonnullis reprehenderetur. v. Cic. in Orat. c. 52. et 61. Quintil. l. c. cf. Fabricius T. II. p. 779. Supersunt Isocratis Orationes *una* et *viginti*, neque plures *Photius* se legisse testatur Cod. 159. Quarum *tres* dicuntur *admonitoriae*, *ad Demonicum*, clarum Atheniensem; *ad Nicoclem*, Salaminis in Cypro insula tyrannum, *de regis officio*; et *Nicocles* sive oratio sub eiusdem Cyprii regis nomine scripta *de civium erga imperantes officiis*, pro qua viginti talenta a rege accepisse dicitur; *quinque suasoriae*, in his, praeter *Areopagiticum*, nobilissima, quae *Panegyricus* inscribitur, cui elaborandae decem certe annos insumsisse dicitur Quintiliano X. 4. 4. (*Germanice* vertit et illustravit Panegyricum *Wielandus* in Mus. Att. T. I. part. 1.); *quatuor laudatoriae* e genere demonstrativo vel *epidicti-*

*) Quos peculiari opere in plures libros descripto persecutus erat *Hermippus*, teste Athenaeo X. p. 451 e. *Ἕρμιππος ἐν τοῖς περὶ τῶν Ἰσοκράτους μαθητῶν*, coll. VIII. p. 342. c

**) V. Orationis *de permutatione* pars nuper detecta; Cic. De Or. III. 34. Pseudo-Plutarch. in Vitis X. Orator. T. II. p. 838. qui Timotheum Isocrati magistro aeneam statuam cum titulo posuisse Eleusine narrat.

eo, in quibus eminet *Panathenaicus*, in Atheniensium laudem, quum quartum et nonagesimum annum agebat orator, summo compositus studio. v. Cic. de Senect. c. 5. coll. Orat. c. 12.; *reliquae forenses* sive iudiciales, praeter orationem *contra Sophistas*. In his quum maxime celebris lectuque iucundissima oratio *περὶ ἀντιδόσεως* sive *de facultatum permutatione* (cf. Wolfius ad Dem. Lept. p. CXXIII.), ad Isocratis vitam et studia cognoscenda perutilis, quam duo et octoginta annos natus senex venerabilis (circa Olymp: CVI. 3.) contra Lysimachum accusatorem, suscepta vitae ac dignitatis suae defensione, scripsisse se orationis initio ipse profitetur; quamque dimidia plus parte sua dudum truncatam, nuper e duobus libris Mss. bibliothecae Ambrosianae et Laurentianae restauravit, atque integram edidit Graecus doctissimus *Andreas Mustoxydes* Mediolani 1812. 8. — Vt Lysiae sublilitatem, ita suavitatem Isocrati, tamquam praecipuam orationis eius virtutem, tribuit Cicero de Or. III. 8. et sane dignum est quod legatur Socratis, seu potius Platonis, de Isocrate iudicium in extrema pagina *Phaedri*, quod latinum fecit Cicero in *Oratore* c. 13.

Codicum Mss. Isocratis censum egit Harlesius ad Fabric. T. II. p. 792 sqq.; *Editionum* Augerius in praefat. suae edit. — Omnium orationum *princeps* editio est *Mediolanensis*, curante *Demetrio Chalcondyla* 1493. fol. Successit *Aldina* Venetiis 1513 et 1534. quae insequentium fundus habetur. Tum *Wolfianae* plures ab *Hieron. Wolfio*, qui bis latine vertit Isocratem, in his optima quae prodiit Genevae 1604. 8. recusa ibidem 1651. 8. — *H. Stephani* cum Wolfii interpretatione latina, Parisiis 1593. fol. — *Guil. Battiei* cum nova vers. lat. et notis, Londini 1749. II. Voll. 8. — *Athan. Augerii* gr et lat. cum var. Lect. et notis, Paris 1782. III. Voll. 4. et 8. Eiusdem *Augerii* versio gallica Isocratis Oratt. prodiit Parisiis 1781. III. Voll. 8. — Sed omnium maxime commendantur, quas ad codd. mss. fidem accurate expressas vulgarunt *Guil. Langius* Halae 1803. 8. et graece doctissimus *Coray* in *Ἑλληνικῆς Βιβλιοθήκης* Tomo I. et II. cum annotationibus graecis. Parisiis 1807. 8. — Nuperrime graecus omnium Oratt. et Epistolarum contextus prodiit Lipsiae ap.

Tauchnitz. 1820. II. Voll. 12. acc. pleniore oratione de permutatione. — Editionum, quae *selectas* orationes separatim typis excusas complectuntur, ingens numerus est; v. Fabric. Vol. II. p. 780 sqq. ex quibus commemoramus praestantissimam *Panegyrici* illam, quam *Morus* curavit Lipsiae 1766. et secundis curis 1786. 8., quaeque tertium prodiit ibidem 1804. 8. Posthac *F. A. G. Spohnius* eiusdem *Panegyrici* contextum recognovit, et cum animadverss. *Mori* suisque edidit Lipsiae 1817. oct. mai. — Orationem autem *de Antidosi* sive *facultatum permutatione*, e libris mss. *tam insigniter auctam*, e cod. Ambros. primus *graece*, ut paulo ante diximus, edidit *Andreas Mustoxydes*, hoc indice: *Ἰσοκράτους λόγος περὶ τῆς ἀντιδόσεως, ἤδη πρῶτον εἰς τὴν ἀρχαίαν γραφὴν διασκευασθεὶς καὶ ὀγδοήκοντα περί που σελίδας ἐπαυξηθεὶς σπουδῇ Ἀ. Μουστοξύδου Ἱστοριογράφου τῶν Ἰωνίων Νήσων.* Mediolani 1812. 8. Anno post ibidem prodiit: *Isocratis Oratio de permutatione*, cuius pars ingens primum graece edita ab *A. M.*, nunc primum *latine* exhibetur ab Anonymo Interprete (*Angelo Maio*) qui et Notas et Appendices adiunxit, Mediol. 1813. 8. Quam integrae orationis latinam versionem secuta est nova et correctior graeci contextus editio, cum var. lect. et notis aliisque additamentis, hoc indice: *Ἰσοκρ. λόγ. π. τ. Ἀντιδ. vervollständigt herausg. von Andr. Mustoxydes, verbessert, mit Anmerkungen und philologischen Briefen begleitet* von *Ioh. Kasp. von Orelli Nebst zwei Anhängen.* Turici 1814. 8.

Praeter orationes, aliquot *Epistolae* ad Dionysium Syracusanum, Philippum, Antipatrum, Alexandrum aliosque scriptae, modo VIII, modo X, sub Isocratis nomine feruntur, haud omnes genuinae, neque iisdem in variis codd. inscriptae, sed cum orationibus eiusdem passim vulgatae, etiam in *Epistolarum Graecarum corpore. Decem* cum aliis epp. edidit *C. F. Matthaei*, Mosquae 1776. 8. cf. Harles ad Fabric. l. c. p. 791. et doctus Anonymus in Append. I et II. ad vers. lat. orationis de Antidosi, Mediol. 1813. p. 127-134.

Dionysius Halic. in vita Isocratis. — *G. B. Schirachii* Disputationes duae de vita et genere scribendi Isocratis, Halae 1765. 4. — *Vatry* in Mém. de l'Acad. des Inscr. T. XIII. p. 162.

§. 91.

Isaeum, Lysiae et Isocratis discipulum, magistrum vero Demosthenis fuisse tradunt: unde tempus quo floruit utcunque definitur. *Saxius* (Onomast. T. I. p. 65.) eum Ol. XCV. 3. vixisse suspicatur: eumdem primis Philippi regnantis in Macedonia annis, ideoque Ol. CV. a. Ch. 360-357., non modo superstitem fuisse, sed etiam causis scribendis operam dedisse, colligit *Wolfius* in Prolegg. ad Demosth. or. adversus Lept. p. 109. A civitate regenda et publicis abstinens negotiis, ad artis suae praecepta tradenda, orationesque in aliorum usum scribendas totum se transtulit, Lysiam magistrum suum imprimis aemulatus, quem non solum simplicitate et elegantia sermonis assecutus est, sed orationis nervis etiam superavit. Ex *quinquaginta* Isaei orationibus olim genuinis, quae etiam a *Photio* lectae erant, undecim aetatem tulere, omnes in causis *iuris Attici privati circa hereditatem*, *περὶ κλήρου,* versantes; unde λόγοι *κληρικοί* passim appellantur. Harum prima, quae est *de Cleonymi hereditate*, in omnibus editionibus mutila legebatur, et magna sui parte truncata, quam, *tredecim* paginas implentem, ex cod. Mediolanensi *Angelus Maius* primus graece vulgavit, latine vertit et annotationibus instruxit Mediolani 1815. 8. Decem editae sunt in corpore oratorum, optime ab *Reiskio*, cum vers. lat., annotationibus, indice graecitatis, et tabb. geogr. et histor. in Vol. VII. OO. GG. una cum *Antiphonte*. *Vndecima*, *de Menecis hereditate* haud dudum accessit, e codice Mediceo-Florentino a *Thoma Tyrwhitto* *) primum graece edita Londini 1785. 8, — recusa, sed contextu emendatiore, a *Tychsenio* in Bibl. Litt. et Art. ant. T. III. p. 1. *Ineditorum*. Gottingae 1788. 8. et nuper a *Conrado Orellio*, cum eiusdem et *Henrici Bremii* annotatt. german. Turici 1814. 8. appendicis I. loco, post Isocratis or. de antidosi, ab *Io. Casp. Orellio* eodem anno vulgatam. In eodem Codice Florentino etiam orationem *de Cleonymi hereditate*, quam e cod. Mediol. duplo auctio-

*) Teste *Wyttenbachio* in Bibl. Crit. T. III. p. II. p. 135.

rem a Cel. *Maio* editam esse paulo ante diximus, integram legi, idem doctissimus editor testatur. — Plena omnium orationum Isaei, quales nunc *Tyrwhitti* et *Angeli Maii* studiis auctae leguntur, editio prodiit nuperrime ap. Tauchnitz. Lipsiae 1820. 12. — *Anglice* vertit Isaei orationes, cumque commentario, quo ius atticum hereditarium praecipue illustratur, edidit *W. Iones* Oxoniae 1779. 4.

Lycurgus, Athenis e nobili genere ortus, circiter Ol. XCIII., philosophiae et eloquentiae studiis, Platonis et Isocratis tradens se disciplinae, innutritus, gravissima in rep. Atheniensium munera integerrima gessit fide, cuius insigne documentum habetur, quod, quum aerario per duodecim vel quindecim annos praefuisset, reditus civitatis ad MCC talentûm auxisse narratur, quum prius fuissent LX. V. Pseudo-Plutarch. in Vitis X. Orator. T. II. p. 842 E. cf. *Wolfius* in Prolegg. ad Demosth. adv. Lept. p. LX. Cum Demosthene, familiari suo, et Hyperide Philippo Macedoni, Atheniensium libertati insidianti, fortiter obstitit, et civium improborum delicta, ignavia aut pervicacia admissa, implacabili odio ac severitate insectatus est orator; quo meruisse putandus est, ut non vivus tantum summa inter populares fama et auctoritate frueretur, sed, postquam Ol. CXIII. circiter admodum senex vita defunctus esset, mortuo statuae in Ceramico aeneae aliique summi honores haud multo post plebiscito decernerentur. Vehemens orator fuit, animi affectus intimos verissime prodens, et elocutionis gravitate insignis. *) *Quindecim* eius orationes Photii etiam aetate legebantur. *Una* tantum servata est, *contra Leocratem* Atheniensem, qui post cladem ad Chaeroneam, spretis quae id vetarent legibus, urbem reliquerat;

---

*) Indicii huius veritas firmatur vel praeclaro orationis Lycurgi in *Lysiclem*, quo Atheniensium duce pugnatum est ad Chaeroneam, fragmento, quod servavit Diodorus Sic. XVI. 88. „Belli, inquit, „praefectus fuisti, o Lysicles, quumque civium millia occubue„rint, bis mille capti fuerint, tropaeum de urbe hac constitu„tum sit, universae Graeciae iugum servitutis iniectum, et haec „tanta mala te duce et praetore acciderint: vivere tamen audes, „Solisque hoc iubar intueri, in forumque prodire, scilicet dede„coris atque opprobrii nunquam interiturum monumentum patriae."

edita in Corpore Orator. (ab *Reiskio* cum annotationibus *Taylori*, suisque, in Vol. IVto. OO. GG.) — una cum *Demosthenis Or. in Midiam* ab *Io. Tayloro*, qui in praefat. vitam oratoris erudite enarravit, Cantabrig. 1743. 8. — Separatim a *Phil. Melanchthone*, qui eam latine vertit, Witebergae 1545. 8. — ab *I. G. Hauptmanno*, Lipsiae 1753. 8. — optime vero a *Schulzio* cum notis germanice scriptis, et prolegomenis de vita scriptisque Lycurgi, deque orationis argumento, Brunsvici 1789. 8.

§ 92.

Eloquentiae Atticae palma in omni dicendi genere cunctis suffragiis defertur ad *Demosthenem*, in cuius summi ac plane perfecti oratoris laudes nemo frequentius exspatiatus est quam is, qui incredibili ingenii magnitudine et artis qua excelluit absolutione solus meruit, ut cum Demosthene compararetur. „Nihil, inquit, acute inveniri potuit in eis causis quas „scripsit, nihil, ut ita dicam, subdole, nihil versute, „quod *ille* non viderit; nihil subtiliter dici, nihil presse, nihil enucleate, quo fieri possit aliquid limatius; „nihil contra grande, nihil incitatum, nihil ornatum „vel verborum gravitate vel sententiarum, quo quidquam esset elatius *)." Et alio loco admirationis sensum singulari tantoque viro digna intendens modestia, ad M. Brutum suum se convertit his verbis: „Vides „profecto, Demosthenem multa perficere, nos multa „conari; illum posse, nos velle, quocunque modo causa postulet, dicere. Sed ille magnus: nam et successit ipse magnis, et maximos Oratores habuit aequales." **)

Vixit Demosthenes ab Ol. XCVIII. 4. ***) usque ad Ol. CXIV. 3. a. Ch. 385-322. quo anno, Antipatri vindictae se subducturus, in *Calauria* insula prope Argolidem Peloponnesi, veneno sumto, decessit maior

*) Cic. Brut. c. 9.

**) Cic. Orator. c. 30.

***) In album civium relatus est Ol. CIII. 3. annum aetatis agens XIX. cf. Wolfius in Prolegg. ad Dem. Lept. p. CIII. not.

sexagenario. Atheniensis fuit e pago Paeanio, operamque dedit Platoni. Isocrati et Isaeo. Quorum sublevatus doctrina, et *Callistrati* Aphidnaei, eloquentia tum praecellentissimi, magna apud populum auctoritate excitatus, ad remp. gerendam ancipiti maxime tempore accessit, in causisque dicendis superiores oratores pariter atque aequales *vi*, *sublimitate*, *impetu*, *cultu*, *compositione*, *superavit* omnes. *Paene lex orandi* fuisse dicitur eidem Quintiliano X. 1. 76. „tantaque in eo vis, tam densa omnia, ita quibusdam „nervis intenta sunt, tam nihil otiosum, is dicendi „modus, ut nec quod desit in eo, nec quod redun„det, invenias." Sub Demosthenis nomine adhuc exstant orationes *una* et *sexaginta*, tum *prooemia* ad orationes LXV. et *sex epistolae*. Non tamen omnes ab ipso habitas esse orationes, neque magis omnes genuinas, aut ab omni suppositionis suspicione liberas videri constat. *Spuriae* autem, vel *suspectae fidei* habentur *prima* et *secunda* contra Aristogitonem *),

---

*) *Secundae* nullam fidem esse uno ore tradunt Critici tam veteres quam recentiores. Vide *Boeckhium* in Staatsh. d. Ath. T. I. p. 37. Sed de *prima* etiam dubitant Dionysius Hal. et Harpocration v. *Θεωρίς*: *Beckerus* (Demosthenes als Staatsmann u. Redner T. I.) pro spuria habet, *secundae* patrocinio suscepto. Idem *Epitaphii* fidem, spretis Dionysii, Libanii, Photii et Taylori auctoritatibus, defendit. Ad reliquas, supra commemoratas, cf. Boeckhium l. l. T. I. p. 70. 196. 235. 246. T. II. p. 244. et in Indice v. Demosthenes. — *Quartam* Philippicam suspectam habet *Valckenarius* in not. ad orat. suam de Philippo Maced. p 251. probante Wolfio in Prolegg. ad Lept. p. LX. Boeckhio l. l. T. I. p. 195 et 235. et Beckero. Orationem *περὶ συντάξεως* non Demosthenis esse, sed ex aliis eius, maxime Olynth. III. et Aristocratea, ab aliquo declamatore consutis pannis confectam, Wolfius iudicat l. l. p. LXXIV. Idem sentiunt Iacobsius, Beckerus, et Boeckhius l. l T. I. p. 70. — Orationem *Ad Epistolam Philippi* Larcherus Demostheni abiudicavit in Commentatt. Instituti Gallo-Francor. Litterar. antiq. T. II. p. 243–269. exordio orationis, si *Iacobsium* audias, excepto. Idem *Larcherus* or. de *Haloneso*, quae hodie exstat, Demosthenis esse negat, Libanii, Suidae, Etym. M. aliorumque auctoritatem secutus. Quorum rationes vel testimonia refutare conatus est *B. G. Weiskius* in progr. sic inscripto. Orationem de Haloneso Demostheni, cui vulgo abiudicatur, vindicat adiectis sub finem obss. maximam partem criticis *B. G W* Lübben. 1808. 4. improbante Censore Halensi (EBL. 1814. n. 108.) et Beckero l. l. cui assentitur Censor Ienensis.

oratio περὶ τῆς συντάξεως s. de pecuniaria contributione; *quarta Philippica*; *contra Timotheum*; c. *Nicostratum*; *Phaenippum*; *Neaeram*; *Theocrinem*, quam Dionysius Hal. in Dinarcho T. V. p. 652. Reisk. tribuit *Dinarcho*, addens, a Callimacho Demosthenicis annumerari: c. *Onetorem*; c. *Euergum* et *Mnesibulum*; *de Haloneso*, frustra obnitente *Weiskio*; or. *Ad Epistolam Philippi*; *Epitaphius*; *de foedere cum Alexandro*, a Libanio *Hyperidi* tributa, a nonnullis Criticis *Hegesippo*, teste Ulpiano p. 64 A., a Dionysio item Demostheni abiudicata in libello περὶ Δημοσθ. δεινότ. T. VI. p. 1127. Reisk. — *Encomium Epicratis*, Dionysii, Libanii, Photii suffragiis reiecta; denique Προοίμια δημηγορικά, et *tertia Epistolarum*. In *genuinis* eminent *octo Philippicae* e genere deliberativo, maxime *tertia*, et or. *de Chersoneso*; *quatuor forenses in causis publicis*: contra Aeschinem Oratorem *de corona* (περὶ τοῦ στεφάνου) sive *pro Ctesiphonte*, et *de falsa legatione* (περὶ τῆς παραπρεσβείας); *adversus Leptinem*, et in *Midiam*, scripta tantum, non habita; denique, *in causis privatis*, *tres* in *Aphobum* tutorem suum.

De Codd. Mss. Demosthenis, quorum ingens numerus est, v. *Taylorus* in Prolegom. ad Dem. et *Harlesius* ad Fabric. T. II. p. 831 sqq. — De *editionibus*, quas recenset *Reiskius* in praefat. ad Vol. I. OO. GG. et in Vol. IX. s. Appendice critica ad Dem., notamus *principem Aldinam* Venetiis 1504 fol. — *Hieron. Wolfii*, qui Demosthenem semel graecum, bis graeco-latinum, Basileae 1549 et 1572. fol. et ter latinum edidit. — Cum Aeschine ab *Io. Tayloro* cum doctis observatt. (sed non absoluta est editio) Cantabr. 1748 et 1757. II Voll. 4. — cura *I. I. Reiskii* inter Oratores Graecos, Vol. I et II. quae textum graecum cum scholiis gr. continent, et Vol. IX-XII. inscriptis: *Apparatus Critici ad Demosthenem*, qui notas H. Wolfii, Taylori, Marklandi et Reiskii integras, Indicesque in Dem. Opera plenissimos exhibent. — Denique *Athan. Augeri* inceptam editionem una cum Aeschinis orationibus. Parisiis 1790. 4. — Quibus nuper accessit contextus graeci accurata et nitida editio Tauchnitziana, Lipsiae 1812. V tomis 12.

Selectas Dem. Oratt. ad codd. mss. recensuit, cum Scholiisque graecis et vers. lat. notisque vulgavit *Richardus Mounteney*, Londini (septimum) 1785. 8. — *Philippicas* oratt. ad Codices tum ab Reiskio et Augerio, tum a se collatos recognovit *Imm. Bekkerus*, apposita lectione Reiskiana. Berolini 1816. oct. mai. Continentur editione hac *octo* solum illae genuinae Demosthenis contra Philippum orationes, secundum temporum ordinem dispositae, omissis, quae vulgo Philippicis annumerantur, orationibus *de Haloneso*, *Philippica IV.* et *Ad Epistolam Philippi*. Orationem *adversus Leptinem* cum Scholiis veteribus, commentario perpetuo et prolegomenis doctrinae et elegantiae laude cumulatissimis edidit *Fr. Aug. Wolfius* Halae 1789. 8. — Or. *in Midiam* cum notis critis et exegeticis *G. L. Spaldingius*, Berolini 1794. 8. — Or. *pro Pace* cum notis, Scholiis et *A. Dunaei* praelectionibus *C. D. Beckius*, Lipsiae 1799. 8. — Or. *pro Corona* cum variorum notis *Th. Ch. Harlesius*, Altenburgi 1769. 8. quam denuo recognovit, et cum Taylori, Hier. Wolfii, Marklandi, al. suisque animadverss. edidit Lipsiae 1814. 8. mai. Eamdem cum Aeschinis or. in Ctesiph. recensuit *Wunderlichius* Gotting. 1810. 8. recus. 1820 ibidem, et *Imm. Beckerus*, adiectis Scholiis partim ineditis, Halae 1815. 8 mai. — *Philippicam I.*, *Olynthiacas tres*, et or. *de Pace* selectis aliorum suisque notis instruxit *Car. Aug. Rüdigerus*, Lipsiae 1818. 8.

Gallice vertit. Dem. et Aeschinis orationes *A. Augerius*, Parisiis 1777 (nuperrima editio prodiit ibid. 1804. VI. Voll. 8.) et *Claud. Gin*, ibid. 1791. 8. — *Anglice*, *Leland* et *Francis*. — *Italice*, *Cesarotti*. — *Germanice* nonnullas oratt. *A. G. Beckerus*, *F. Iacobsius* (Demosthens Staatsreden übersetzt, und mit Anmerkungen v. F. I. Lipsiae 1805. 8.) et *Wielandus* in Mus. Attico T. IV. part. II.

Supersunt in Orationum Demosthenicarum partem *Sscholia Graeca* et *Argumenta*, tum *Libanii* rhetoris, tum *incerti auctoris*. Scholia haec primum separatim vulgata ab *Aldo Manutio*, una cum *Harpocrationis Lexico in X. Oratores*, Venetiis 1503. fol., deinceps pluribus D. editionibus subiuncta, nomen mentiuntur

Vlpiani, quem nonnulli Rhetorem seu Grammaticum, Constantini Imp. temporibus florentem, fuisse, sed admodum incerta ducti coniectura, posuerunt. Continent ea notarum diversae indolis, partim fortasse e vero Vlpiano ductarum, cum aliis aliorum admixtis, congeriem, a Grammatico infimi saeculi et ordinis factam. V. *Wolfium* ad Demosth. Leptineam p. 210 sq. cf. *Io. Chapmanni* Observationes in commentarios vulgo Ulpianeos, praefixae editioni selectarum Dem. oratt. auctore *Mounteneyo*.

Dionysius Halic. de vi et sublimitate Demosthenis. — *Plutarchi* Vita Dem. — Pseudo-Plut. in Vitis X. Orator. — Photii Myriobiblon Cod. 160. 243. 265. — Libanii Encomium Demosthenis. — Eiusd. Comparatio Demosthenis cum Aeschine. — *Schotti* Vitae comparatae Aristotelis ac Demosthenis Olympiadibus ac praeturis Atheniensium digestae. Aug. Vindel. 1603. — *Lelandus.* — *Auger.* — *Iacobsius.* v. supra. — Demosthenes als Staatsmann u. Redner. Historisch-Kritische Einleitung zu dessen Werken von *A. G. Becker* T. I. II. Halae 1815 sq. 8. — *Heerenius* in Ideen etc. T. III. — *C. A. Rüdigeri* Disp. de nonnullis locis Demosthenis. Friburg. 1817. 4. — *Burnet* Lord *Monboddo* on the origine and progress of Language. London 1773–91. Vol. V*tum.* — *Rochefort* in Mem. de l'Acad. des Inscr. T. 43. — *D. Ienisch* Demosthenes. Aesthetisch-Kritische Parallele der beiden grössten Redner des Alterthums, Dem. u. Cicero. Berolini 1801, 8.

§. 93.

Facundiae et gloriae suae aemulum, in reque publica gerenda adversarium acerrimum nobilissimumque Demosthenes nactus erat *Aeschinem* Atheniensem, (a Socratico cognomine bene distinguendum), Philippi Macedonis, ad quem ab Atheniensibus missus erat legatus Ol. CVIII. 3., partes foventem, qui in Ctesiphontis illa causa victus a Demosthene Olymp. CXII. 3. Rhodum secessit exul, ad Rhetoricen docendam se applicans; hinc post Alexandri mortem, in Samum insulam profectus est. ibi haud multo post, annos natus quinque et septuaginta, diem obiit supremum. Huius *tres* ferebantur et exstant orationes genuinae: 1) in *Timarchum.* 2) *De legatione* sua ad Philippum R. cuius perfide obitae a Demosthene et Timarcho accusatus fuerat. 3) *In Ctesiphontem*, cuius rogatione Demosthenem aurea donandum corona po-

pulus decreverat. Orationem hanc, cum Demosthenis illa *pro causa Ctesiphontis*, in latinum olim sermonem libere converterat *Cicero*, *gladiatorum par nobilissimum* induxisse se professus, ut esset regula, ad quam eorum qui Attice volent dicere, dirigerentur exigerenturque orationes. Vide libellum quo versioni huic deperditae Tullius praeluserat: *De optimo genere oratorum* c. 5-7.

De Oratore hoc, cui *μεγαλοφωνίαν* ipse Demosthenes, *sonitum* Cicero tribuit, quoque idem *nihil arbitratur cogitari posse divinius*, sic iudicat Quintilianus: „Plenior Aeschines, et magis fusus, et grandiori similis, quo minus strictus est: carnis tamen plus habet, lacertorum minus." X. 1. 77. coll. XII. 10. 23.

In Codicibus Aeschinis orationes saepissime iunctae sunt Demosthenicis. Idem ab editoribus passim factum, ut ab *Hier. Wolfio* et *Io. Tayloro*. Cum aliis oratoribus editae sunt ab *Aldo Manutio* Venetiis 1513 fol.— ab *H. Stephano* 1575 fol. — ab *Reiskio* in Vol. III. et IV. OO. GG. qui apparatu critico Taylori et codice Helmstadiensi usus est egregio, *Scholiaque* hactenus inedita ex cod. Oxon. adiecit. — Graece, ad optimor. libror. fidem, apud Tauchnitz. Lipsiae 1813. 12. — Or. in Ctesiph. cum Demosthenis illa pro Corona rec. *Wunderlichius* Gott. 1810. 8. et *Imm. Bekkerus* Halae 1815. 8. mai.

Epistolas XII. sub Aeschinis nomine, quas manifeste spurias esse probatum ivit *Taylorus* in praefat., separatim cum variorum notis accuratissime edidit *I. S. Sammet* Lipsiae 1771. 8.

Chr. Fr. Matthaei Prolus. acad. De Aeschine oratore. Lipsiae 1770. 4. recusa in Reiskii OO. GG. Vol. IV*to*. — *Vatry* in Hist. de l'Acad. des Inscr. T. XIV.

§. 94.

Hyperidis Attici e pago Colytto, Platonis itidem et Isocratis auditoris, quem et magnum oratorem, et virum iusti, veri, libertatis ac reipublicae, pro qua plures legationes suscepit, amantissimum fuisse tradunt, adeo ut vel Demosthenem, amicum suum, acceptae ab Harpalo, Macedonum praefecto, pecuniae accusare, in

exsiliumque compellere non dubitaret,— *ne una quidem* oratio ab interitu servata est, quum, Plutarcho Photioque testibus, *duae et quinquaginta*, uno ordine iunctae, olim legerentur genuinae, quarum adhuc indices ad unum omnes supersunt; nonnullarum etiam fragmenta, ut bene longum illud et praeclarum ex oratione, qua qui in *bello Lamiaco* perierant laudaverat, servatum a Stobaeo Serm. CXXIII. p. 618. indeque repetitum a Tayloro Lect. Lys. c. III. tum duo aeque luculenta e nobili eius oratione quae *Δηλιακὸς* inscribitur, de quibus vide erudite disputantem Ruhnkenium in Hist. Crit. OO. Gr. p. 148 sq. Reisk. Huius tamen volunt esse auctoris et haberi duae orationes quae inter Demosthenicas leguntur, altera (XVII) *de foedere Alexandri cum Atheniensibus*, quam Hyperidi tribuunt Libanius Photiusque; altera *in Aristogitonem prior*, quam Hyperidi vindicandam esse, satis fidenter quidem, sed nullis certis innixus rationibus, contendit *Reiskius* in Appar. Crit. ad Dem. Voll. III. p. 1187 sqq. Deperditarum vero nulla magis nobilitata est quam oratio pro *Phryne meretrice*, impietatis (*ἀσεβείας*) accusata v. Athenaeus XIII. p. 590. Quintil. II. 5. 9. *Dulcem in primis et acutum* Hyperidem idem appellat Instit. Orat. X. 1. 77. praeeunte Cicerone de Or. III. 8., nobili loco, quo summorum oratorum studia et naturas diversas verbo designat maxime congruo: „Svavitatem Isocrates, subtilitatem Lysias, *acumen Hyperides*, sonitum Aeschines, vim Demosthenes habuit. „Quis eorum non egregius? tamen quis cuiusquam nisi sui similis?" Ceterum Hyperides simili fato, neque diverso quam Demosthenes tempore mortisve causa, traditus Antipatro post pugnam ad Cranonem Thessaliae, interiit, Olymp. CXIV. 3.

Post utriusque obitum eloquentiae laude floruit eorum aequalis *Dinarchus*, Corintho oriundus, sed Athenis educatus et Theophrasti auditor, cognomine lusorio *hordeacei Demosthenis* (*Δημοσθένης ὁ κρίθινος*) olim notus, *decimus* oratorum principum, qui ab Antipatri partibus stetisse, et Polysperchontis, inter cuius familiares fuerat, insidiis periisse dicitur, propior septuagenario. Huius quatuor et sexaginta ferebantur orationes genuinae; non supersunt nisi *tres* accusato-

riae: *in Demosthenem*, quam tamen Dinarchi esse negavit Demetrius Magnes, teste Dionysio Halic. Opp. T. V. p. 651. Reisk. *in Aristogitonem* et *in Philoclem*, editae in corpore OO., ab *Reiskio* cum suis et H. Wolfii annotationibus in Vol. IV et VIII., cui etiam Io. Taylori notas et *Dionysii Halic. de Dinarcho iudicium*, variorum suisque notis illustratum, inseruit. cf. Fabricius Harles. Vol. II. p. 862.

§ 95.

Illustris etiam iisdem temporibus orator fuit *Demades* Atheniensis, Demosthenis adversarius, sed morum pravitate infamis, et a civibus suis legum violatarum plus semel damnatus. Idem cum Phocione de urbe Antipatro tradenda consensisse dicitur Nepoti Phoc. 2. *Praeter ceteros oratores facetum* dicit Cicero (Or. 26.), eiusque *nulla exstare scripta* tradit in Bruto c. 9. haud dissentiente Quintiliano II. 17. 13. et XII. 10. 49. Contra Tzetzes, vel potius rhetor, quem ille exscripsit Chil. VI. 36. 37. Demadis legisse se orationes testatur, quarum una *ὑπὲρ τῆς δωδεκαετίας*, qua *rerum per duodecim annos a se gestarum rationem reddidit*, Suidae etiam memorata, partim superstes legitur apud Aldum, H. Stephanum, Ianum Gruterum (Hanoviae 1619. 8.), ab Reiskio etiam vulgata in Vol. IV. OO. una cum *Hauptmanni* notis, et *dissertatione de Demade*. Cf. Ruhnkenium in Hist. crit. Orat. Gr. p. 150 sqq. Reisk Fabricius Harles. Vol. II. p. 868 sqq.

Nec silentio praetereundi sunt oratores aliquot idoneis auctoribus olim eloquentissimi habiti, ut *Aristophon* Azeniensis a Quadringentis legatus ad Lacedaemonios missus Ol. XCII. 1. *Callistratus*, Callicratis filius, cum Timotheo et Chabria dux exercitus Ol. C. 4. et Archon Ol. CVI. 2. quem, *nobilem illam super Oropo causam* perorantem, quum Demosthenes admodum adolescens, forte de via in Academiam ad forum devertens, audiret, ita motus, et captus, et delinitus esse dicitur, ut Callistratum iam inde sectari coeperit, Academiam cum Platone reliquerit, Gellio referente ex Hermippo III. 13. — *Leodamas* Isocratis discipulus, et Callistrati modo laudati adversarius.—

Eubulus Anaphlystius, maximae auctoritatis orator et demagogus, Midiae, tum Aeschinis, in iudicio de ementita legatione, adversus Demosthenem patronus, legisque perniciosae, ut, qui pecuniam theatralem in militarem convertisset, capite plecteretur, auctor. — *Hegesippus*, in republica gerenda meliorum partium studiosus, cui Critici veteres duas Demosthenis vulgo creditas tribuunt orationes, alteram de *Haloneso*, alteram *de foedere cum Alexandro.* — *Theodectes*, Platonis, Isocratis et Aristotelis discipulus, rhetor clarus et orator, cuius *Apologiam Socratis* laudat Aristoteles Rhet. II. p. 490. — *Theopompus* Chius, Isocratis discipulus celeberrimus; quem Quintilianus tradit (X. 1.), *antequam ad historiam sollicitatus esset*, *diu oratorem fuisse*, atque eo *in historia similiorem esse oratori*; multas autem demonstrativi et suasorii generis orationes scripsisse, auctor est Dionysius Halic. Ep. ad Pompei. p. 131.

§. 96.

Ad hanc usque aetatem, ut Ciceronis fert opinio (in Bruto l. c.) *succus ille et sanguis incorruptus oratorum fuit*, *nitorque naturalis et non fucatus.* Et alio loco (De Orat. II. 23.) „Posteaquam, exstinctis his, omnis eorum memoria sensim obscurata est et evanuit; alia quaedam dicendi molliora ac remissiora genera viguerunt. Inde *Demochares*, quem aiunt sororis filium fuisse Demostheni: tum *Phalereus* ille *Demetrius*, omnium istorum, mea sententia, politissimus, aliique eorum similes exstiterunt." *Democharis* huius, oratoris et historici insignis, iterum meminit Cicero in Bruto c. 83. „Is et orationes scripsit aliquot, et earum rerum historiam, quae erant Athenis ipsius aetate gestae, non tam historico, quam oratorio genere perscripsit." Eumdem ob nimiam et procacem linguam *Parrhesiastae* cognomen meruisse, tradit Seneca de Ira III. 23. Summi vero, quos in patria gessit, honores referuntur in Decreto Atheniensium ap. Pseudo-Plutarch. de Vitis X. Orator. p. 851. In totaque eius vita, Ruhnkenio auctore (Ad Rutil. Lup. p. 7.), nihil magis eminet atque exstat, quam quod ab avun-

culo Demosthene imbiberat reipublicae, ad popularem formam descriptae, studium tyrannidisque odium. — Cum Demochare, quamvis huic dissimilem, sed tamen Atticum et per idem tempus florentem oratorem *Charisium*, Menandri aequalem, coniungit Cicero in Bruto l. l. multarum orationum auctorem, quas aliis scribebat, quum cupere videretur imitari Lysiam. *Demetrius* autem *Phalereus*, qui anno post Alexandri mortem septimo urbi Athenarum a Cassandro praefectus (Ol. CXV. 3.), clarissimorum quos Athenae tulere oratorum agmen claudit, (*ex Atticis*, *qui dici possit orator*, *ultimum* fere esse censet Quintilianus X. 1. 80.) *primus inflexit orationem*, *et eam mollem teneramque reddidit*; *et suavis*, *sicut fuit*, *videri maluit quam gravis*, *sed suavitate ea*, *qua perfunderet animos*, *non qua perstringeret*: *tantum ut memoriam concinnitatis suae non*, *quemadmodum de Pericle scripsit Eupolis*, *cum delectatione aculeos etiam relinqueret in animis eorum*, *a quibus esset auditus*. Eumdem hinc in *medio dicendi genere* ceteris praefert idem Cicero in Orat. c. 27. Quintil. l. l.

Ex eo tempore Eloquentia, quum propriam sedem, Athenas, fracta populi libertate, reliquisset, „omnes peragravit *insulas*, atque ita peregrinata tota *Asia* est, ut se externis oblineret moribus, omnemque illam salubritatem Atticae dictionis, et quasi sanitatem perderet, ac loqui paene dedisceret. Hinc *Asiatici* oratores, non contemnendi quidem nec celeritate, nec copia, sed parum pressi et nimis redundantes: *Rhodii* saniores, et Atticorum similiores." Cic. Brut. 13. Quintil. XII. 10. Asianorum quidem oratorum princeps, idemque primus Atticae eloquentiae corruptor, fuit *Hegesias Magnes*, cum Hegesia, philosopho Cyrenaico, (Cic. Tusc. I. 34.) non confundendus: qui Charisium imitandum sibi proposuit, ineptus, ut verbis et sententiis, sic maxime orationis structura; idem historiae Alexandri M. scriptor, a Dionysio Halic. aliisque acerbe reprehensus.

§ 97.

Quamquam ad *disciplinas*, quas vocant, *severiores* sequenti demum aetate, sub Ptolemaeis, Graeco-

rum studia maxime conversa fuerint: earum tamen compluriuin semina et initia quum praecedenti quodammodo, tum eo temporis ambitu, in quo quum maxime versamur, iacta esse; nonnullas adeo, ut *Medicinam* et *rerum naturae historiam*, magna cepisse incrementa, in confesso est. Sed in toto hoc capite duo haec animis penitus infigi velim; primo, quum disciplinas vocamus, haud quaeri aut intelligi ubique debere *doctrinarum* quae nunc dicimus *systemata*, ab istis nimirum aliena temporibus, quibus in congerenda primum et excogitanda rerum et notionum materia praestantissima vel ingenia sategerint; deinde, in hac tanta veterum librorum omnis generis strage arrogans sane et lubricum videri iudicium, quo, quantum in variis disciplinarum generibus omnino profecerint Graeci, certo pronuntiare, in numeratoque habere tibi sumas.

Iam primum *divinarum rerum scientiam* a Graecis conditam nemo exspectabit, qui religionum Graecarum origines, naturam et indolem accuratius cognoverit. *Orphicae* autem, quae vocatur, *disciplinae*, etsi religionum ac sacrorum antiquissimorum notabilem partem ea contentam fuisse satis constet, vera tamen indoles, pluribus de causis, quas enumerare huius non est loci, nos latet, nec umquam ita percipi atque cognosci poterit, ut a posteriorum aetatum variis superstitionibus, commentis et interpolationibus tutum ac liberum te praestes. Notiones vero communes de Diis eorumque cultu, de rerum et hominum origine, de statuque animarum post mortem, in *vatum antiquissimorum carminibus* sparsas, primo *legumlatores* utiliter sanxerunt, mox, una cum illis quas ex Orphicorum doctrina petierant, *philosophi* in ea disciplina quam tum *Physicam*, generaliorem nempe, appellabant, variis modis explicuerunt et dilatarunt.— Nec vero, etsi civitates, exiguo plerumque ambitu contentae, legibus et institutis a viris callidis ac peritis, pro diversa reipublicae forma temperatae regerentur, *iuris scientia* alia fuit ulla, nisi quae observatione et experientia, ad vulgarem popularemque sensum accommodata, contineretur. Leges quidem et instituta et disciplinam civitatum describere mature coeperant Grae-

ci, primo singularum, mox, *Aristotelis* exemplo, compluriuim simul, non Graeciae tantum, sed etiam Barbariae: cuius generis opera, *Τὰ Νόμιμα* et *Πολιτεῖαι* inscripta, ab *Aristotele*, (qui CLVIII. civitates descripserat) *Theophrasto*, *Pontico Heraclide* et *Dicaearcho* condita, non sine magno antiquarum litterarum detrimento, intercidisse supra vidimus, (§. 68—70.). Iidem philosophi, certe Aristoteles et Theophrastus, et *Menesthenes* quidam, et *Zeno Citticus*, Stoicorum princeps, (cf. Athenaeus XI. p. 494. XIII. p. 561.) aliique, post Platonem, *Politicam* sive doctrinam de optima civitatis constitutione et administratione, tractarunt, quam cum religionum morumque doctrina et iuris ac legum civilium prudentia arctissimo vinculo connexam fuisse apud veteres, et scripta quae supersunt, et legum antiquarum fragmenta atque prooemia satis superque docent.

Eduardi Plattneri Or. de indole Iuris Antiqui, maxime Graeci.

Physica autem *generalior* cui, praeter physiologica, inerant quae nunc in Ontologia, Cosmologia, Psychologia rationali et Theologia philosophica, sive, ut uno verbo comprehendam, in *Metaphysicis* seorsum tractantur capita; nam discrimen illud, quod nos inter physicas quaestiones et metaphysicas ponimus, antiquis Graecis erat ignotum), prouti saepe diximus, philosophiae contemplativae pars praecipua, et, ad Socratis usque tempora, fere unica fuit, donec accesserunt *Dialectica* et *Ethica* sive de moribus et officiis disciplina. Ad eam tradendam primus *Pythagoras*, quique deinceps in schola Italica floruere, *Geometriae*, *Numerorum* scientiae atque *Musices* usi sunt auxilio. Non in universa tamen rerum corporumque et naturae contemplatione substiterunt philosophi: siquidem mature res caelestes, Solis et Lunae, orbisque terrarum formam, motus, naturam, etiam phaenomenorum, quae *meteora* dicuntur, origines et caussas scrutari aggressi sunt. *Animantium* vero *corporis structuram* primi rimati esse dicuntur *Alcmaeon* Pythagoreus, *Empedocles* et *Democritus*. At nemo plenius, maiorique usus ingenii sollertia, sagacitate et doctrina, Physicam veterum explicuit, quam *Aristo-*

teles *) in *Auscultationum Physicarum* libris VIII; quatuor *de Caelo*; duobus *de Generatione et Corruptione*; in *Meteorologicorum* libris IV., in librorumque parte, qui vulgo *Metaphysica* inscribuntur: idem philosophus qui *Historiam de Animalibus*, observationis multiplicis et studii pertinacissimi aeternum monumentum, primus condidit, cui libros IV *de Partibus Animalium earumque Causis*, *de Incessu Animalium*, *de Anima*, et reliquos minoris ambitus commentarios, qui *Parvorum Naturalium* inepta denominatione vulgo comprehenduntur; denique *de Generatione Animalium* libros quinque subiecit. Vt vero de *Zoologia* et *Physiologia comparata* praeclare meruit Stagirites (nam libri eius *de Plantis* genuini interciderunt); ita *Botanicen* et *Mineralogiam* doctissimis scriptis illustravit *Theophrastus* Aristotelicus, cuius plura tamen opera, Physicam et animalium ac metallorum historiam enarrantia, temporis iniuria absumta esse constat. Vtriusque itidem, et Tarentini *Archytae*, *Democriti*, *Xenophontis*, aliorum, quos laudat *Columella* I. 1. 7., scripta de *Agricultura* et *Oeconomia* ferebantur, quod argumentum primus carmine tentaverat Hesiodus (§. 24.).

Curtii Sprengelii Historia rei herbariae. Amsterdami 1807 sq. II Voll. 8. — *Eiusdem* Versuch einer pragmatischen Geschichte der Arzneikunde T. I. p. 497–548. edit. novae. Halae 1800. 8.

§. 98.

Artis vero *medendi* incunabula etsi a *mythicis* inde temporibus et *heroum aetate* manifeste repetenda sint, vulgique superstitiones apud Graecos pariter atque barbaras gentes effecerint, ut *vates* et *sacerdotes* effatis et incantationibus aegrotorum, in Deorum templis incubantium, morbos primi sanasse viderentur: accuratior tamen medendi scientia, corporis humani naturae

*) „In indaganda enim rerum natura sagacissimus, in explicanda subtilissimus, non solum omnia fere, quae ante eum de rebus naturalibus disputata erant, collegit, excussit, recensuit, verum suo etiam studio universam naturam amplexus, tot nova attulit, ut in hac antiquae eruditionis parte ad fastigium evasisse videatur." Bouterwekii Comm. de primis philosophor. Graecor. decretis p. 2.

causarumque, ex quibus morbi gignuntur, cognitione innixa, a *philosophorum scholis*, imprimis ab *Italica* Pythagoreorum et *Eleatica recentiore*, processit. Vide *Celsum* in praefat. p. 2. Vtrisque, et sacerdotum praestigiis, et philosophorum ratiocinationibus, Medicinam, post medicos *Periodeutas* *), eripuit *Asclepiadarum* gens sive familia sacerdotalis, quae ab Aesculapio et Hercule originem suam repetens, in Aesculapii templis per Peloponnesum, maxime vero in *Co* insula et apud *Cnidios* sanandi artem, tamquam scientiam *arcanam* et *ordini suo propriam*, nec nisi *initiatis* divulgandam, multa per saecula exercuerat; donec ea, litterarum et philosophiae luce, circa bellorum Persicorum et haud multo post Peloponnesiaci tempora, in dies magis magisque per Graeciam, Italiam insulasque Asiaticas dispersa, sponte nubem, qua consulto adoperuerant se maiores sui, excussit, artisque suae praecepta non solum cuilibet discendi cupido voce scriptisque tradidit, verum etiam *novam* artis salutaris tradendae *viam* et *rationem*, *a sola naturae observatione et experientia* profectam, invenit, egregie excoluit, et ad omnem posteritatem stabilivit. Cuius inventi gravissimi laus imprimis debetur *Hippocratum familiae*, ex Asclepiadarum gente hac oriundae, in qua *septem* sub Hippocratis nomine medici, arte et scriptis clarissimi, ducentorum et quod excurrit annorum intervallo, exstitere, quorum longe celeberrimus iure habetur

Hippocrates, huius nominis *secundus*, gente *Cous*, primi Hippocratis nepos et Heraclidae medici filius, qui Ol. LXXX. 1. A. Ch. 460. natus, sub belli Peloponnesiaci initium maxime floruit, et secundum nonnullos circa Ol. CII. 1. A. Ch. 372. prope nonagenarius obiisse, secundum alios ad Philippi Macedonis regni initium (Ol. CV. 1.) vitam produxisse dicitur. Is, praeter alios parente Heraclide usus praeceptore, et naturae contemplationi philosophicae deditus **), relicta patria,

*) Ita dictos, quod per plura loca ambulando artem exercerent. V. *Kurt Sprengel* Geschichte der Arzneikunde T. I. p. 348 sqq.
**) V. Plato in Phaedro p. 270 c.

Macedoniam atque Thraciam petiisse, et Abderae, Oeni, Cardiae, inque Thaso insula plures annos commoratus, Asiae dein minoris parte septentrionali peragrata, Scythiam et regiones Ponto et Maeotidi paludi vicinas invisisse; tum in patriam reversus, docendo scribendoque artem quam ipse exercuit magnis auxisse incrementis; mox Athenas etiam frequentasse, et extrema vitae tempora in Thessalia, maxime Larissae, ubi vita defunctus esse creditur, transegisse perhibetur. Abderae fortasse Democrito innotuit, in eiusque familiaritatem sese insinuavit. Haec fere sunt, quae de Hippocratis vita, alioqui parum cognita, et hoc magis fabulosa, ex ipsis medici huius scriptis colligi et certiori fide teneri possint. Fabulis certe annumerandum videtur, quod Democritum ab insania sanasse, et Aesculapii fanum combussisse dicitur, exscriptis morborum historiis, quae in tabulis votivis exaratae, in templo Coo asservabantur.

A medicis *dogmaticis* et *empiricis*, qui utrique eum sectis suis asserere certatim studuerunt, aeque distinguendus Hippocrates, Pathologiam, praecipue Semioticam, Therapiam ac Chirurgiam insigniter perfecit. *Diaeteticae* autem primus idemque princeps auctor haberi debet, omninoque in cognoscendis, indicandis curandisque morbis diligentissimus atque sagacissimus naturae explorator fuit, eamque solam ubivis ducem ac magistram est secutus. Quo magis dolendum, *scripta* Hippocratis, *Ionica dialecto* composita, licet LXXII numerentur et supersint, *neque omnia genuina*, et *haec ipsa* quum statim a summi viri liberis, *Dracone* et *Thessalo*, generoque *Polybo*, tum multo serius a *Dioscoride* et *Artemidoro Capitone*, qui Hadriani temporibus libros Hippocratis collegerunt atque ediderunt, variis modis *mutata*, *corrupta* et *interpolata* esse. *Spurios* autem libros, ab aliis auctoribus ante vel post Hippocratis nostri aetatem, vel eiusdem cum Hippocrate nominis, vel Hippocraticae disciplinae addictis, vel auctoritatis captandae causa sub Hippocratis nomine latentibus, profectos; quorum magnum proventum, Galeno teste, Ptolemaeorum et Attalorum regum in coëmendis medici Coi operibus acerrimum fudit studium et aemulatio; — spurios hos, inquam, commen-

tarios a genuinis discernere ac separare tentarunt *Erotianus*, Neronis temporibus, et *Galenus*, medicorum post Hippocratem celeberrimus, Saec. II. post Chr. florens, qui *criticae artis* et interpretationis egregia specimina in ipsis Hippocr. operibus edidit et reliquit. Quum secundum hos, tum veterum scriptorum consensu, pro genuinis scriptis H. habentur: 1) Ἐπιδημιῶν i. e. *morborum popularium* liber I et III. 2) *Prognosticon*, princeps e Semioticis liber. 3) *Aphorismorum* sectiones VII. (octava spuriis annumeranda) concisa brevitate de morborum natura, signis, exitu, periculo, praecipientium, quae in aliis libris copiosius scripta erant ab Hippocrate. 4) περὶ διαίτης ὀξέων i. e. de ratione victus in morbis acutis. 5) περὶ ἀέρων, ὑδάτων, τόπων, *de aëre, aquis, regionibus*. 6) *De capitis vulneribus*.— Contra *spuriis*, vel de quorum *ambigitur* auctoribus, accensentur Ἐπιδημιῶν libri II. IV-VII.; *Coacae Praenotiones*, quarum pars, ut libri *de fracturis* et *de articulis*, ad Hippocratem I., nostri avum, Themistocli aequalem, a nonnullis refertur; *De humoribus*; *De Diaeta*; *De morbis l. IV.*; *De hominis natura*; Ὅρκος sive *Iusiurandum*; *Epistolae*, aliique plurimi quos recensuit doctissimus *Ackermann* ad Fabric. B. Gr. T. II. p. 568 sqq.

Hippocratis librorum *interpretes antiquos*, quorum Erotianus et Galenus meminerunt, *quinque* et *quadraginta* excitavit Ackermannus l. c. p. 599 sqq. Idem *codices mss.*, tum qui pleraque opera continent, tum singulorum librorum recensuit.— *Omnia Opera* Hippocratica *primum* prodierunt Venetiis ap. Aldum 1526 fol. Hanc editionem sequuntur *Frobeniana*, *Iano Cornario* editore, Basileae 1538 fol.; *Graeco-latina*, auctore *Hieron. Mercuriali*, qui eodem fere tempore, quo *Lud. Lemosius*, operum Hippocrateorum censurae multam dedit operam; tum *Foesianae* plures, ab *Anutio Foesio* curatae, quarum prima Francofurti 1595 fol., ultima Genevae 1657 fol. prodiit, cum vers. lat. accuratissime elaborata, et Lexico in Hippocr. utilissimo seorsum edito, quod inscribitur: *Oeconomia Hippocratis* alphabeti serie distincta etc. Francof. 1588. et Genevae 1662 fol. Post Foesium, *Hippocr.* et *Galeni* opera splendida editione iunctim vulgavit *Renatus*

Chartier, Parisiis 1679. XIII Voll. fol.; tum Hippocratem *Steph. Mack*, Vindobonae 1743-49. II Voll. fol. sed non absolvit. — Manualem curavit *I. A. van der Linden*, Lugd. Bat. 1665. II Voll. 8. recusam Neapoli 1754. et Venetiis 1757. II Voll. 4. — Hippocratis XXII Commentarii, cura *Theod. Zwingeri*, Basileae 1579. fol. — Hippocratis opuscula aphoristica, semeoticotherapeutica VIII. una cum Iureiurando, ex editione Zwingeri, Basileae 1747. 8. — *Aphorismorum* edd. ab *Almeloveenio*, *Lorry*, *Bosquillon*, *Rieger*, *Villebrune*, *De Mercy*, Aph. d'Hip. traduits sur le texte Grec, d'après la collation des Mss. (triginta amplius) de la Bibl. Impér. avec une dissertation sur les Mss. et les Variantes, Parisiis 1811 et 1817. 8. Eiusdem *De Mercy* Traités d'Hippocrate du regime dans les maladies aigues; des airs, des eaux et des lieux: traduits sur le texte Grec d'après la collation des Mss. de la Bibl. du Roi, avec une dissert. sur les Mss., les Variantes et les Obss. analytiques sur la doctrine d'Hippocrate etc. ibid. 1818. 8. — *Eiusdem* Epidémies d'Hippocr. I et III. livre; Des Crises et des jours critiques — traduits sur le texte Grec etc. ibid. 1815. 8. — *Eiusdem* Prognostics et Prorrhétiques d'Hippocr. trad. sur le texte Grec d'après la collation des Mss. etc. Parisiis 1813. et 1815. 8. — *Traité d'Hippocrate des airs*, *des eaux et des lieux*; traduction nouvelle, avec le texte grec, collationné sur deux Mss., des notes critiques, histor. et medicales, un discours préliminaire etc. par *Coray*, Paris 1800. II Voll. 8. repetita et ab auctore recognita editio cum aliis Hippocratis et Galeni libellis, ibidem 1816. 8. — Idem *de aëre*, *aquis* etc. scriptum graecè cum versione Gallica nuper edidit *I. N. Chailly*, Paris. 1817. 8. cf. *Frid. Osanni* Observations etc. in *Millini* Annal. Encyclop. 1818. August. p. 338. et seorsum vulgatae 1818. 8.

Versiones operum H. *latinae* exstant *Iani Cornarii* (recusa ab *Alb. Haller* in: *Principes Artis Medicae* T. I-IV. Lausannae 1769 sqq. et 1781. IV Voll. 8.) et *An. Foesii* optima, seorsum excusa Francof. 1596. 8. — *Gallicae* cum notis et vita H. (fabulis refertissima) auctore *Andrea Dacier*, Paris. 1697. II. Voll. 8. et *Lefebure de Villebrune*, ibidem 1786. 1799. — *Ger-*

manica cum annotationibus et vita Hippocr. (a fabulis purgata) auctore *I. F. C. Grimmio*, Altenburgi 1781 sqq. IV. Voll. 8. quam contractiorem edidit *Gruithuisen* Monachi 1814. 8. — Operum quorumdam H. epitomen dedit *C. G. Grunerus* in *Bibliothek der alten Aerzte* T. I. II. Lipsiae 1781. 8.

Glossaria et Lexica in H. *antiqua* supersunt *Erotiani*, *Galeni* et *Herodoti Lycii*, iunctim edita graece et latine cum lect. var. et animadverss. ab *I. G. F. Fransio*, Lipsiae 1780. 8.

Le Clerc histoire de la Medicine, Amsterdam 1728. 4. — *I. H. Schulzii* Historia Medicinae, Lipsiae 1728. 4. — *I. C. G. Ackermanni* Institutiones historiae Medicinae, Norimb. 1792. 8. — *Kurt Sprengel* Versuch etc. vid. supra. §. 97. extr — *Eiusdem* Apologie des Hippocrates, Lipsiae 1789. 8. — *Alb. Halleri* Bibliotheca *Anatomica* T. I. p. 15-28. *Botanica* T. I. p. 16-29. *Chirurgica* T. I. p. 7-14. *Medico-Practica* T. I. p. 29-102. — *C. G. Gruneri* Censura librorum Hippocrateorum, Breslaviae 1772. 8. *Epistolarum* quae Hippocrati vulgo tribuuntur Censura, auctore *Theod. Car. Schmidt* Ienae 1813. 8.

§. 99.

Quodsi *scholae Coae* Medici insequentes, qui *Hippocraticos* se esse atque videri voluerunt, magni doctoris sui vestigiis deinceps institissent; Medicina, dici vix potest, quanta quam exiguo temporis spatio incrementa capere debuisset; adhibito praesertim *Anatomiae* studio, quod post Coum *Praxagoram*, Ptolemaeo I. in Aegypto regnante, insigniter perfecerunt *Herophilus* et *Erasistratus*. Enimvero observationis illi et experientiae via, qua, natura duce, tutissime incesserat Hippocrates, comites subinde nactus Aristotelem et Theophrastum, (v. Galen. Meth. Med. II. p. 53.) relicta, Dialecticorum spinoso disserendi generi, et Philosophorum, super rerum naturae causis generalibus et elementis atque principiis, disputationibus totos se dederunt, artisque medicae, praecipue Physiologiae et Pathologiae praecepta modo ad Platonis et Pythagorae, modo ad Stoicorum placita accommodaturi, inutili labore Medicinae progressus mirum quantum retardarunt. Ortae hinc plures sunt medicorum *Scholae*, sive *Sectae*, e quibus antiquissima fertur

Dogmaticorum, ab ipsis summi Hippocratis filiis, *Thessalo* et *Dracone*, generoque *Polybo* condita, qui plurium inter scripta Hippocratea librorum habentur auctores *). Dogmatici hi antiquiores, a *Thessalo* inde usque ad Coum *Praxagoram*, qui circa Ol. CIX. 3. floruit, *Platonis Physicam* generalem Medicinae intulerunt. *Pythagoreorum* vero placita et sanandi methodum *Aegyptiis* frequentatam in tradenda Medicina secuti sunt *Eudoxus Cnidius*, Medicus, Legislator, Geometra, Astronomus insignis Ol. CIII. 1. A. Ch. 360. et discipulus eius civisque *Chrysippus*. Celeberrimi autem inter dogmaticos hac aetate fuere *Diocles* Carystius, paulo post Hippocratem II., qui Anatomiam et Diaeteticen maxime scriptis explanavit, quorum pauca fragmenta adhuc supersunt. V. *Grunerum* in Bibl. der alt. Aerzte T. II. p. 612 sqq. — et dictus modo *Praxagoras*, Herophili praeceptor, de Anatomia et Pathologia immortaliter meritus. v. *Sprengel* l. c. T. I. p. 482.

§. 100.

Matheseos, imprimis Arithmetices, Geometriae et Astronomiae initia, omnium scriptorum testimonio a *Thale* et *Pythagora* repetuntur, quamquam utrumque philosophum nihil scripti reliquisse communis est opinio. Vid. §. 58. Neque minus notum est perversum *Pythagoreorum* studium in inquirenda *numerorum* natura et qualitate occulta, legumque numerandi ad Physicam, morum disciplinam et theologiam applicatione positum. Cf. *Idelerus* Ueber das Verhältniss des Copernicus zum Alterthum in Mus. d. Alterth. T. II. p. 402. Quorum de numero tamen eximendi videntur qui post Pythagoram *Arithmetices* scientia clarissimi fuerunt, eiusque scholae sectatores, *Philolaus* et *Archytas* Tarentini (§. 67.), quorum fragmenta arithmetica adhuc exstant apud *Stobaeum*; Archytae praesertim libri de

*) Vt *Thessalus* libri *de morbis* (περὶ νούσων), et *Epidemiorum* libri II. V–VII. Eidem, vel *Draconi*, *Praedictionum* (Προῤῥητικῶν) liber secundus; *Polybo* autem libri pars *de hominis natura*, *de natura infantis*, *de Sanorum diaeta* etc. tribuitur.

Decade et *Scientia mathematica* olim ferebantur. — *Geometriae* autem *elementaris* theoremata eatenus dispersa, quorum nullum magis celebratum est quam a *Pythagora* illud inventum ac pervulgatissimum *), primus collegisse, in scientiaeque formam redegisse dicitur *Hippocrates Chius*, circa Ol. LXXXII. 3. A. Ch. 450. clarus, editis *Geometriae Elementis*, quae saeculo demum et dimidio post similis, sed multo praestantior liber *Euclidis* oblivioni tradidisse videtur. Idem Hippocrates inter Geometras refertur, qui nobilissimum de *cubi duplicatione* problema, cuius ad Geometriae perfectionem vim haud contemnendam monstravit *Reimerus* **), solvere conati sunt. Sed maiora scientia haec incrementa cepit aetate *Platonis*, qui, *Theodori* Cyrenaei discipulus, quum ipse intentissimo studio eam amplecteretur, tum familiares et disciplinae suae alumnos nactus est plures, quorum inventa geometrica celebrantur: in his Tarentinum illum *Archytam*, *Eudoxum* Cnidium, ad quem *Elementorum* Euclideorum liber *quintus* refertur auctorem, *Menaechmum*, *Dinostratum*, *Leodamantem* Thasium, Colophonium *Hermotimum*, *Theaetetum*. Quorum omnium studiis coniunctis debemus *Sectionum conicarum* aliarumque *curvarum*, *Analysis geometricae* et doctrinae *de locis geometricis* inventionem et theoriam. Prae ceteris vero *Stereometriae* studium maxime commendavit *Plato*, eamque disciplinam quatuor reliquis, quae tunc ferebantur, Matheseos disciplinis, Arithmeticae, Geometriae, Musicae et Astronomiae, *quintam* subiecit.

Gerardi Io. Vossii de universae Matheseos natura et constitutione liber, cui subiungitur Chronologia Mathematicorum. Amstelod. 1650. 4. — *I. C. Heilbronneri* Historia Matheseos universae, Lipsiae 1742. 4. — Histoire des Mathématiques par *Montucla*, editio nova Parisiis 1798 sqq. IV. Voll. 4. — *C. Bossut* Versuch. e. allgem. Geschichte d. Mathematik. Aus d. Französ. übers. m. Anmerk. u. Zusätzen von *N. Th. Reimer*, Hamburg 1804. II. Voll. 8.

*) Cf. Cic. de Nat. Deor. III. 36. Vitruvius IX. 1. Diog. Laërt. VIII. 12. Proclus in I. Euclid. p. 110.

**) In Historia problematis de Cubi duplicatione, Gottingae 1798.

§. 101.

In *Mechanica*, cuius actuosam partem i. e. machinarum, tum bellicarum, tum aliis ponderibus tollendis movendisque aptarum fabricam veteres Graeci pulchre callebant, primus scriptis itidem nomen meruit *Archytas*, cuius *Μηχανικὰ* citantur, et *columbae ligneae volantis* artificium laudatur Favorino apud Gellium X. 12. Minus feliciter in artis huius praeceptis tradendis versati esse videntur, quamquam *Aristotelis* quae feruntur *Quaestiones Mechanicae* docent, philosophum disciplinae huius elementa recte perspexisse. — *Poliorceticen* certe sub belli Peloponn. tempora plurium machinarum bellicarum, ut *arietis*, *testudinis*, inventione auxit *Artemon* Clazomenius, quibus, Pericle duce, in bello contra Samios primum usi esse perhibentur Athenienses. V. Diodor. Sic. XII. 28.

Tacticae prima elementa iam in Homericis carminibus expressa videre licet. Cf. *Heynii* Excursus *de Acie Homerica et Tactica Achivorum et Troianorum*; et *de Castrametatione de castrorumque munitione per Achivos facta*, in Observatt. ad Iliadem Vol. IV et V. Artem hanc deinceps perfecere duces Graecorum nobilissimi, quorum inventa tradiderunt historici, maxime *Xenophon*. Cf. *Folardus* ad Polybii vers. gallicam; et *Car. Guichard* in *Memoires militaires sur les Grecs et les Romains*, Lyon 1760. II. Voll. 8. Antiquiorum tamen de Tactica scriptorum nullus aetatem tulit: nomina certe servavit *Aelianus* qui vocatur *Tacticus*, de quo infra dicemus. Ad temporis ambitum in quo versamur referendus videtur unius *Aeneae* cognomine *Tactici* libellus qui inscribitur *Τακτικὸν καὶ πολιορκητικὸν ὑπόμνημα περὶ τοῦ πῶς χρὴ πολιορκουμένους ἀντέχειν* i. e. *Commentarius de toleranda obsidione*, ex eiusdem opere *strategico* (*Στρατηγικὰ Βιβλία* s. *Commentarii de arte imperatoria*), quo universam rei militaris scientiam complexus esse videtur, in nonnullis Codd. Mss. servatus. Auctor libri 360. a. Chr. floruisse, idemque Casaubono videtur, cuius, tamquam Arcadum ducis, virtutis ac prudentiae laude conspicui, circa tempora pugnae ad Mantineam commissae Ol. CIV. 2. meminit Xenophon. Par-

tem vero illam superstitem operis deperditi ex cod. ms. Parisino primus edidit et latine vertit *Casaubonus*, cum *Polybii Historiis*, Parisiis 1609 fol. Eidem Polybio comitem posthac dederunt *Iacobus Gronovius* Amstel. 1670. 8. *I. A. Ernestius* Lipsiae 1763. et nuper vir doctissimus *Io. Conr. Orellius*, hoc indice: *Supplementum editionis Polybii Schweigheuseranae*, continens *Aeneae Tactici Commentarium de toleranda obsidione*, ad Codd. Mssptorum et Edd. fidem recensitum, Isaaci Casauboni aliorumque et suis annotationibus illustratum; Lipsiae 1818. 8. — Ex Codice Mediceo lacunas quasdam libelli supplevit *Iac. Gronovius* in *Supplementis lacunarum in Aenea Tactico, Dione Cassio et Arriano*. Lugd. Bat. 1675. 8. — Trium Parisiensium Codd. lectiones praecipuas excerpsit *G. H. C. Koesius*, editas in *Bredowii Epistolis Paris*. Lipsiae 1812. pag. 110 sqq. — Denique gallicam libelli Aeneae versionem cum commentario confecit Comes *de Beausobre* hoc indice: *Commentaires sur la defense des places d'Aeneas le Tacticien*. Parisiis 1757. II. Voll. 4.

Musicen, vocis sensu strictiore, a Pythagorae inde temporibus, Mathematicis adiungere disciplinis et Matheseos ope tradere soliti erant Graeci. Librorum tamen, in quibus artis huius elementa docerentur, exiguus fuisse traditur numerus (cf. Voy. d'Anach. c. 27. T. III. p. 69.). Antiquissimus cui tempus pepercit Tarentinum *Aristoxenum* habet auctorem, Dicaearchi aequalem et condiscipulum, de quo supra inter Aristotelicos pauca attulimus (§. 70.). Huius, praeter alia multa scripta deperdita, quorum indices descriptos vide sis apud Fabricium B. Gr. T. III. p. 639 sqq., et Mahuium in Diatriba de Aristoxeno, Amstel. 1793. 8. exstant Ἁρμονιῶν στοιχείων sive *Elementorum harmonicorum libri tres*, graece primum editi cum *Nicomacho* et *Alypio*, Musicis qui serius vixerunt, notisque illustrati ab *Io. Meursio*, Lugd. Bat. 1616. 4. dehinc multo accuratius cum nova versione lat. vulgati a *M. Meibomio*: Antiquae Musicae Auctores VII. (additis Euclide, Gaudentio, Bacchio et Aristide Quintiliano, cum Marciani Capellae, latini scriptoris, libro nono), Amstelod. 1652. II. Voll. 4. — Praeterea *tres* de *rhythmo* sive Elementorum rhythmicorum libros scripserat Aristoxenus, e

quorum secundo *duo fragmenta* e cod. ms. Veneto D. Marci primus graece edidit *Iac. Morellius* ad calcem orationis Aristidis in Leptinem, Venetiis 1785. 8. Cf. Millini Magazin Encyclop. 1814. T. V. p. 265.

Plutarchi liber *de Musica.* — *Burette* in Mem. de l'Acad. des Inscr. T. V. — *Ch. Burney* General history of Music of the Ancients. Vol. I. Londini 1776. 4. — *I. N. Forkel* Allgemeine Geschichte der Musik T. I. Lipsiae 1788. 4. — Voyage d'Anacharsis chap. 27. — *Martini* Von den Odeen der Alten. — Plures auctores v. ap. Fabric. T. III. p. 633 sq.

§ 102.

Astrorum scientia, si a stellarum et siderum eorumque ortus et occasus ad Solem relatorum observationibus, (quas multo antiquiores fuisse quum ratio ipsa docet, tum ex vetustissimorum vatum, Homeri et Hesiodi, carminibus manifeste patet), recesseris, apud Graecos primum accuratiore studio et diligentia exculta esse videtur ab *Ionicae scholae philosophis*, cuius conditor *Thales*, ab Aegyptiis, ut putant, edoctus, plurium inventorum astronomicorum, ut observationis aequinoctiorum, Solis defectuum explicationis et praedictionis (Herodot. I. 74.), anni solaris descriptionis, denique caeli in quinque zonas partitionis, inter populares suos auctor habitus est. *Anaximandro* autem, Thaletis familiari, *Sphaerae* sive *globi caelestis* atque *Gnomonis* tribuitur *inventio*; (quam alii tamen ad *Pherecydem Syrium* (§. 58.). eiusdem scholae philosophum, referunt): cuius ope *Eclipticae obliquitatem*, *Solstitia* et *Aequinoctia* definiisse dicitur. Successit mox *schola Italica*, quam ornarunt *Philolaus*, *Archytas*, *Timaeus*, astronomicis studiis inde a *Pythagora* nobilitata. Vid. §. 67. Cf. *Aug. Boeckhii* Progr. de Platonico Systemate caelestium globorum, et de vera indole astronomiae Philolaicae, Heidelb. 1810. 4. *Eiusdem*: Philolaos des Pythagoreers Lehren nebst den Bruchstücken seines Werks. Berolini 1819. 8. Quumque ab aetate remotissima siderum observatione ad anni tempora et negotia rustica dispertienda regendaque maxime usi essent; Astronomi etiam insequentes in eo potissimum occupati fuerunt, ut Solis et Lunae motu diligenter explo-

rato, annui temporis spatium accuratius definirent, *lunarem*que cum *solari* annum subtilius componerent. Quocirca diversis temporibus annorum iuventi sunt *Cycli* sive periodi, post quorum decursum, cum Sole atque Luna ad eumdem, quem cycli initio occupaverant, coeli locum redeuntibus, novilunia pariter atque plenilunia in orbem redire debere credebantur. Ita *cyclum octo annorum* (ὀκταετηρίς) reperit *Cleostratus* quidam e Tenedo insula, cuius initium Olympiadi LIX. 2. A. Ch. 543. assignatur. Alium et perfectiorem invenit *Meto* Astronomus Atheniensis clarissimus, *undeviginti* annorum (ἐννεαδεκαετηρίς), Ol. LXXXVII. 1. A. Chr. 432. incipientem, quem diu famigeratissimum, centum fere annis post, iterum emendare tentavit *Callippus*, itidem Atheniensis, 330. a. Ch. Ol. CXII. 3. invento cyclo *sex annorum et septuaginta*, sive Metoniano quadruplicato. Interea e Platonis schola inter astronomos huius aetatis imprimis innotuit Cnidius ille *Eudoxus* Pythagoreus idemque medicus, geometra et legum patriae urbis ac Mileti lator (§. 99. 100.), a quo *speculas astronomicas* Cnidi et prope Heliopolin Aegypti erectas esse accepimus, cuiusque *Octaëteris*, *Γεωμετρούμενα*, *Γῆς περίοδος*, et duo scripta astronomica, similis argumenti illa, *Ἔνοπτρον* sive *Speculum* et *Phaenomena*, posthac ab *Arato* poëta carmine expressa, in quibus corporum caelestium motus explicuerat, deque constellationibus ortuque egerat et occasu siderum, temporis quidem iniuria interciderunt, sed ab Astronomis Graecis qui supersunt frequenter laudantur. — Haud multo post, circa Ol. CXI. A. Ch. 336. floruit *Autolycus* Pitanaeus ex Aeolide, cuius exstant libri *duo de ortu et occasu siderum inerrantium*, et *de Sphaera* liber, graece editi a *Conr. Dasypodio*, Argentorati 1572. 8., latine ab *Ios. Auria* Neapolitano, Romae 1587 et 1591. 4.

Theophrasti et *Eudemi Rhodii*, Aristotelicorum, scripta *de historia Astrologica* interierunt. — Inter recentiores qui Astronomiae historiam enarrarunt, notandi: *Weidlerus* in Hist. Astron. Vitebergae 1741. 4. — *Costard* History of Astronomy, London 1767. 4. — *Bailly* Histoire de l'Astron. Paris. 1785. V Voll. 4. quorum primum veteris Astron. hist. complectitur. — *I. C. Schaubach* Gesch. d. griech. Astron. bis auf Eratosthenes. Gottingae 1802. — *Eiusdem* Ueber die Meinungen d. Alten von unserm Sonnensystem, Meinin-

gen 1796. — *Eiusd.* Bemerkungen über die Sphäre der Alten. ibid. 1797. — *Ideleri* Historische Untersuchungen über die astronomischen Beobachtungen der Alten. Berlin 1806. 8. — *Eiusd.* Untersuchungen über den Ursprung u. Bedeutung der Sternnahmen. ibid. 1809. 8. — *Idem* Ueber das Verhältniss des Copernicus zum Alterthum — in Mus. d. Alterth. Wiss. T. II. p. 399. — *Idem*, Ueber den Cyclus des Meton in Abhandlungen der k. Acad. d. Wiss. in Berlin 1818. Histor. Philol. Classe p. 230.

§. 103.

Geographiae mathematicae et physicae fundamenta iecerunt iidem philosophi, quorum in physicis, geometricis et astronomicis doctrinis posita studia laudavimus: inter quos *Anaximander* tabulas geographicas primus invenisse dicitur. V. Strabonem I. p. 13 C. Diog. Laërt. II. 2. *Historicae* vero terrarum et locorum descriptionis apud Graecos *fontes* habentor poëtarum vetustissimorum carmina, Homeri maxime et Hesiodi, a quibus acceptas notiones de terrarum situ et ambitu populisque terram inhabitantibus valde mancas et imperfectas atque fabularum commentis turbatas et obscuratas, historiarum scriptores, inter quos eminent *Hecateus Milesius*, *Damastes Sigeus* et *Herodotus*, utcunque emendatas, ad rerumque magis veritatem exactas, rerum gestarum narrationi inseruerunt. Interim studia geographica aliquantum adiuta sunt *peregrinationibus* terra marique susceptis, quarum descriptiones nonnullas, quae hodieque exstant, hac quam enarramus aetate lucem vidisse probabile fit. Cuius generis est *Periplus* vel circumnavigatio quam *Scylax* Caryandensis, ex Caria oriundus, circa Ol. LXVIII. 1. A. Ch. 508. teste Herodoto (IV. 44.) ad Indi fluvii ostia orasque maritimas lustrandas a Dario Hystaspis filio cum aliis iter facere iussus instituit, et sub cuius nomine vel nunc legitur *Περίπλους τῆς οἰκουμένης*, terrarum mare internum ambientium, Ponti Euxini, oraeque Libyae vel Africae occidentalis, usque ad *Cernen* insulam, descriptionem continens, *Fabricio* (Vol. IV. p. 606. Harl.), *Holstenio*, *Hagero* et *Sainte-Croix* *) auctoribus, ad eumdem Scylacem cuius Herodotus me-

*) In Memoires de l'Acad. des Inscr. T. XLII. p. 350 sqq. coll. Examen crit. des anc. historiens d'Alex. le Gr. seconde edit. p. 730 note.

minit, referendam: a qua sententia haud multum abludit *Ukerti*, viri doctissimi, opinio, qui Scylacem nostrum Herodoti aequalem existimandum esse contendit, multumque ex Hecataeo profecisse, cuius erat *Γῆς περίοδος*, a Callimacho quidem pro libro fidei suspectae habita, sed contra dicente Eratosthene aliisque *). In diversas partes abeunt *Doddwellus*, qui Suidae auctoritate utens, Scylacem peripli nostri auctorem, *Polybio* aequalem ponit, *Mannertus*, qui belli Peloponnesiaci initio eum floruisse existimat, et *Niebuhrius*, cui aetas Scylacis anno 390 haud superior poni posse videtur (Röm. Gesch. T. I. p. 57. Not. 62.). Ceterum Peripli Scylacei assertores ante laudati opus hoc Geographiae veteris antiquissimum seriori tempore passim auctum et interpolatum fuisse haud negant; *Ukertus* etiam l. l. a *Polemone* illud Periegete, Aristophanis Grammatici aequali, fortasse *διεσκευάσθαι* coniicit. Editus est periplus hic Scylacis tum in *Corpore veterum Geographorum* cura *Dav. Hoeschelii*, Augustae Vindelicor. 1600. 8.; *Iac. Gronovii* Lugd. Bat. 1697 et 1700. 4. et *Io. Hudsoni* in *Geographiae veteris Scriptoribus Graecis minoribus*, Oxoniae 1688-1712. IV. Voll. 8. repet. Vindobonae 1806 sqq. II Voll. 8. cum notis Graecis, et Abulfedae opere geogr. Arabice et Graece, et Dionysio Perieg. cura fratrum Zozima; tum seorsum cum versione lat. et notis ab *Isaaco Vossio*, Amstelodami 1639. 4.

Eiusdem fere aetatis vel aliquanto superioris esse videtur gravissimum historiae et geographiae antiquioris monumentum, *Periplus Hannonis*, Carthaginiensium ducis, qui, Plinio teste (H. N. II. c. 67. V. c. 1.), *Punicis rebus florentissimis*, circumvectus a Gadibus, Africae (occidentalis) ambitum explorare iussus, navigationem eam prodidit scripto, quod ab auctore *Punica* lingua exaratum, serius, fortasse a Siculo quodam, in *graecum* sermonem conversum, certe in epitomen redactum, ad nostra pervenit tempora. Aetas vero Hannonis huius incerta. Quem quum alii He-

---

*) Vid. *Ukerti* Untersuchungen über die Geographie des Hecataeus und Damastes. Vimariae 1814. 8. p. 24 sq.

rodoto longe superiorem, alii Alexandri Macedonis temporibus aequalem fuisse velint: nobis tamen maxime probatur ratio *Mannerti* et *Hugii*, qui ante Scylacem, priorum regum Persicorum aetate eum floruisse suspicantur. *Codices* peripli Hannonis aeque parvo exstant numero quam Scylacis. *Editiones* precipuae sunt: *Abrah. Berkelii*, graece et latine, ex *Conr. Gesneri* versione, una cum Stephano Byzantio, Lugd. Bat. 1674. 12. — *Hudsoni* in Geographis Graecis minoribus Vol. I. — cum versione *hispanica* et copioso Commentario *Petri Rodiguez Campomanes* in: *Antiguedad maritima de la Republica de Cartago*, Madriti 1756. 8. Cf. Harles. ad Fabric. T. I. p. 37. — cum vers. *anglica* notisque a *Thoma Falkoner*, Oxoniae 1797. 8. — denique *I. L. Hugii* editio c. annotatt. et introd. Friburgi 1808. 4.

Commemorandus etiam *Pytheas* Massiliensis, qui Alexandri Macedonis circiter temporibus floruit, primusque Geographorum fuisse videtur, qui astronomicas rationes ad orbis terrarum tunc noti descriptionem universam adhiberet. Massilia profectus, tota Europae occidentalis ora circumnavigata, in mare adeo Balticum pervenisse dicitur. Sed *peripli* quem scripsit deperditi non sunt nisi fragmenta servata a Strabone, Plinio aliisque; in quibus, inter multa fabulosa, ut de insula *Thule*, quam alii Islandiam, alii de Norvegiae ora septemtrionali interpretantur, haud pauca tamen veritatis reperiuntur vestigia.

At peregrinationum hoc et navigationis studium nullo magis tempore increbruit, quam quo Alexander contra Persas Indosque profectus erat. Ex quo tot periplorum et terrarum descriptionum, tot de rebus Indicis scriptorum numerus succrevit. In quibus nobilissimi sunt *Daïmachus*, *Megasthenes*, *Onesicritus*, quorum tamen cum innumeris aliis scripta, miraculorum et fabularum plenissima, interciderunt. Ipse Alexander, naturae curiosus, navigationem per Indiae oram instituit, et *Nearchum* (non Onesicritum, unius tantum navis praefectum, ut perperam, ante Plinium, refert Seneca de Benef. VII. 2. a Ruhkopfio iure reprehensus) classis praefectum A. Ch. 326. A. in Oceanum Indicum misit. Cuius Periplum saeculo IIdo post

Chr. *Arrianus* in *Indica* sua magnam partem transscripsit, et hinc editum, praefixa H. Doddwelli dissertatione, vulgavit *Io. Hudsonus* in Geographis Graecis minor. T. I.; tum separatim *F. Schmiederus*, Halae 1798. 8. doctissimo autem commentario illustravit *William Vincent* in: *The Voyage of Nearchus from the Indus to the Euphrates, collected from the original Iournal preserved by Arrian etc.* Londini 1797 et 1800. 4. posthac edita cum contextu Graeco versione Anglica: The Voyage of Nearchus and the Periplus of the Erythrean Sea, translated from the Greek by William Vincent. Oxoniae 1809. 4.

Iohn Blair History of the rise and progress of Geography. London 1784. 8. — *Conr. Mannert* Geographie der Griechen u. Römer T. I. Norimb. 1799. 8. — *De Gosselin* Geographie des Grecs, Paris 1790. 4. — *Eiusdem* Recherches sur la Géographie systématique et positive des Anciens, ibidem 1790. II Voll. 4. — *M. C. Sprengel* Geschichte d. geograph. Entdeckungen, Halae 1792. 8. — *W. Robertson* Disquisition concerning the knowledge, which the Ancients had of India, London 1791. 4. — *A. H. L. Heerenii* Commentatio de Graecorum de India notitia Pars I. II. Gottingae 1791. 4. — *Eiusdem* Ideen über die Politik, den Verkehr und den Handel der vornehmsten Völker der alten Welt, Gottingae 1815. V Voll. 8. — *Buache* Mémoire sur les navigations des Anciens. — *I. H. Voss* Alte Weltkunde. 4. — *Schoenemanni* Commentationes de Geographia Homeri, Gotting. 1787. 4. et de Geogr. Argonautorum, ibid. 1788. 4. — *Iames Rennel* Geographical System of Herodotus, London 1800. 4. — *F. A. Ukert* Geographie der Griechen u. Römer von den frühesten Zeiten bis auf Ptolemaeus T. I. P. 1. et 2. Vimariae 1816. 8. — *Eiusdem* Ueber die Art der Griechen u. Römer die Entfernungen zu bestimmen, und über das Stadium. Vimariae 1813. 8. — *Ioachima Lelewela* Badania Starożytności we względzie Geografii, Vilnae 1818. 8. — Nunciatur *F. A. G. Spohnii* Geographia Graecorum fabulosa, III Voll. c. tabb. geogr., Lipsiae oct. — De *Scylacis* et *Hannonis* Periplis consulendi *De Sainte-Croix* in Mem. de l'Acad. des Inscr. T. 42. — *Bougainville* ibidem T. 26 et 28. — *Mannert* l. c. T. I. p. 46-87. — *F. M. Vierthaler* in *Beyträge zur Geographie*, Pars II. Salisburgi 1798. 8. — *Hugius* in Introduct. ad Hannonis Periplum.

§. 104.

Denique per hanc aetatem Geographis accensendi *Eudoxus* Cnidius, saepe iam nobis laudatus (§§. 99. 100. 102.), propter *Γῆς περίοδον* i. e. orbis terrarum descriptionem, Geographis et Historicis veteribus frequenter commemoratam; — et *Dicaearchus* Siculus, Aristote-

lis discipulus, Ciceroni tantopere probatus scriptor; quem alternatim *delicias suas*, *Peripateticum magnum et copiosum*, *magnum et luculentum hominem et civem*, *virum mirabilem* et *ἱστορικώτατον* appellat, de cuius scriptis historicis et philosophicis, quae fortuna nobis invidit, supra egi §. 70. extr. Huc pertinent, praeter librum deperditum: *Καταμετρήσεις τῶν ἐν Πελοποννήσῳ ὀρῶν* i. e. *Montium Peloponnesi dimensiones*, cuius nonnulla fragmenta occurrunt*), et in mentem venisse videtur *Plinio* H. N. II. c. 65. **), *duo* opera, quorum fragmenta supersunt: alterum *iambicis versibus* *Ἀναγραφὴν τῆς Ἑλλάδος* sive *descriptionem Graeciae* continens; alterum soluta oratione *Βίος Ἑλλάδος* inscriptum, h. e. *de vita Graeciae*: quo titulo regiones, sedes et domicilia, vitaeque rationem, instituta et mores Graecorum, *specie itinerarii*, descripta intelligi voluit; quemadmodum M. Terentii Varronis Romani libros *De vita populi Romani* inscriptos novimus, monente *Schweighaeusero* ad Athenaeum XIII. p. 557 B. Cf. Porphyr. de Abst. IV. 2. p. 295. ed. Rhör. Ex *illo*, *Ἀναγραφὴν* dico, quod ad Theophrastum scriptum esse primus indicat versus, quoque tabulas suas geographicas, eidem oblatas (cf. Diog. Laërt. V. 51.), illustrasse videtur Doddwello, *centum* amplius versus adhuc leguntur, satis quidem illi ieiuni, nec illa aetate, nec talis auctoris nomine digni; quam nuperrimi reliquiarum harum editoris, *Marxii*, sententiam lubens amplector. Cf. Hemsterhusium ad Luc. Dial. Mort. p. 410 sqq. *Huius*, de Vita Graeciae, in *tres* libros olim divisi, quod fortasse Cicero tantopere commendavit Attico suo Epp. II. 2. coll. VI. 2. et XIII. 39. insigne fragmentum servatum est, quod et rerum memorabilium copia, et sermonis concisa brevitate atque elegantia mirifice detinens lectorem, totius operis desiderium restinguere

*) Vid. Ukerti Hist. Geogr. vet. I. 1. p. 114.

**) „Globum tamen (terram) effici mirum est in tanta planitie maris camporumque. Cui sententiae adest *Dicaearchus*, vir inprimis eruditus, *regum cura permensus* montes, ex quibus altissimum prodidit Pelion MCCL passuum ratione perpendiculari, nullam esse eam portionem universae rotunditatis colligens." Quae ultima verba mendosa esse, et medicam manum exspectare, in confessum venit.

nequit. Denique breviusculum quoddam Fragmentum *de Monte Pelio*, ab Holstenio in cod. Reg. Paris. inventum, quod Hudsonus in Geographor. minor. Vol. II. Oxon. 1703. primus vulgavit, incertum, fueritne pars maioris operis descriptionis Graeciae, an eius quod paulo ante, Suida auctore, commemoravimus: *Καταμετρήσεις τῶν ἐν Πελοποννήσῳ ὀρῶν*. Paucissimas has Dicaearchei ingenii ac doctrinae reliquias cum Is. Casauboni annotationibus primum edidit *H. Stephanus* Parisiis 1590. 8. quam editionem recudi iussit *Iac. Gronovius* in Thesauri Antiquitatum Graecarum vol. XI. Eaedem porro leguntur in Geographorum corpore cura *Hoeschelii*, et *Hudsoni* Vol. II. cum latina vers. notisque; nuper vero emendatius edidit notisque illustravit *M. Marxius*, hoc indice: *Dicaearchi* Peripatetici *Βίος Ἑλλάδος* aliaque Fragmenta Geographica emendata atque illustrata a M. M. Insertus libellus est Fr. Creuzeri Meletematum e disciplina antiquitatis Parti tertiae. Lips. 1819. 8. pag. 171-210. — Eodem anno Dicaearchi Fragmenta haec, *Lucae Holstenii* curis olim illustrata, cum Hannonis Periplo aliisque scriptis geogr. e bibliotheca Barberina edidit *W. Manzi* hoc indice: *Δικαιάρχου τ. Μ. Ἀναγραφὴ καὶ Βίος Ἑλλάδος. Ἄννωνος περίπλους Λιβύης. Νικηφόρου τοῦ Βλεμμίδου Γεωγραφία συνοπτική. Τοῦ αὐτοῦ ἱςορία περὶ τῆς γῆς ἐν συνόψει.* Cum Lucae Holstenii lucubrationibus ad priora duo opuscula. Accesserunt ad ceteros Geographiae auctores Holstenii item notulae non antea editae. Haec omnia cura et studio *Gulielmi Manzi*, Romae 1819. 4.

H. Doddwelli Dissertatio de Dicaearcho. — *Hagerus* in libro germ. qui inscrib. *Geographischer Büchersaal*, Chemnitii 1765. 8. Voll. II. p. 422 sqq. — *Bredovii* Epistolae Parisienses p. 14.

§. 105.

De *Artibus*, tum elegantioribus, ut Architectura, Pictura, Sculptura, tum sellulariis opificiisque (*τέχναι βάναυσοι* vel *βαναυσικαί*) quidquid scriptorum Graeca antiquitas hac et insequenti aetate litterarum Graecarum viderat, communi tot operum Graecae doctrinae

et diligentiae naufragio funditus periisse, quis ignorat? Auctorum nomina tantum, passim etiam librorum indices servarunt *Vitruvius* in prooemio lib. VIII. de Architectura, *Ausonius* in Mosella v. 300 sqq. *Plinius* in scriptorum quos secutus est censu, Historiae Naturalis suae libris XXXIII – XXXVII praefixo; *Aristoteles* de Rep. I. c. 7. Cf. *Iunium* de Pictura Veterum. Rotterdam. 1694. Fol. *Heynii* Antiquarische Aufsätze T. II. p. 76 sqq.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

§. 7. pag. 5. lin. 5. Adde: Codices Mss. et impressi cum notis mss. olim D'Orvilliani qui in Bibl. Bodleiana apud Oxonienses adservantur (editore *Thom. Gaisfordio*) Oxonii 1806. 4. — Catalogus sive notitia Manuscriptorum qui a cel. *E. D. Clarkio* comparati in Bibl. Bodleiana adservantur. Pars prior. Inseruntur Scholia quaedam inedita in Platonem et in Carmina Gregorii Naz. Oxonii 1812. 4 mai. Pars posterior ibid. 1815. 4. (editore *Th. Gaisfordio.*)

§. 12. p. 10. l. 18. Hermanno assenserunt *Iacobsius* et *Wolfius*, cuius haec sunt verba (Anal. Litter. T. II. p. 502 not.). „Argonauticorum carmen, quod in rebus, sententiis, dictionibus, tot mirifica, singularia, insolentia, absurda habet, quae quidem a pluribus doctorum diu ad antiquam simplicitatem et vetustatis robiginem patienter trahebantur, ex Alexandrino vel etiam superiore aevo ad postrema et Christiana tempora deturbandum esse, tam probabilibus argumentis demonstrarunt Hermannus et Iacobsius, vix ut exorturus videatur, qui in eorum sententiam non concedat nobiscum". *Iacobsii* Diss. de scriptoris aetate addita est Ukerti Geographiae Graecorum et Rom. Vol. I. P. 2. p. 351 sqq.

Ibidem p. 11. l. 13. Adde: Recherches historiques et critiques sur les mystères du Paganisme par *Sainte-Croix*. Seconde édition revue et corr. par *Silvestre de Sacy*, Paris. 1817. T. II. Bouterwekii Commentatio a me laudata legitur in Comm. Soc. Reg. Gott. Recentiorum Tomo II. Gottingae 1813. 4.

Ibidem p. 12. l. 2. Adde: *Dietsch* Dreissig Orphische Hymnen. Nürnberg 1820. 8.

§. 20. p. 23. l. 17. Adde: Scholia antiqua in Homeri Odysseam e codd. biblioth. Ambrosianae Mediolan. ab Angelo Maio eruta emendatius edidit, notulis illustravit, et Scholior. Harleianorum excerptis Porsonianis auxit *Phil. Buttmannus*. Acc. Variae Lectt. in Iliadem e cod. Ambrosiano antiquissimo ab eodem Maio in lucem protractae. Berolini 1820. 8 mai.

Ibidem p. 24. l. 12. Adde: *Fr. Thierschii* De Scholiis Townleianis in Iliada eorumque ad Victoriana ratione — in Actis Philologor. Monacens. T. II. Fasc. IV. p. 561 sqq.

§. 21. p. 25. lin. 11. Heynianae Iliadis editionis Volumen IX. *Indices continens* a *Fr. Eberto* confectos, quod in Cat. Lips. Nund. temp. A. 1819 et 1820 edito inter libros propediem vulgandos nunciatur, an lucem iam viderit, ignoro.— In eodem Catal. a. 1819. inter futuras editiones renunciatur *Homeri Ilias cum Paraphrasi Scholiisque omnibus* ex recens. *Imm. Bekkeri*, Berolini, 8 mai.

Ibidem p. 25. l. 19. Adde: Homeri Carmina. IV tomi. Lipsiae ap. Weilium 1820. 8 min.

Ibidem p. 25. l. 21. Excerpta *Mülleriana* denuo et emendatius edidit *A. Weichert* 1818. II. Voll. 8 mai.

Ibidem lin. 27. *Hageri* editio Odysseae *quartum* prodiit Chemnitii 1819 sq. 8. Carmina Homerica autem opera et studio *Rich. Payne Knightii*, in eadem pag. paulo inferius commemorata, denuo lucem videre Londini 1820.— Quae mox ibidem de Fragmentis Iliadis et Picturis a doctissimo *Maio* e cod. Ambros. edendis narrantur, delenda sunt, in eorumque locum nunc ipsius operis praestantissimi iam editi index describendus: *Iliadis Fragmenta antiquissima cum Picturis. Item Scholia vetera ad Odysseam et Didymi Alexandrini Marmorum et Lignorum Mensurae. Edente Angelo Maio.* Mediolani Regiis Typis MDCCCXIX. Fol. max.

§. 22. p. 27. l. 16. Adde: *Homer's Hymnus an Demeter*, mit einer deutschen metrischen Uebers. zur Seite des Griech. Textes, u. ausführlichen, über den Zweck, den Gehalt und das Verhältniss dieses Hymnus zu den Eleusin. Mysterien sich verbreitenden Wort-u. Sacherklärungen von *F. K. L. Sickler.* Hildburghausen 1820. 4.

Ibidem p. 28. l. 8. Adde: *Βατραχομ. Ὁμηρ.* Für Anfänger mit Zurechtweisungen u. einem Wortregister versehen von *Klein.* Hildburghausen 1820. 8.

Ibidem lin. 28. *Köppenii* Animadversiones ad Iliadem germ. serm. scriptas tertium edere coepit desideratissimus *Ruhkopfius* T. I. Hannoveri 1820. 8. — *Ibidem* Spohnii et Rennelii de agro Troiano scriptis laudatis adde: *Charles Parry* A critical examination of certain modern opinions respectives the Troad and the descriptions of Homer — in Classical Iournal. London 1817. T. XV. Nr. 29.

Ibidem pag. 28. extr. Adde: *I. H. E. Rautenberg* Homerische Fibel. Etymologischer Cursus. Schnepfenthal 1816. 4.

§. 23. p. 30. l. 23. Adde: Ill. Com. *Ouwaroff* Ueber das Vor-Homerische Zeitalter. Ein Anhang zu den Briefen über Homer und Hesiod von G. Hermann u. Fr. Creuzer. St. Petersburg. 1819. 8. mai.

§. 24. p. 32. l. 24. Adde: Kadmus oder Forschungen in den Dialekten des Semitischen Sprachstamms zur Entwickelung des Elements der ältesten Sprache und Mythen der Hellenen. Erste Abtheilung. *Erklärung der Theogonie des Hesiodus* von Dr. *Friedrich Sickler.* Hildburgh. 1818. 4.

§. 27. pag. 34. lin. 3. Notitiam Codicum Mss. Venetorum Hesiodi, in qua Trincavellianae editionis fontes ostenduntur, dedit *Iac. Morellius* in F. A. Wolfii Analectis Litterariis T. II. p. 263 sqq. cuius notitiae Auctarium subiecit *B. Kordesius* ibidem p. 270–74.

Ibidem ead. pag. l. 27. Adde: *Hesiodi Opera et Dies.* Recensuit, variis lectt. et Scholiis ineditis instruxit *F. A. Guil. Spohn.* Acc. Epist. crit. ad G. Hermannum et G. H. Schäferum. Lipsiae 1820. 8 mai. — *Hesiodi Opera et Dies.* E veterum Grammaticorum notationibus et optimis libris mss. recensuit *F. A. G. Spohn.* Editio minor in usum Scholar. et Academ. Lipsiae 1819. 8.

Ibidem ead. pag. lin. 28. Adde: *Hesiodi Theogonia.* Edidit *C. Fr. Heinrichius.* Acc. VV. LL. ex Brunckii recens. inedita et ex VII. Codd. Mss. collatis, Bonnae 1819. 8 mai.

§. 28. p. 36. l. 1. Pro *Augia*, corrupto huius poëtae nomine, *Hagiam* Troezenium in Cod. Veneto Iliadis a Villoisonio edito, qui unus fere egregia Procli fragmenta, carminum Cyclicorum memoriam accuratiorem exhibentia, servavit, legi docuit doctissimus *Thierschius* in Actis Philologor. Monac. T. II. p. 583 sqq.

Ibidem p. 37. l. 3. Adde: *Fr. Thierschii* Schedae criticae de rebus quae ad Epopoeos Graecorum spectant. Pars prima, inserta Actis Philologr. Monac. T. II. Fasc. IV. E Schedis his huc pertinet caput secundum, inscriptum: *Loci e Chrestomathia Procli, in quibus de Homeri vita et de carminibus Cyclicis agitur, e Veneto et Monacensi codicibus emendati* p. 572–590.

§. 32. p. 44. l. 13. Klotzium maxime secutus est nuper *C. Chr. Stockius* in: Kriegslieder des Tyrtaeus, mit e. neuen metr. Uebers. u. histor. Einleitung, wie auch mit Wort- u. Sacherklärungen zum Schul- u. Selbstgebrauch, Lips. 1819. 8.

Ibidem ead. pag. lin. 19. Ad Tyrtaei Elegiam I. (Τεθνάμεναι γὰρ κ. τ. λ.) cf. *Ev. Wassenbergii* Dissert. altera de traiectionibus in Novi Test. contextu saepe necessariis cap. 2. praemissa Tomo II. libri qui inscribitur: Selecta e Scholis L. C. Valckenarii in libros quosdam N. T. Amstelod. 1817. 8 mai.

§. 34. p. 46. l. 13. Verbis „constans et verisimillima est opinio" adiicias: quam tamen nuper impugnavit *W. E. Weberus* in *Philologischen Beiträgen aus der Schweiz* T. I. 7. Turici 1819. 8, Idem de poësi gnomica et Theognide alio loco accuratius scripturum se esse declarat.

Ibidem p. 47. l. 1. Inscriptum est *primum* volumen hoc: *Poëtae minores Graeci.* Praecipua lectionis varietate et indicibus locupletiss. instruxit *Tho. Gaisford*, Oxoniae 1814. *Tria* quae deinceps prodiere volumina suos prae se ferunt indices, nempe Vol. II.: *Theocriti, Bionis* et *Moschi Carmina Bucolica* ex recens. L. C. Valckenarii. Varias codd. mss. lectiones adiecit Thom. Gaisford. ibid. 1816. — Vol. III. *Scholia ad Hesiodum* e codd. mss. emendavit et supplevit Th. G.

ibid. 1820, — Vol. IV. *Scholia ad Theocritum* e codd. Mss. etc. ibid. 1820. 8 mai.

Pag. 53. lin. 2. corrigas: Dicacitatem *vero* Archilochi etc.

§. 42. p. 66. l. 10. a fine. Minus accurate scripsi, *tres* tomos Boeckhianae Pindari editionis iam prodiisse. *Primus* enim, in duas partes divisus, contextum Graecum, Commentarios metricos et Notas criticas complectitur. *Secundi* vero *Pars prima*, Scholia Graeca integra continens, demum insecuta est Lipsiae 1819. Böckhianam Graeci contextus constitutionem, maxime vero metricam dispositionem, novae suae editionis et versionis fundum fecit *Frid. Thierschius*, nuper vulgatarum hoc indice: *Pindarus Werke, Urschrift, Einleitung, Uebersetzung in den Pindarischen Versmaassen u. Erläuterungen, Leipzig 1820. II. Theile* 8 mai.

Ibidem, ead. pag. lin 9. a fine adde: Pindari Carmina Graece cum lect. var. et Notis. Recensuit *C. W. Ahlwardt*. Editio minor. Lipsiae 1820. 8 mai.

Ibidem, ead. pag. lin. 5 a fine addas: Pindari duodena Carmina Graeco-latina editore *Deubero*, Friburg. 1819. 12.

Ibidem, p. 67. l. 5. haud omittendus erat liber singularis *Kuithanii*: *Versuch eines Beweises, dass wir in Pindars Siegeshymnen Urkomoedien übrig haben* u. s. w. Lips. 1808. 8.

Pag. 76. lin. 21. pro *tribuuntur* Parmenidi legendum *tribuunt* Parm.

§. 54. p. 90. l. 2. primum corrige 1778 pro 1776. Dein lin. 4. post verba „a se recognitum 1812. 8." inseras: Cui nuper accessit *Volumen secundum*, continens *Laurentii Vallae interpretationem latinam* Herodoti Historiarum *emendatam, cum Indicibus* Lips. 1820. 8 mai.

— p. 91. l. 4. Adde: Die Vorhalle Europaeischer Völkergeschichten vor Herodotus, um den Kaukasus und an den Gestaden des Pontus. Von *Karl Ritter*, Berolini 1820. 8.

§. 55. p. 92. l. 17. Adiicias: Lipsiensis haec Thucydidis editio cum auctario observationum nuper repetita est Londini, hoc indice: Thuc. de B. P. l. VIII. c. vers. lat. Scholiis Graecis et VV. DD. animadverss. Ex edit. Gottleberi et Baueri. Acc. Commentarii a *T. F. Benedicto* conscripti et *E. F. Poppo* Observationes criticae. Londini 1819. IV Voll. 8 mai. — Quae mox a Viro modo laudato demum nunciata Thucydidis editio commemoratur, eius prior pars iam vidit lucem, sic inscripta: *Thuc. de B. P. P. libri VIII. De arte huius scriptoris historica exposuit, eius Vitas a veteribus Grammaticis conscriptas addidit; Codicum rationem atque auctoritatem examinavit; Graeca ex iis emendavit; Scripturae diversitates omnes, Chronologiam, Commentarios rerum Geographicorum, Scholia Graeca et Notas tum Dukeri omnes atque aliorum selectas, tum suas, denique Indices rerum et verbor. locupletiss. subiecit* E. F. Poppo. Vol. I. Lipsiae 1820. 8 mai.

Thucydidis editio *Graeca* a *Neophyto Duca*, cu-

ius alio loco p. 111. not. obiter mentionem feci, curata Vindobonae 1805 sq. X. Voll. 8 mai., praeter translationem *Neo-Graeco* sermone compositam, *nono* vol. Lexicon Geographicum et Historicum et XXI Epistolas Themistoclis nomen prae se ferentes, *decimo* autem *Indicem verborum*, omnium qui exstant plenissimum exhibet, additis insuper tabb. geogr. aliisque figuris in aere incisis.

Ibidem, *ead. pag.* l. 8 a fine. Tauchnizianae editioni adde *Weigelianam* Lipsiae 1820. II. Voll. 8 min.

Ibidem p. 93. l. 14. Addas sis: *I. A. Γ. Ροστ* Σχόλια εἰς Θουκυδίδην καὶ δύο Δημοσθένους λόγους etc. Heidelb. 1819. 8 mai. — tum *Franc. Goelleri Observationes in Thucydidem*, insertae actis Philologor. Monacens. T. II. Fasc. 2. p. 205–257. — denique: *Zur Geschichte Hellenischer Staatsverfassungen*, hauptsächlich während des Peloponnesischen Krieges. *Bruchstück einer historisch-politischen Einleitung in das Studium des Thucydides* von *Friedrich Kortum*, Heidelberg 1821. 8.

§. 56. p. 95. 96. *Xenophontis* editionibus, tum omnium operum, adiicias *Weigelianam* Lips. 1820. IV Voll. 8. min. tum *Anabasis Cyri*, Halensem auctore *Langio*, 1820. 8.

§. 60. p. 106. l. 23. De dicto Heracliteo *siccam animam esse optimam* nuper docte disseruit *Astius* ad Hermiae Schol. in Platonis Phaedrum p. 206.

§. 65. p. 118. l. 26. Editionis *Astianae* omnium operum Platonis *Tomus secundus* Theaetetum, Sophistam et Politicum continens, prodiit Lipsiae 1820. 8 mai.

— ead. pag. l. 8 a fine. *Wolfiani* Delectus Dialogorum Platonis in usum Gymnasiorum repetita est editio Berolini 1820. 8.

— pag. 119. lin. 2. *Altera* editio emendatior libror. de Rep. auctore *Fr. Astio* prodiit Ienae 1820. 8 mai. — Ibidem lin. 19. adde: *Platonis Philebus* Recensuit, prolegomenis et commentariis illustravit *G. Stallbaum*. Acc. Scholia Olympiodori in Philebum e cod. Cizensi nunc primum edita Lips. 1820. 8. mai. — *Eadem pag.* lin. 8. adde: *Platonis Phaedon*. Accedit varietas lect. et brevis annotatio cura *I. D. Körneri* Züllichaviae 1820. 8.

— pag. 121. l. 2. Plenus libri index est: *Initia Philosophiae ac Theologiae ex Platonicis fontibus ducta*, sive Procli Diadochi et Olympiodori Commentarii e. s. p. Cf. Procli Opera ex ed. *V. Cousinii* T. II. Parisiis 1820. — Paulo post lin. 6. commemoranda erant *Excerpta ex Procli Scholiis in Cratylum Platonis* quae primum edidit *I. F. Boissonadius* Lipsiae ap. Weigel. 1820. 8 min. (Scholiorum Graecorum T. I.) — tum *Scholia Olympiodori in Philebum* e cod. Cizensi primum edita una cum ipso dialogo Platonis a *G. Stallbaumio*, paulo ante a me laudata.

Ibidem lin. 9 a fine addas: *G. A. Blumii De Platonis liberorum educandorum disciplina*, Halae 1818. 4 mai. — et lin. 6 a fine: *Die Platonischen Mythen von Dr. M. Marx*-

in *Eleutheria oder Freyburg. Litterarische Blätter* T. II. Fasc. 2. et 3.

Ibidem p. 122. l. 29. Adde: *Schneideri iunioris* Disputatio de locis nonnullis *Phaedri* Platonici Vratislav. 1819. 4. Mox lin. 12 a fine: *Observationes in Platonis Menexenum* auctore *Io. Frid. Wagnero*, quae leguntur in libro germ. *Kritische Bibliothek für's Schulwesen* IIter Iahrg. (1820) 3tes Heft p. 232 sqq. et *Notulae quaedam in Platonis Menexenum* ex Class. Iourn. Nr. XXIV. Dec. 1815. p. 415. in eiusdem Bibl. Crit. Scholast. Fasc. VIto. p. 471. descriptae.

§. 67. p. 124. med. Nuper prodiit *Tentamen de Archytae Tarentini vita et operibus*. Hafniae 1820.

§. 68. p. 129. l. 26. lege: cum Commentario *Car. Zellii*, Heidelb. 1820. II Voll. 8 mai.

— pag. 130. lin. 11. corrige: Fr. Niklas *Titze*.

§. 79. p. 156. l. 10 a fine. Tres Brunckianas editiones nuper compilavit editor anonymus hoc indice: *Sophoclis quae exstant omnia, cum veterum Grammaticorum Scholiis, superstites Tragoedias septem ad optimor. exemplarium fidem recensuit, versione et notis illustravit, deperditarum Fragmenta collegit R. F. Ph. Brunck. Acc. Excerpta ex varietate lectionis, quam continet editio Erfurdtii, Demetrii Triclinii Scholia metrica et Notae ineditae Car. Burneii. T. I. II. III. Londini 1819. 8.*

— pag. 156. extr. dele *et*. mox pag. 157. lin. 1. post 1819. adde: „quintum *Trachinias*, ibid. 1820."

— pag. 158. lin. 8. adde: *Tr. Fred. Benedicti* Observationes in VII Sophoclis Tragoedias. Lipsiae 1820. 8 mai.

Ibidem lin. 15. addas: *Ueber des Sophocles Aias*. Eine kritische Untersuchung, nebst zwei Beilagen von *Fr. Osann*, Berlin 1820. 8.

§. 80. p. 161. l. 24. Adde: *Euripidis Phoenissae* cum Scholiis Graecis. E recens. Valckenarii edidit, varietatem lect. indicemque verborum copiosiss. adiecit *Chr. G. Schutzius*. Editio secunda et aucta, Halae 1820. 8.

— ead. pag. lin. 3 a fine addas: *Euripidis Hecuba et Phoenissae* in usum Scholar. accurate editae et illustratae. Adiecta est Elementorum metricae disciplinae succincta expositio secundum G. Hermanni rationem, Stendal 1820. 8.

§. 83. p. 172. l. 17. *Aristophanis Aves* nuper textu recognito in usum Scholar. edidit *Aug. Sanderus*, Hamm. 1820. 8.

— ead. pag. lin. 30. Nunciatur versio germ. metrica Comoediarum Aristophanis auctore I. H. Vossio propediem proditura: *Aristophanes Lustspiele von Hofrath I. H. Voss. Mit erläuternden Anmerkungen von seinem Sohne, dem Prof. Voss. III. Bände.*

INITIA
HISTORIAE GRAECORVM
LITTERARIAE

SECVNDVM EDIDIT

GODOFR. ERNESTUS GRODDECK

AVGVSTISSIMI ROSSORVM IMPERATORIS A CONSILIIS STATVS, ORDINIS EQV. S. VLADIMIRI IV. CL. LITTERAR. GRAEC. ET ROMAN. IN ACADEMIA CAESAREA VILNENSI PROF. P. O. EIVSQVE BIBLIOTHECAE PRAEFECTVS. REGG. SOCC. DOCTRINAR. GOTTINGENSIS ET PHILOM. VARSAVIENSIS AMICVS ET FAMILIARIS. CVRONICAE LITT. ET AA. SODALIS ORD. ARCHIDVC. LATINAE IENENSIS SOCIVS HONORARIVS

PARS POSTERIOR

VILNAE

SVMTIBVS IOSEPHI ZAWADZKI

MDCCCXXIII

Licet imprimatur: ea tamen lege, ut excusus liber ne prius veneat, quam apud *Censorum Collegium* deposita sint eiusdem exempla quae nuncupamus, primum videlicet in Collegii dicti usum; duo ad Ministerii institutionis et educationis tabellarium; quartum et quintum ad CAESAREAM Bibliothecam publicam; sextum ad CAESAREAM Doctrinarum Academiam; septimum ad CAESAREAM Litterarum Vniversitatem Aboënsem mittenda. Vilnae Kalendis Novembr. MDCCCXXIII.

Michaël Bobrowski Can. Cathedr. Brest. Ruthen.
Prof. Extraord. Univ. Vilnen. Coll. Cens. Sod.

INDEX PARAGRAPHORUM

Aetas Tertia a morte Alexandri Macedonis usque ad Constantinum M.

Tabvla Scriptorvm Graecorvm

Qui a Constantini M. inde temporibus usque ad Imperii Byzantini finem innotuerunt.

AETAS TERTIA.

Litterarum Graecarum status vicesque sub PTOLEMAEIS et ROMANORUM DOMINATIONE a morte ALEXANDRI MACEDONIS usque ad CONSTANTINUM MAGNUM.

324 A. CH. — 323 AERAE CHRIST.

Disciplinarum severiorum pariter atque elegantiorum, Grammatices, Critices, multaeque et exquisitae doctrinae studia maxime florent *Alexandriae* Aegypti.

ERATOSTHENES — LONGINUS.

§. 106.

Graecarum post Alexandri fata litterarum faciem valde immutatam esse, historiarum aeque ac scriptorum monumenta testantur. Magna ingenia, quorum nisu sublimi *poëseos* varia genera cum historia et eloquentia ad summum artis fastigium erant evecta, partim diu defecerant, partim nunc demum defecerunt. Successere poëtae, ingeniosa quidem veterum imitatione commendabiles, tum sermonis puritate, cultu, elegantia insignes, sed quibus inveniendi facultas pariter defuit ac *spiritus acer*, *mens divinior* atque *os magna sonaturum*. *Oratorum* porro studia Sophistarum et Rhetorum artibus et argutiis cesserant. Cunctorum autem in arte aut disciplina qua-

1

dam excellentium virorum animos *multae* et *variae doctrinae* (*polymathiam* Graeci vocant) cepit *amor et studium*; fabularum et historiae antiquae rerumque mirabilium investigatio curiosa, que vel *historicorum* huius aetatis maiori parti fraudi fuit. Repertus hinc primum est *ordo* quidam *eruditorum*, *Grammaticorum* nomine notus, qui ab omni reipublicae tractatione exclusi, in otio et litteris vitam consumerent, quique omnibus doctrinae copiis instructi, praesertim historiarum et antiquitatis exploratores peritissimi, cum artium politiorum et disciplinarum severiorum studiis linguae Graecae scientiam accuratiorem coniungerent, veterumque scriptorum omnis generis exemplaria emendandi, interpretandi et subtilius diiudicandi artem, ab *Homericis* orsi carminibus, primi excolerent traderentque: unde *Philologiam* cum partibus suis praecipuis, *Grammatica* proprie dicta, *Critica* et *Hermeneutica*, originem et incrementa satis ampla duxisse notum est. Quarum causas mutationum praecipuas si quaesiveris, reperiri eae primo videntur in ipsa ingenii humani indole ac natura, quod, ubi summa quaevis attigit, de fastigio isto sensim delabitur, ipsaque exemplorum magnitudine et copia velut depressum, aut, quos superare se vel tantum assequi posse diffidit, eorum incitatum cursum a longinquo sequi, dotesque ac virtutes clarissimas saltem imitando exprimere et adumbrare conatur; aut nativi sensus, simplicitatis et leporis defectum, quaesito et operoso ornatu, pigmentis fucoque puerili frustra compensare studet. Cf. *Wyttenbachium* in Bibl. Crit. P. V. p. 11. Maiorem vero, ad infringendum ingeniorum vigorem, studiaque litterarum et genus scribendi mutanda, vim attulit rerum et civitatum Graecarum status a pristino nimium quantum diversus, ex quo Graeci, imprimis Athenienses, suas res ipsi curare desierant, Macedonum primo, mox Romanorum imperio subiecti. *Alexandri* quidem expeditionibus licet sermo et litterae Graecae per plures disseminatae terras, rerumque ac hominum et populorum notitiae insigniter auctae fuerint: illud tamen et linguae puritati ac nativae elegantiae, et litteraturae indoli sincerae, omnisque peregrinitatis, ut ita

diram, adhuc experti, haud parum obfuit; hi vero scientiae auctus et incrementa, quamvis per se magni facienda, multiplici tamen doctrina magis onerabant quam exercebant ingenia, eoque ipso vires et impetum eorum frangerent et inhiberent necesse erat. Quo minus utrumque hoc accidisse miremur, quum post Alexandri mortem immaturam, bellorum civilium, undique erumpentium, ingruente calamitate, litteris e Graecia Asiaque pulsis, *Alexandriae*, nova et amplissima urbe, in ipsis utriusque orbis confiniis sita, civiumque et exterorum frequentia, commerciis, opibus, luxu regali mirabiliter florente, perfugium et receptaculum tutum et honorificum pararet *Ptolemaeorum* primorum munificentia, in litterarumque studia amor singularis: condito praesertim *Museo*, primo ac fortasse unico per terrarum orbem doctissimorum hominum contubernio atque convictu, regiis sumtibus liberaliter sustentato, ac *duplici Bibliotheca*, a librorum copiis instructissima; altera in *Bruchio*, Alexandriae urbis parte pulcherrima, regumque sede; altera, quae serius accessisse videtur, in *Serapeo*. Quae tot et tanta doctrinae reique litterariae in dies magis succrescentis instrumenta et opportunitates, accedente haud multo post *regum Pergamenorum*, maxime *Eumenis* et *Attali* II. (197 et 159 ante Ch, n.), simili litterarum studia promovendi ardore, et cum Ptolemaeis contentione, fieri non potuit, quin infinita legendi, operoseque congestam doctrinam scriptis ostentandi cupidinem accenderent, et virorum doctorum diligentia ad ea litterarum studia converteretur, quae tum maxime niterent, regumque cura et vulgi opinione prae ceteris alerentur expeterenturque. — Ceterum etsi Alexandriam litterarum per huius aetatis decursum sedem et domicilium fuisse diximus; eas tamen e Graecia, Asia, insulisque Graecis prorsus exulasse, minime credendum. Neque *Athenae* antiquam, litterarum artiumque studiis partam, non diu servarunt gloriam: in qua cultissima urbe et ineunte hac aetate *Comoedia nova* floruit (§. 82. 84.), et *philosophorum* atque *rhetorum* scholae, vel *sub Romanorum dominatione*, admirabili fama viguerunt, adeo ut *victa* urbs artium dul-

cedine studiorumque humanitate *ferum cepisse victorem* diceretur.

Heynii Prolusio *de Genio Saeculi Ptolemaeorum* cum einsdem Auctario in Opusc. Acad. Vol. I. p. 76—134. — Essai historique sur l'école d'Alexandrie, et coup d'oeil comparatif sur la littérature grecque, depuis Alexandre le Grand jusqu'à celui d'Alexandre Sevère. Par *Jacques Matter.* T. I. II. Paris 1820. 8.

§. 107.

Poëtarum Alexandrinorum, qui Ptolemaeorum temporibus maxime Alexandriae floruerunt, carminumque argumenta suorum plerumque ex fabulis antiquis, aut e subtili disciplina, ex astronomicis, physicis, geographicis et apotelesmaticis petierunt, *septem principes* in variis poëseos generibus numerasse et *Pleiadis* nomine comprehendisse videntur Grammatici Alexandrini, si fides habenda sit Tzetzae in vita Lycophronis, coll. Eustathio ad Odyss. ε' 272. Certior fama est *Pleiadis tragicae*, cui septem item poëtas, in tragico et satyrico dramate Ptolemaei Philadelphi temporibus excellentes, adscriptos esse legimus ap. Schol. Hephaestionis p. 32. et p. 93. ed. Pauw. De quibus tamen ipsis, quinam fuerint, variae scriptorum et discrepantes sunt sententiae. Vide *Aug. Ferd. Naekii* Schedas Criticas, Halis Saxon. 1812. 4. p. 1—3. Cf. Fabricium Bibl. Gr. Vol. II. p. 318 Harl. *Ruhnkenium* in hist. crit. Orator. graecor. p. 95. *I. F. Leisnerum* de Pleiade Tragicorum Graecorum, Gizae 1745. 4. *A. M. Nagelium* de Pleiadibus veterum Graecorum, Altdorf. 1762. 4. — *Septem* vero illi in Pleiadem poëtarum varii generis relati, quorum, uno *Homero*, Moerus *) poëtriae Byzantiae filio, cuius olim *tragoediae* XLV aut LVII legebantur, excepto, nonnullae carminum reliquiae hodieque supersunt, fuere *Lycophron*, *Theocritus*, *Callimachus*, *Aratus*, *Apollonius Rhodius*, *Nicander*, et, quem modo diximus, iunior *Homerus*.

---

*) *Moerus* a *Μοιρώ*, non *Myrus*. Vid. *Salmasium* de usura p. 42. *Iacobsii* Animadvv. ad Anthol. Gr. T. XIII. p. 920.

§. 108.

Horum, sive ingenii florem spectes, sive carminis quo excelluit Veneres, primas sine ulla dubitatione tenet *Doricae* Musae eximius interpres, *Theocritus* Syracusius, regnantibus in Aegypto Ptolemaeo Philadelpho et Hierone II. in Sicilia clarus, circa Ol. CXXV. 4. a. Ch. 277., quem Alexandriae aliquantum temporis degisse constat, *Arato* poëtae familiarissimum. Is Siciliam, patriam suam, illustravit carminis *bucolici*, si non inventione, (nam pastoricii cantus origo et mos longe antiquior in ipsa Sicilia esse videtur, et *Stesichori*, lyrici poëtae itidem Siculi, iam laudari *μέλη βουκολικὰ* vidimus §. 40. T. I. p. 59.; ipse autem Theocritus (Idyll. VII. 27. et 40.) *Lycidam* Cretensem, Samium *Asclepiadem* et Coum *Philetam* in bucolico carmine ante se floruisse fatetur *);) certe perpolitione, qua tantam nactus est celebritatem, ut in tenui hoc et molli poëseos genere plurimorum sententia princeps haberetur. Carmina autem Theocritea, *triginta* numero, quae sub *Idylliorum* (*Εἰδύλλιον*), i. e. breviorum miscelli fortasse argumenti carminum, nomine leguntur, *dorica* maximam partem dialecto, quamquam ad *Ionismi* mollitiem in nonnullis inclinante, composita, neque unius generis esse, nec Theocritum omnia auctorem habere, nemo dubitet. Quae vere *bucolica* dixeris, tertiam fere partem implent duntaxat. Reliqua aut *epicorum* fragmenta sunt, ut XIII. *Hylas*. XXII. *Dioscuri*. XXIV. XXV. *Heracliscus* et *Hercules λεοντοφόνος*, quorum auctorem fuisse *Panyasin* suspicatur vir doctus **); aut *Mimorum* imitationes, ut *Venefica* II. et *Adoniazusae* XV. (§. 86.) in quibus mulieres Syracusiae inducuntur Adonidis festum Alexandriae celebrantes; aut *mixti* argumenti, modoque *lyricis* carminibus, modo *lusibus* meris annumeranda. Atque alios etiam auctores prodere videntur viris doctis VIImi idyllii vss. 52—90. ab eruditissimo censore huius libri Ienensi pro

---

*) Cf. Moschus Id. III. 94—99.

**) Fr. Schlegel in Geschichte d. Griech. Poesie p. 201.

Lycidae Cydonii insigni fragmento, a Theocrito servato, habiti; XVII. Encomium Ptolemaei. XVIII. Epithalamium Helenae. XII. *Ἀΐτης*. XIX. *Κηριοκλέπτης*. XX. Bubulcus. XXVI. Bacchae Pentheum discerpentes. XXVII. *Ὀαριστύς*. XXIX. *Παιδικά*. XXX. Epicedium in Adonidem, cet. Vide *Brunckium* in Analect. Graec. T. I. *Manso* in *Nachträgen zu Sulzer* etc. T. I. p. 90 sqq. *Eichstadium* in libello qui inscribitur: Adumbratio quaestionis de carminum Theocriteorum ad genera sua revocatorum indole ac virtutibus, Lipsiae 1793. 4. et *E. Reinholdum* de genuinis Theocriti carminibus et supposititiis Ienae 1819. 8. — Idylliis subiunguntur his insuper XXII Epigrammata, Theocrito adscripta. — Quae Musae Theocriteae reliquiae in pulcherrimis antiquitatis Graecae monumentis merito reponuntur. „In summa simplicitate mira aliqua suavitas, in aliis venustas et *χάρις* aulae et caeli temperatam aliquam et mixtam mollitiem spirat" *).

Codices Mss., quibus etiam *Scholia* Graeca veterum et recentiorum Grammaticorum in Theocritum, modo auctiora, modo contractiora, passim adscripta sunt, alii plura, alii pauciora carmina Theocritea continent. Eorum notitiam dedere *Reiskius* et *Wartonus* in Theocriti editionibus quas curarunt. — Post *editionem principem* Mediolanensem 1493. fol. cum Hesiodo et Isocrate (§§. 27. 90.) quae nonnisi XVIII idyllia exhibet; *Aldinam* cum Hesiodo et Gnomicis, Venetiis 1495. fol.; *Iuntinam*; *Romanam* curante *Zachar. Calliergo* 1516. 8. et *Stephanianas*, inter Poëtas pr. her. carm. 1566. fol. et cum Bione et Moscho aliisque minoribus poëtis 1579. 12. — potiores sunt: *Dan. Heinsii* 1604. 4. — *I. I. Reiskii* Gr. et Lat. cum Scholiis Graecis Notisque, Lipsiae 1765. II Voll. 4. — *Thom. Wartoni* cum Scholiis auctioribus et *Io. Toupii* epistola et animadversionibus in Scholia, Oxonii 1770. II Voll. 4. — *L. C. Valckenarii*, primo *Selecta Idyllia cum Adoniazusis* et doctissimo commentario, Lugd. Bat. 1773. 8. dein *cuncta* complectens, una cum Bionis et Moschi illis, ibidem 1779 et 1781.

*) Heynii verba sunt in Opusc. Acad. T. I. p. 98.

8. repetita ab *Heindorfio*, additis Brunckii et Toupii commentariis integris, Berolini 1810. II Voll. 8. — *Brunckii* in *Analectis vett. poët. Gr.* T. I. Argentorati 1772. 8. nova recensio. — *Harlesii*, Lipsiae 1780. 8. — *Fr. Iacobsii*, Gothae 1789. 8. — *I. C. G. Dahlii*, Lipsiae 1804. 8. — Splendidae editiones sunt *Parmensis*, typis *Bodonii*, cum *Bern. Zamagnae* interpr. Lat. metr. 1791 sq. II Voll. 8. tum *Lipsiensis* apud Tauchnitzium 1811. fol. max. moderante *G. H. Schaefero*, cuius viri doctissimi curis paullo ante nitida et accuratissima editio Theocriti, cum Bione et Moscho prodierat ibidem, apud Eumd. 1809. duodenis, cum brevi notatione emendationum. Nuper denique accessere editiones *Theoph. Kiesslingii*, Gr. et Lat. contextu recognito, cum animadverss. Harlesii, Schreberi, aliorum excerptis, suisque Lipsiae 1819. oct. mai. — *I. Geelii*, cum vett. Scholiis ad fidem optim. editt. recensita, et annotatione critica in Scholia, Amstelod. 1821. 8. — *I. A. Iacobsii*, una cum Bionis et Moschi carminibus, Graece cum Scholiis in Theocritum, Var. lectt. etc. Halae 1821. 8. — *T. Briggsii*, Poëtae Bucol. Graeci, sive Theocriti, Bionis et Moschi quae supersunt, cum notis Varior. et suis, Cantabrig. 1821. 8. — Nova etiam Theocriti, Bionis et Moschi reliquiarum recensio cum Scholiis Graecis et plenissimis Viror. Doct. Commentariis nunciata est, studio *Godofr. Hermanni* Lipsiae propediem proditura. De *versionibus* Theocriti, quarum ingens numerus, cf. Harlesius ad Fabric. T. III. p. 992 sq. in Introduct. etc. T. I. p. 521. et in Supplem. ad Introd. T. I. p. 257 sqq. Commemoramus: *Idylles de Theocrite* avec des observations littéraires et critiques par *I. B. Gail*, Parisiis III Voll. 1808. 4. — Theocritos, Bion und Moschos von *Ioh. H. Voss* Tubing. 1808. 8. — Theokrits Idyllen u. Epigramme, übersetzt von *Ioh. Witter*, Hildburgh. 1819. 8.

(*Com. a Finkenstein*) *Arethusa*, oder die bukolischen Dichter d. Alterthums. Berolini 1789. 4. Ed. secunda ibid. T. I. 1806. T. II. 1810. 8. mai. — *Io. Toupii* Curae posteriores in Theocritum, Londini 1772. 4. — *C. W. Ahlwardt* Zur Erklärung der Idyllen Theokrits, Rostock. 1792. 8. — *Manso* et *Eichstädt* v. supra. — *Henr. Vossii* Notae in Theocr. Heidelb.

1813. 4. — *F. C. Rumpfii* Obss. in Theocriti Idyll. IVtum, Giessae 1814. 4. — *A. Matthiae* De carm. Theocriteo XXIX Altenb. 1815. 4.

§. 109.

Theocrito, secundum nonnullos, aequales, et in carmine bucolico aemuli, floruerunt *Bion* Smyrnaeus, et *Moschus* Syracusanus, de quorum vita nihil comperti habemus. Utriusque nonnulla supersunt Idyllia et carminum fragmenta, *dorice* scripta, sententiarum delectu et suavitate aeque laudanda ac venustate et elegantia elocutionis; Theocriteis tamen simplicitatis et naturalis nitoris laude inferiora. *Bionis* integrum et venustum carmen est *Epithaphium Adonidis*, a nonnullis Theocrito adscriptum. *Moschi* potiora eademque integra sunt: Ἔρως δραπέτης s. *Amor fugitivus*; *Europa*; *Megara*; et *Epithaphium Bionis*, pastoralium carminum auctoris nostri. Utriusque, Bionis et Moschi, reliquiae, in codicibus Mss. pariter atque in editionibus, Theocriteis carminibus subiectae leguntur. *Editiones* potiores sunt *H. Stephani* inter Poëtas princ. — *Nic. Schwebelii* cum notis et verss. metricis, Latina et Gallica *Longepierrii* (quae cum obss. egregiis prodiit Parisiis 1686 et 1691. 12.) Venetiis 1746. 8. — *Io. Heskinii*, cum notis varior. suisque, Oxoniae 1748. 8. — Ex quibus fluxere edd. *Io. Ad. Schierii*, Lipsiae 1752. 8. et *Harlesii* Erlangae 1780. 8. — Cum Theocrito *Valckenarii*, Lugd. Bat. 1779. et 1781. 8. — Cuius recensionem secutus *Fr. Iacobsius*, Bionem et Moschum edidit Gothae 1795. 8. — *Brunckius* in Analectis T. I. — *Gilbert Wackefield*, Londini 1795. 8. — *Schaeferus* cum Theocrito Lipsiae 1809. 12. Denique *C. F. Manso* cum interpr. metrica et notis Germanicis, praemissis commentationibus *de vita et aetate horum poëtarum*, *eorumque carminum indole*, editionibus et versionibus, Gothae 1784. 8. et nuper multo emendatius Lipsiae 1807. 8.

§. 110.

E *Tragicorum* Alexandrinorum, eiusdem fere aetatis, *Pleiade*, iam ante commemorata, cui *septem*,

quid? si Strabonis (XIV. p. 675.) et alterius Schol. ad Hephaest. p. 32. Pauw., de *Dionyside* testantium, auctoritas haud spernenda videtur, *octo* poëtae, *Sosiphanes*, *Sositheus*, *Homerus* iunior, *Alexander* Aetolus, *Lycophron*, *Philicus* sive *Philiscus*, *Aeantides* et *Dionysides* erant adscripti, *unius Lycophronis* Chalcidici, poëtae et Grammatici, Theocrito aequalis, circa Ol. CXXV. 4. ante Ch. n. 277., superest *Monodia* (*μονῳδία*) quaedam integra, sed obscurissima intellectuque difficillima, *Cassandrae* sive *Alexandrae*, Troiae excidium variaque id insecutura mala *iambis* perpetuis vaticinantis, nomine inscripta, quae fabularum cuidam quasi pelago comparanda, doctrinaque reconditiore nimium quantum laborans, ad saeculi huius indolem cogitatione informandam multum confert. Carminis obscuritas et operosa doctrina effecerunt, ut inter veteres iam Grammaticos commentariis illud explicare tentarent plures, quorum excerpta eruditis *Scholiis* continentur, quae multis ineptiis et recentiorum suisque quisquiliis interpolata servarunt fratres *Tzetzae*, infimae graecitatis scriptores saeculi XII., qui coniuncta opera scholia haec composuisse videntur doctissimo *Müllero*, ita tamen, ut *Isaacus* ea primum ederet, *Ioannes* vero recognosceret, emendaret, ac multis partibus augeret: unde duplex horum scholiorum recensio erit statuenda, quae in diversis codicibus adhuc multis se prodit indiciis. Praeter Tzetzianos hos commentarios, alia etiam exstant in laudatum Lycophronis carmen *Scholia minora*, spatiis versuum in Codd. Vitebergg. interposita, non unius, ut videtur, quum aetatis, tum auctoris, sed Tzetzae temporibus partim longe priora, quae, quum interpretationem poëtae eximie iuvent, a Müllero nuper primum vulgata sunt. — Sed etiam *tragoediarum* LXIV aut XLIV auctor Lycophron perhibetur Tzetzae, quarum *viginti* nomina refert Suidas. Dramatis autem satyrici, quod ad irridendos philosophos compositum, *Menedemi*, Eretricorum familiae parentis (§. 64.), nomine inscripserat, vel fragmenta nonnulla servarunt Diogenes Laërtius et Athenaeus, quo teste etiam opus litteratum *de Comoedia* (*περὶ Κωμῳδίας*)

conscripsit, in plures libros divisum, quorum *nonum* excitat idem Athenaeus XI. p. 487.

De *Codicibus* mss. Lycophronis v. Harlesium ad Fabric. T. III. p. 758. et Müllerum in Scholiis ad Lycophronem T. I. p. LXXX—LXXXVI. — *Editio princeps* est *Aldina* cum Pindaro, Callimacho et Dionysio Perieg. Venetiis 1513. 8. — Cum Tzetzianis commentariis primum editus est Basileae ex Officina Io. Oporini 1546. fol. Consecutae sunt editiones *Guil. Canteri* cum duplici interpretat. Latina, Canteri, et Ios. Scaligeri metrica, notisque Canteri, Basileae 1566. 4. cum commentario *Meursii* Lugd. Bat. 1597. 8., et cum Tzetzae commentariis, Genevae 1601. 4. tum optima et locupletissima cum Scholiis Graecis, interpretatt. notisque variorum, cura *Io. Potteri*, prior Oxoniae 1697, posterior, eaque auctior minusque obvia, ibidem 1702. fol. ex qua et Canteriana partim expressa est recentior *H. G. Reichardi*, Lipsiae 1788. oct. mai. — Posthac studio et impensis *Leop. Sebastiani* prodiit Lycophronis Alexandra, ut ipse tradit, ope XVI Codd. mss. restituta, cum interpretatione, accurata paraphrasi, et commentario Tzetzarum ex posteriore Potteri editione, ad fidem XIII Codd. mss. bis mille ferme in locis emendato, notabiliter aucto, *Latine reddito* (!) et illustrato, Romae 1803. 4 mai. Cuius editionis indigestam molem excussit, simulque Reichardi operam egregie supplevit *Chr. Gottfr. Müllerus* vulgato libro qui inscribitur: *Isaaci et Ioannis Tzetzae Scholia in Lycophronem*, lectionibus editionis Sebastianae variis praemissis et recensitis, ad supplendam et absolu. edit. Reichard. e tribus Codd. Mss. Viteb. unoque Cizensi, nunc primum collatis, emendavit, notis, quum *G. F. Thryllitzschii*, tum suis, illustravit, *Scholiis minoribus* nondum editis auxit, *commentarios Meursii et Potteri* addidit, et *Indicibus instruxit uberrimis* C. G. M. Lipsiae 1811. III Voll. 8 mai. Itaque praeclaro studio effecit Müllerus, ut non solum universo ad Lycophronem apparatu rite digesto, sed etiam variae doctrinae copiis, quas Scholia haec suppeditant, nunc demum fruamur.

§. 111.

Quae de reliquorum Pleiadis Tragicorum nominibus ac reliquiis passim memorantur, diligenter et erudite nuper persecutus est *A. F. Naekius* in *Schedis Criticis* ante laudatis. *Sosiphanis*, Sosiclis filii, qui ceteros aetate anteisse videtur, paucissima quae supersunt fragmenta etiam collegit auxitque p. 28 sq.; in his pulcherrimum, a Stobaeo Serm. XXII *περὶ ὑπεροψίας* p. 187 servatum, animi causa hic apponere iuvat:

Ὦ δυςτυχεῖς μὲν πολλά, παῦρα δ' ὄλβιοι
Βροτοί, τί σεμνύνεσθε ταῖς ἐξουσίαις,
Ἃς ἕν τ' ἔδωκε φέγγος, ἕν τ' ἀφείλετο;
Ἂν δ' εὐτυχῆτε μηδὲν ὄντες, εὐθέως
Ἴσ' οὐρανῷ φρονεῖτε, τὸν δὲ κύριον
Ἅιδην παρεστῶτ' οὐχ ὁρᾶτε πλησίον.

De *Sositheo* veteris Satyricae pariter ac Tragoediae restitutore, quem alii Sosibium edunt, eiusque *Satyris* supra egi T. I. §. 85 extr. Vid. nunc Naekium l. l. p. 4—6.

Alexandri, cognomine *Aetoli*, quod Pleurone ortus erat, docti poëtae et Grammatici, Ptolemaeo Philad. aequalis, praeter *tragoedias*, laudantur etiam duo carmina, *Apollinis* aliud, aliud *Musarum* nomine inscriptum, elegiaco metro utrumque, quorum fragmenta exstant apud Athenaeum, Strabonem, Gellium, Parthenium. Eum a posteriore huius nominis poëta *Alexandro*, sed *Ephesio*, cui cognomen *Lychno* fuit, *astronomici* vel *cosmographici* carminis auctore, cuius fragmentum Thomas Galeus in Addendis ad Parthen. p. 49 sqq. et Schneiderus in Commentariis ad Vitruv. p. 23. ediderunt, sedulo distinguendum esse, post alios, in primis docte et copiose docuit *Naekius* l. l. p. 7—18. De hoc *Ephesio*, non de Aetolo, dicere intelligendus est Cicero ad Attic. II. 20. „A Vibio libros accepi: poëta ineptus: nec tamen scit nihil: et est non inutilis. Describo et remitto.“ II. 22. „Libros Alexandri, negligentis hominis, et non boni poëtae, sed tamen non inutilis, tibi remisi.“

Inter *Comicos* Alexandrinos, quorum vix tanta vel frequentia vel celebritas fuisse videtur, quanta hoc ipso tempore Athenis in *Comoedia nova*, eminuit *Macho* Sicyonius, Ptolemaeo IV. Philopatore regnante (221 a. Ch. n.), ut videtur, clarus; cui de partibus Comoediae praecipienti Aristophanes Byzantius, tum iuvenis, operam dedisse dicitur Athenaeo VI. p. 241. E., quique eodem auctore XIV. p. 664 A. ἀγαθὸς ἦν ποιητής, εἴ τις ἄλλος, τῶν μετὰ τοὺς ἑπτά. ad quem locum vide notam Schweighäuseri. Eiusdem *Machonis* fuit carmen iambicum, Χρεῖαι inscriptum, in quo varia variorum ἀποφθέγματα vel ἀπομνημονεύματα i. e. *memorabilia* vel *facete dicta* ad varium *usum* (hinc nomen Χρεῖαι) inservientia, collegerat: in his etiam plura meretricum Atheniensium (ἑταιρῶν) dicta, quae Athenaeus excerpsit XIII. p. 577 sqq. Cf. idem Athenaeus l. VIII. p. 348 D. ibique Schweighäuserus, et Ruhkopfius ad Senec. Ep. XXXIII. 6. Wielandi Mus. Attic. Vol. III. P. I. pag. 28.

§. 112.

Poëtae itidem et Grammatici nomine inter septem illos clarissimus fuit *Callimachus* Cyrenaeus, a Batto, patriae urbis in Africa conditore, *Battiadae* nomen adeptus, qui sub Ptol. Philadelpho et Euergete, inde ab Ol. CXXVII. a. Ch. 272. floruit, *Museo* Alexandrino adscriptns, Eratosthenis, Aristophanis Byzantii et Apollonii Rhodii praeceptor. Eius *carmina scriptaque historica* atque *grammatica*, quae incredibili paene numero reliquisse dicitur, praeter *Hymnos*, *unam elegiam* εἰς Λουτρὰ τῆς Παλλάδος, (quam vulgo inter hymnos relatam, primus *Blomfieldius* in editione sua mox commemoranda ab hymnis separavit, et elegiis, quarum metro etiam composita est, adscripsit), et *Epigrammata*, dispersaque multorum aliorum fragmenta, cuncta interierunt. Indicem vide ap. Fabric. T. III. p. 815 sqq. In his celebriora, versu decurrentia, fuere: 1) *Elegiae*, in quibus, post Ceum *Simonidem*, *Hermesianactem* et *Phanoclem* (§. 31. extr.), cum Coo *Phileta*, principis poëtae nomen meruit, inter Latinos imitatorem nactus *Propertium*. Ad eosdem

elegos referenda videtur Callimachi *Cydippe*, ab Ovidio laudata, de Remed. Am. 380 sq. et fortasse expressa in eiusdem Heroid. XX sq.; tum carmen *de coma Berenices*, a Catullo Latine factum, nr. LXVI. 2) *Αἴτια* sive *de originibus* et *causis fabularum rituumque antiquorum*, libris IV., metro heroico. Vid. Valcken. ad Eleg. Frag. p. 8. 3) *Hecate*, epici et argumenti et formae poëma. 4) *Ibis* sive Dirae in *Apollonium Rhodium*, discipulum quem putabat ingratum: quod carmen, ut cetera huius poëtae *), reconditae copiis doctrinae refertissimum, sua *Ibide* expressit *Ovidius*. Opera prosaria historica et litteraria Callimachi, quibus aegre caremus, sunt *Ὑπομνήματα* sive *Commentarii* (*Mémoires historiques*); *Κτίσεις νήσων καὶ πόλεων*, *Origines insularum et urbium*; *Θαυμάσια* sive *Mirabilia*; *Μουσεῖον* sive *Notitia de Museo Alexandrino*, a Ptol. Philadelpho condito; denique, quod prae ceteris desideratur, opus, ut videtur, amplissimum, quod universum Scriptorum et librorum Graecorum *criticum* recensum continere debuit, hoc indice: *Πίναξ παντοδαπῶν συγγραμμάτων* vel *Πίνακες τῶν ἐν πάσῃ παιδείᾳ διαλαμψάντων καὶ ὧν συνέγραψαν, ἐν βιβλίοις ρκ'.* i. e. *Tabula* sive *Index eorum qui in quavis disciplina claruerunt, eorumque quae scripserunt*, libris CXX. Ab hoc etiam diversus, neque superioris tantum pars, ut Fabricio placet l. l. p. 822., fuisse videtur *Πίναξ Didascaliarum*, Suidae sic laudatus: *Πίναξ καὶ ἀναγραφὴ τῶν κατὰ χρόνους καὶ ἀπ' ἀρχῆς γενομένων Διδασκαλιῶν*, de quarum nomine et argumento conferas disputata §. 77 extr. T. I. p. 249.

Supersunt Callimachi *Hymni epici quinque* in *Iovem*, *Apollinem*, *Dianam*, *Delum insulam*, *Cererem* vel in *Cereris calathum*, ut est in Cod. Ms. Platonis Clarkiano, *ionica*; quibus vulgo additur *sextus*, quam *Elegiam* rectius appellandam esse dudum monuimus, *in Lavacrum Palladis*, *dorica* scriptus dialecto; tum Epigrammata LXXIII. iam veteribus tam

*) Cuius pariter ac Lycophronis et Euphorionis explicatio veteres Grammaticos valde exercuit, teste Clemente Alex. Strom. V. p. 676. Potter.

obscura visa, ut plures Grammatici iis explicandis operam darent, maxime *Archibius*, Apollonii Sophistae pater. Quae paucae reliquiae quum doctrinam poëtae variam ac subtilem, tum poëtici sermonis quo utitur puritatem, concinnitatem et elegantiam abunde testantur.

Ut *Codices Mss.* Callimachi neque multi, nec valde antiqui reperiuntur: (censum vide ap. Fabric. l. c. p. 824.) ita *Scholia Graeca* in Hymnos, quae exstant, admodum recentem produnt auctorem. — Post *editionem principem Florentinam*, curante *Lascari*, sine loci et anni indicio, rarissimam, notandae sunt: *Aldina* cum Pindaro et Lycophrone, Venetiis 1513. 8. — *Frobeniana*, Basileae 1532. 4. — *Stephanianae* duae, inter poëtas pr., et seorsum cum Scholiis Gr., vers. Lat. *Frischlini* notisque, et fragmm. Genevae 1577. 4. — *Annae Fabri* fil. Parisiis 1675. 4. — maxime vero *Graeviana* cum doctis commentariis *Ezech. Spanhemii* et Fragmentis, a *Rich. Bentleio* insigniter auctis, Ultraiecti 1697. II Voll. 8. typis recusa, et multis egregiis additamentis ornata et aucta ab. *Io. Aug. Ernestio*, Lugd. Bat. 1761. II Voll. 8. — Post *Brunckium* in Analectis vett. Poët. Graec. T. I. — nuper *C. I. Blomfieldius*, Porsonii discipulus, Callimachi quae supersunt recensuit, et cum notarum delectu edidit Londini 1815. oct. mai. Minores, in usum lectionum adornatae, editiones duae haud pridem prodiere Lipsiae, altera sumtibus Weigelii 1817. 8., altera 1818. 8. cura *H. F. Volgeri*, cuius maior etiam editio et nova recensio cum commentario perpetuo propediem lucem visura nunciatur. Denique exspectatur editio Callimachi, studio *Car. Guil. Göttlingii*, hoc indice nunciata: Call. Cyr. quae supersunt. Textum ad Codd. fidem recensuit, Scholia et Fragmenta ex libris Mss. auxit, notas selectas H. Stephani. R. Bentleii, I. A. Ernestii, D. Ruhnkenii, Valckenarii, alior. et suas adiecit *C. G. Göttling*. Lipsiae 8 mai. — *Callimachi Elegiarum fragmenta a Valckenario* collecta atque illustrata, separatim edidit *Io. Luzac*, Lugd. Bat. 1799. 8.

Interpretatt. Latinas hymnorum mètricas confecerunt H. Stephanus, B. Vulcanus, Fr. Sabinus, Nic. Frisch-

linus, A. Politianus: quas cum *Italica* Ant. Mar. *Salvinii* in Callimachi editione sua vulgavit *A. M. Bandini*, Florentiae 1764. 8. *Gallicam* una cum contextu Graeco notisque edidit *De la Porte du Theil*, Parisiis 1775., insertam *I. B. Gailii* Collection d'auteurs Grecs, ibidem 1795. II Voll. 18. — et nuper *Petit-Radel*, Parisiis 1808. 8. *Anglice* hymnos verterunt *Will. Dodd*, Londini 1755. et *Tytler*, addito Graeco textu 1793. 4. *Germanice C. A. Küttner*, Altenburg 1784. 8. et Hymnos et Epigr. *C. W. Ahlwardt* cum notis, Berolini 1794. 8. nuperrime *Conr. Schwenk* Bonnae 1821. 8.

I. G. F. Manso in Nachträgen zu Sulzer T. II. p. 86 seqq. — *Dav. Ruhnkenii* Observatt. ad Callimachum; ad calcem libri inscripti: Dav. Ruhnkenii, Valckenarii et aliorum ad I. A. Ernestium Epistolae. Ex autographis edidit I. A. Tittmannus Lipsiae 1812. 8. — *C. G. Göttlingii* Animadverss. criticae in Callimachi Epigrammata et Achillem Tatium, Ienae 1811. 8.

§. 113.

Didactico carmine laudem sibi pepererunt *Aratus* et *Nicander*. Prior, Solensis Cilix, Theocrito et Callimacho aequalis, circa Ol. CXXVII clarus, *Persaeum* Stoicum, quem Athenis audiverat, ab *Antigono Gonata* rege in Macedoniam arcessitum, comitatus, quum regis gratiam iniisset, reliquum vitae tempus apud eum transegisse dicitur, eiusque hortatu condidisse carmen astronomicum nobilissimum, *Phaenomena* et *Διοσημεῖα* sive *Prognostica* inscriptum, in quo, quum Astronomiae ipse ignarus esset, *Eudoxi Cnidii* librum eiusdem indicis et argumenti, soluta compositum oratione (§. 102. T. I. p. 213.), ornatissimis atque optimis versibus expressit. Cicero de Orat. I. 16. Idem alia plura scripta, tum poëtica, ut *elegiarum* librum, tum prosaria, physici et grammatici argumenti, in his *Odysseae recensionem* (*διόρθωσιν*) reliquit, quae periere. Supersunt *Phaenomena* et *Diosemea* Arati, politissimum carmen, hexametris scriptum, veteribus, et Graecis et Romanis, tantopere probatum, ut plures eius quum interpretatt. tum commentarii nobilissimorum scriptorum ad tempora nostra

pervenerint. *Latino* enim carmine illud expresserunt *Cicero* admodum iuvenis, (v. De Nat. Deor. II. 41.), tum *Germanicus Caesar*, Drusi filius, Tiberii e fratre nepos, et *Rufus Festus Avienus*, saeculi Vti post Chr. poëta. Ciceronianae interpretationis sola fragmenta tenemus, in scriptis eius dispersa: at Germanici, liberior illa, Phaenomenorum Arati integra, cum Prognosticorum initio, et Avieni totius carminis interpretatio Latina hodieque exstant. Interpretationes has antiquas cum Graeco carmine Arati iunctim ediderunt, praeter alios, *Hugo Grotius*, et nostra aetate *I. Th. Buhlius*. Commentatorum vero Aratei carminis veterum magna pars intercidit. v. Fabric. T. IV. p. 92 sq. Superstites sunt: 1) *Hipparchi* Bithyni, centum prope annis Arato iunioris, in Phaenomena Arati et *Attali* in Aratum commentarios libri III. 2) *Achillis Tatii* Alexandrini Isagoge in Aratum. 3) duo Commentarii *anonymi*, quorum alter Eratostheni aut Hipparcho perperam tribuitur. Quatuor scripta haec in Arati Phaenomena Graece edita sunt a *Petro Victorio* Florentiae ap. Iuntas 1567. fol., tum Graece et Latine a *Dionysio Petavio* in *Vranologio* Parisiis 1630. fol. recusa Amstelod. 1703. fol. 4) *Scholia Graeca* in totum Arati poëma, *Theoni Alexandrino* vulgo sed falso tributa, praefixo *Leontii* Mechanici, qui Saec. VII. p. Ch. ineunte vixisse videtur, libello *de Sphaera Aratea*.

De *Codicibus* mss. Arati v. *Heilbronnerum* in Hist. Mathes. univ., *Buhlium* in praefat. ad Vol. I. editionis suae Arati; *Harlesium* ad Fabric. T. IV. p. 97, — et *de tribus codd. Vindobon. Epistolam criticam*, quam ad Buhlium meum, nimis maturo fato nuper exstinctum, dedi, insertam editionis laud. vol. IIdo.

Editionum censum instituerunt *Scheibelius* in *Astronomische* Bibliographie, et *Buhlius* in Prolegomenis ad Aratum. *Princeps* est *Aldina* cum aliis astronomicis scriptoribus, Venetiis 1499. fol. — *H. Stephanus* carmen Arateum recensuit ediditque inter Poëtas pr. her. carm. — Praestant editiones *Hugonis Grotii* in *Syntagmate Arateorum*, Lugd. Bat. 1600. 4. — *Io. Felli* cum Scholiis Gr. *Eratosthenis* Cata-

sterismis et *Dionysii* Hymnis *), Oxoniae 1672. 8. — locupletissima *Io. Theoph. Buhlii*, c. Scholiis Gr., *Leontii* de Sph. Ar. libello, et verss. poët. Lat. Cic. Germ. Avieni, aliisque additamentis Lipsiae 1793—1801. II Voll. 8. — denique nuperrima cum Eratosthenis Catasterismis, Dionysii Periegesi et Rufi Avieni utriusque poëtae metaphrasi. Curavit notasque adiecit *F. C. Matthiae*, Francof. ad Moen. 1816. 8 mai. Arati carmen *italicis* versibus reddidit *A. N. Salvini*, ab *A. M. Bandinio* cum Graeco contextu vulgatis Florentiae 1765. 8. — *polonicis Io. Kochanowski*, Craceviae 1585. et pluries.

Schaubachii Comm. de Arati Solensis interpretibus Romanis, Cicerone, Caesare Germ. et R. F. Avieno, Meiningae 1817. 4. — *Eiusd.* Novae editionis Arateorum, Cic. Germ. Caes. et R. F. Av. Specimen, ibid. 1818 sq. 4.

§. 114.

Nicander Colophonius, didacticorum alter, Medicus et Grammaticus, *Attali* II. Pergami regis, et Ptolemaei Evergetis II., Physconis dicti, temporibus floruit, circa Ol. CLV-CLX. ante Ch. n. 160—140. Eum in Aetolia diu commoratum esse, testantur commentarii eius deperditi, *τὰ Αἰτωλικὰ* inscripti, et a veteribus crebro laudati. Idem plura carmina reliquit quae interciderunt, in his *Georgica*, v. Cic. de Or. I. 16. **) quae Virgilius secutus esse dicitur Quintilia-

*) *Dionysius* hic poëta incertae aetatis est, quem nonnulli Dionysium cognomine *Iambum* fuisse suspicantur, qui circa Ol. CXLV. floruisse dicitur, et auctor duorum hymnorum *in Musam Calliopen* et *Apollinem* perhibetur, quos cum *Mesomedis* Cretensis, Hadriani Imp. liberti, hymno *in Nemesin* cum *notis musicis antiquis* ex Ms. Cod. Usseriano vulgavit *Fellus* ad calcem Arati. Cf. *Burette* in Memoires de l'Acad. des Inscr. T. V. p. 169 sqq. Fabric. B. G. T. II. p. 130. T. III. p. 644. et T. IV. p. 409. Harles.

**) „Etenim si constat inter doctos, hominem ignarum astrologiae, Aratum, ornatissimis atque optimis versibus de caelo stellisque dixisse; *si de rebus rusticis hominem ab agro remotissimum, Nicandrum Colophonium, poëtica quadam facultate, non rustica, scripsisse praeclare:* quid est, cur non orator de rebus iis eloquentissime dicat, quas ad certam causam tempusque cognorit?"

no X. 1. 56. — *Metamorphosium*, Graece τῶν Ἑτεροιουμένων, libros V. hexametro, quibus Ovidiano carmini praelusit. *Colophoniaca* eius, quorum *sextum* librum laudat Harpocratio in Πάνδημος, fortasse prosa erant scripta oratione.

Servata sunt *duo* Nicandri *carmina* hexametris condita: alterum *Theriaca*, sive de bestiis venenatis et adversus eas remediis; alterum *Alexipharmaca*, de Remediis adversus venena per cibum potumve hausta; utrumque sermonis nitore magis et elegantia quam rerum, ad naturae historiam artemque medicam spectantium quae eo continentur, respectu commendabile. Cf. *Hallerum* in Bibl. Bot. T. I. p. 54. *Sprengelium* Gesch. d. Arzn. T. I. p. 638. In utrumque carmen exstant *Scholia Graeca*, e veterum interpretum in Nicandrum commentariis excerpta, et *Eutecnii* Sophistae cuiusdam *Metaphrasis Graeca*, a *Bandinio* e codd. mss. primum in lucem protracta.

Codices mss. N. recensuerunt *I. G. Schneiderus* in praefat. ad Alexipharm. et *Harlesius* ad Fabric. T. IV. p. 350. — *Editiones* praecipuae, post *principem Aldinam* cum Dioscoride Venetiis 1499. fol., recusam ibidem 1522 sq. 4., sunt: *Io. Gorraei*, primo Alexipharmacorum cum Lat. interpr. metrica et notis, Parisiis 1549. 8., dein Theriacorum, ibid. 1556 sq. 4. — *H. Stephani* et *Iac. Lectii* in Poëtar. princ. Graecor. corpp. — *A. M. Bandinii* cum interpretatt. metricis, *Latina* Gorraei et *Italica Salvinii* ac *metaphrasi Graeca Eutecnii*, Florentiae 1764. 8. — *Alexipharmaca* separatim ex libris scriptis emendavit, animadversionibusque, et paraphrasi Latina illustravit *I. G. Schneiderus*, Halae 1792. 8. — Quibus nuper etiam alterius carminis multo emendatior accessit editio hoc indice: *Nicandri Theriaca*. Cum Scholiis Gr. auctioribus, Eutecnii Metaphrasi Gr., Editoris Latina, et carminum deperditor. Fragmentis, ad librorum fidem recensuit, emendavit et brevi annotatione illustravit *I. G. Schneider* Saxo, Lipsiae 1816. oct. mai. — Praeter memoratas interpr. exstant tres *Latinae Iac. Estevii* (Valentiae 1551. 8.), *Iac. Grevini* et *Euricii Cordi*; *Gallica* autem eiusdem *Grevini*, Antverpiae 1567. 4.

I. C. Zeunii Animadversiones ad Nicandrum. Vitebergae 1776. 4. — *Salmasius* in Solinum. — *Toupius* in Emendatt. in Suidam et Hesych. — *Dorvillius* ad Charitonem, passim.

§. 115.

Qui hactenus commemorati sunt e Pleiade Alexandrina poëtae, fere in argumento tenui ac subtili elaborarunt. „Qui vero spiritus sumere et ad heroici carminis gloriam adspirare ausus est, *Apollonius Rhodius*, politus, venustus, eruditus, ornatus poëta, in operis summa, eiusque inventione et ad epici carminis rationes dispositione, minus felix fuisse deprehenditur“ *). Natus is Alexandriae, et Callimachi discipulus, admodum iuvenis, quum edita a se carmina cecidissent, aegritudine ac pudore victus, in Rhodum insulam profectus est, ibique artem rhetoricam per aliquod tempus cum laude docuisse, et civitatis iure ab Rhodiis donatus esse fertur; unde *Rhodii* cognomen ei haesisse puta. In patriam redux, Bibliothecae Alexandrinae praefuit, Eratosthenis in hoc munere successor, regnante Ptolemaeo V. Epiphane, inde ab Ol. CXLVI. 1. ante C. N. 196. quo circiter tempore inter Romanos *Ennius* floruit *Plautus*que. Vt Lycophron, Aratus, Callimachus aliique Alexandrini poëtae, in grammaticis et historicis studiis aeque versatus erat quam in poëticis, doctrinaeque suae variis editis operibus dederat documenta. Solis tamen *Argonauticis*, epico carmini in IV libros diviso, tempus pepercit. Quod poëma Quintilianus (X. 1. 54.) *non contemnendum* dicit *opus aequali quadam mediocritate*; huius auctorem ob id ipsum ἄπτωτον i. e. *nullis vitiis obnoxium*, quae magna interdum premunt ingenia, appellat *Longinus* (De Subl. 33.). Commendatur illud quidem orationis politissimae puritate, elegantia et simplicitate, ad Homericam accedente, doctrinae etiam exquisitioris laude, versuque numeroso et suaviter fluente. Sed, si a paucis locis recesseris, quae tamquam lumina reliquum carmen distinguunt, caret id illis virtutibus, sine quibus nul-

*) Heynius in Opusc. Acad. T. I. p. 82. cf. ibid. p. 93.

lum paullo longius poëma legentis animum graviter impellere aut iucunde detinere potest, ingenii dico impetum et igniculos, inventionis fecunditatem, phantasmatum imaginumve novitatem, vim atque vigorem, morum atque affectuum signa ad naturae veritatem expressa, sententiarum verborumque lumina, et id genus alia. Neque nisus poëtae non inhibere debuit argumenti a multis ante Apollonium iam tractati sterilitas; licet fabulis istud enarrandis et expromendae doctrinae valde idoneum et opportunum fuisse haud negaveris. Et hactenus Argonautica Apollonii ansam dedere Grammaticis ad erudita commentaria conficienda, quorum excerpta *Scholiis Graecis* quae supersunt continentur. *Bis* autem carmen hoc edidisse poëtam, praeeunte biographo Apollonii Graeco, post Cuperum, Fabricium, Ruhnkenium, nuper docuit, duplicisque recensionis, ab ipso carminis auctore profectae, vestigia ex Scholiis Graecis et lectionis in Codd. Mss. varietate diligentius eruit atque persecutus est *Eduardus Gebhardus* in *Lectionibus Apollonianis* Lipsiae 1816. 8 mai. cap. 1—4. e perspicuis veterum testimoniis docens, quam hodie habemus, *posteriorem* esse *recensionem*, in qua plures versus reperiantur e priore interpolati.

De *Codicibus* mss. Apollonii v. Fabricium T. IV. p. 267. et *Brunckium* in praefat. ad edit. suam. — Antiquiores poëtae editiones *septem* numerantur; *princeps Florentina* cum Scholiis Graecis, 1496. 4. *Aldina* Venetiis 1521. 8. *Parisina*, sine Scholiis 1541. 8. *Brubachiana* Francof. 1546. 8. *Basileensis* 1572. 8. *Henr. Stephani* Genevae 1574. 4. et *Ier. Hoelzlini*, cum Scholiis Gr., Lat. interpret. et notis, Lugd. Bat. 1641. 8., valde improbata doctissimo *Brunckio*, qui, post *Oxoniensem* cura *Io. Schawii* 1777 et 1779. II Voll. 4. aeque parum laudandam, collatis octo libris Mss., Argonautica Apollonii primus emendata edidit cum notis maximam partem criticis, sed Scholiis Graecis, quod minime probandum, omissis, Argentorati 1780. 8. Cf. *Ruhnkenii* Epistolam Criticam Secundam cum Homerico Hymno in Cererem. Lugd. Bat. 1782. 8. — Brunckianam, sed auctam et correctam, additisque *Scholiis Graecis e Cod. Paris.* nunc primum vulgatis,

iterum in lucem emisit *Schaeferus*, Lipsiae 1813. T. I. II. 8. Carminis contextum a Brunckio constitutum, novae editionis fundum fecit *Ch. D. Beckius*, Lipsiae 1797. Vol. I. 8. addita interpret. Lat. et indice copioso. Scholia Graeca, et, qui promittitur, Commentarius, quod sciam, nondum prodiere. — Novam carminis recensionem instituit *L. Hoerstel* Brunsvici 1806. 8. — Ad optimor. libror. fidem accurate edita sunt Argon. apud Tauchnitz. Lipsiae 1814. 12. Nunciantur *Weicherti* Erklärende Anmerkungen zu des Apoll. Rhod. Arg. Miseni III Voll. 8.

Latinis versibus Apollonii Argonautica olim reddidisse dicitur *P. Terentius Varro Atacinus*, nobilis poëta Augusti temporibus. — *Gallice* nuper vertit *Caussin*, Parisiis 1796 et 1802. 8. *Italice*, *Salvini* et *Filangieri*, Romae 1791 et 1794. 4. *Anglice*, *Green* et *Fawkes*, cum Coluiho, Londini 1780. 8. *Germanice*, *I. I. Bodmer*, Turici 1779. 8.

Groddeck, in Bibl. Litt. et Art. ant. T. II. — *Aug. Weichert* über das Leben und Gedicht des Apollonius von Rhodus. Eine historisch-kritische Abhandlung. Miseni 1821. 8. — *Manso* in Nachträgen zu Sulzer etc. T. VI. p. 179. — *E. F. Krausii* Commentarius perpet. in Ap. Rh. Catalogum Argonautarum, Halae 1798. 8. — *F. A. Wolfius* in Beckii Comment. Soc. philol. Lips. Vol. II. part. 2. — *Schoenemanni* Commentatio de Geographia Argonautarum, Gottingae 1788. 4.

§. 116.

Cum septem his, quos diximus, alii multi haud ignobiles, neque indolis diversae, floruere poëtae, sive propter nominis famam quam assecuti sunt, sive propter carmina quae hodieque supersunt, cognoscendi. In quorum censum primus referatur, quem aliquoties iam commemoravimus, *Philetas* Cous, Ptolemaei Philad. praeceptor, poëta doctus et Grammaticus, in *elegiaco* carmine, cuius princeps hac aetate habetur Callimachus, *secundas* omnium consensu tenens, teste Quintiliano X. 1. 58. Eius doctam poësin inter Romanos imitatus est *Propertius*, qui multus est in laude huius poëtae. Vid. Eleg. II. 25. III. 1 et 2. Praeter elegias scripsit etiam *epigrammata*, quorum nonnulla in Anthologia Graeca leguntur. Carminum

eius fragmenta ex Stobaeo, Athenaeo, aliisque auctoribus, Scholiastis et Grammaticis collegit, et notis illustravit *C. P. Kayserus*. Praefixa est epistola *Heynii* Gottingae 1793. 8. De eodem cf. *I. G. Schneideri* Analecta Critica in Scriptores veteres, Fasc. I. p. 5 sq. Traiect. ad Viadr. 1777. 8. et *I. I. Reiskium* in Notitia Poëtarum Anthologicorum, Constantini Cephalae Anthologiae editioni suae subiecta, Lipsiae 1754. 8.

Philetam, amicum suum, excepit *Hermesianax* (§. 31. T. I. p. 42.), Ptolemaeo Philadelpho regnante clarus *elegiarum* erotici s. amatorii generis poëta, quarum *tres* libri innotuere, de amicae nomime *Leontium* inscripti. E tertio egregium servavit fragmentum Athenaeus XIII. p. 597. quod, post *Lennepium* in Animadvv. ad Coluthum l. III. c. 8., multo correctius edidit, et docte illustravit *Dav. Ruhnkenius* in Append. ad. Ep. Crit. II. p. 283, praemissa de poëtae ipsius vita et scriptis disputatione. Idem fragmentum cum aliis multis aliorum poëtarum edidit *Steph. Westonus* in libro inscripto: *Hermesianax* sive Coniecturae in Athenaeum atque aliquot poëtarum Graecor. loca, quae quum corriguntur et explicantur, tum carmine donantur, Londini 1784. 8. et novissime, doctis cum animadversionibus, *Ilgenius*, (qui iam ante Animadversiones criticas in carmen hoc ediderat Lipsiae 1790. 4.) in Eiusd. Opusc. Philolog. T. I. Erfordiae 1797. 8. Adde *Conr. Schneiderum* Ueber das elegische Gedicht der Hellenen p. 59—61 (*Studien* von Daub u. Creuzer IV. 1808); *Heinrichii* Obss. Crit. in Auctores veteres Partic. I. denique *Schweighäuseri* ad Athenaeum l. l. notas. *Latinis versibus* Hermesianactis elegiae hoc fragmentum elegantissimis expressit *Santenius* Batavus.

Cum Hermesianacte coniungimus cultissimum elegiarum poëtam, eique fortasse aequalem, *Phanoclem*, (§§. 31. 36.) cuius Elegos Ἔρωτες ἢ καλοὶ inscriptos fuisse, ex Clemente Alex. Strom. XI. p. 750. et Protrept. p. 32. intelligitur, monente *Ruhnkenio* in Epist. II. p. 299. qui operis illius fragmentum, elegiam *de Orphei in Calain amore*, a *Stobaeo* servatam, ibidem recensuit, et docte illustravit. Fragmentum hoc pulcherrimum, quo, Ruhnkenio iudice, nihil in

hoc genere perfectius ex tota antiquitate ad nos pervenit, quodque, ut Hermesianacteum illud, in Latinos elegos eleganter transtulit *Santenius*, docet nos, in universo poëmate, cuius indicem paullo ante dedimus, Graecorum fabulas de puerorum amore decantatas fuisse. Cf. Harlesium ad Fabricii B. G. Vol. II. p. 874. *Conr. Schneideri* disputat. de Graecorum Elegis l. l. p. 64 sqq. *Iacobsii* Anthol. Gr. Vol. I. p. 204. cum Animadverss. I. 2. p. 224 sqq. III. 3. p. 933.

§. 117.

Parodiae i. e. carminis ad aliorum similitudinem ita modulati, ut in versificatione et toto sermonis tractu imitatio quaedam plerumque subridicula cognosci possit; cuius antiquiora exempla, praeter *Batrachomyomachiam* et, secundum nonnullos, *Margitem* (§. 22.), *Hipponactis* (§. 37.), *Hegemonis Thasii* (circa Olymp. XCI.), *Matronis* Pitanaei *Παρῳδοῦ*, et *Archestrati*, incertae aetatis poëtarum, carmina carminumque fragmenta, partim satis multa, ab Athenaeo maxime laudantur; *Parodiae*, inquam, tum *epicae* et *didacticae*, tum *dramaticae*, genus duplex, Ptolemaeorum, Lagidae et Philadelphi, aetate, excoluere *Rhintho Tarentinus* et *Timo Phliasius*. Prior, dictus etiam *φλύαξ* et *φλυακογράφος*, auctor *Ἱλαροτραγῳδίας* fuisse perhibetur, carminis *hexametris* dactylicis maximam partem compositi, (quo metro fere omnes *parodias* a Graecis poëtis scriptas esse puta) in quo *argumenta tragica ad risum captandum diffingerentur*. Ab *Ἱλαρῳδίᾳ* autem, diverso carminis genere, sic distinguendum videri *ἱλαροτραγῳδίαν* docuit *Osannus*, vir doctissimus, ut, licet utriusque argumentum mere comicum fuerit, ac hilaritate iocorum et lascivis dictis risum populo excusserit, in *ἱλαροτραγῳδίᾳ* tamen virtus comica ab *argumentis tragicis* peteretur, quae, ex cothurno in soccum detorta, cum parodia deriderentur. Utramque vero, et *ἱλαρῳδίαν*, et *ἱλαροτραγῳδίαν*, in scenam deductam, et cum saltatione i. e. gesticulatione et actione mimica decantatam fuisse, verisimile fit. Posterior, *Timo Phliasius*, Scepticus Philosophus, circa Ol. CXXVII

clarus (§. 74.), praeter alia poëmata, ut tragoedias, comoedias, satyrica dramata, *parodiacum* etiam *carmen*, in *tres libros* divisum, hexametris scriptum, reliquit, quod peculiari *Sillorum* (σίλλος) nomine veteribus frequenter laudatur, et cuius pauca quidem, sed egregia fragmenta aetatem tulere. Ipsum poëmatis nomen ab ἴλλος, *oculus detortus*, derivandum, irrisorium illius argumentum fuisse docet. E fragmentis autem, quae supersunt, apparet, philosophos eorumque placita traduxisse, et derisui habuisse poëtam, perpetuis usum parodiis, ex Homericis maxime carminibus petitis, tanta ingenii dexteritate, ut, licet alii ante et post Timonem, maxime *Xenophanes* Colophonius (§. 47.), in eodem versuum genere inclaruisse perhibeantur, ille tamen primas partes tulerit, ac simpliciter ὁ *Σιλλογράφος*, ne nomine quidem addito, passim vocatus sit. Vid. Schol. Plat. Ruhnken. p. 200. Commentarios etiam (Ὑπομνήματα) in Timonis Sillos olim conscripsisse *Apollonidem* Nicaeum, et *Sotionem* Alexandrinum, ab Athenaeo (VIII. c. 15.) et Diogene Laërtio (IX. 109.) accepimus. Cf. *Paulum* in libello mox commemorando p. 36 sq. Vitam Timonis ab *Antigono Carystio*, eius aequali, descriptam laudat *Woelkius* in Disput. de Graecorum Sillis p. 24.

De *Parodiis* veterum vide *Fabricium* in B. G. T. I. p. 550 sq. Harl. — *Sallierii* Discours sur l'origine et sur le caractère de la Parodie, in Memoires de Litterature T. VII. p. 398—410. — *Flögel* Gesch. d. kom. Litteratur T. I. p. 349 sqq. — *G. H. Moseri* disputat. insertam operi quod inscribitur, *Studien* von *C. Daub* u. *F. Creuzer* 1810. T. VI. p. 267 sqq. Cf. Eiusdem *Parodiarum Exempla* Ulmae 1819. *Matronis* παρῳδοῦ carmen centum amplius versuum, ab Athenaeo, (IV. p. 134 sq.) servatum, cum aliis eiusdem et aliorum παρῳδῶν fragmentis primus seorsum edidit *Henr. Stephanus* in dissertatione *de Parodiis* ad calcem Certaminis Homeri et Hesiodi 1573. 8. — De *Phlyacographis*, de *Rhinthone* Tarentino eiusque hilarotragoediis vide *Reuvensii* Collectanea Litteraria p. 69 sqq. et *Fr. Osanni* Analecta Critica p. 69. Adde *Fabricium* in B. G. T. II. p. 320. Harl. — Parodiarum genus singulare, *Sillorum* nomine insignitum, nuper duumviri docti et ingeniosi, scriptis seorsum editis illustrarunt, alter, *Franciscus Antonius Woelke: De Graecorum Sillis*, Varsaviae 1820. 8.; alter, *Fridericus Paul: De Sillis Graecorum*, Berolini 1821. 8. Adiecta sunt LXV Sillorum Fragmenta, notis illustrata; quorum aliquot iam H. Stephanus, studio suo collecta, in Poësi philosophica Paris. 1573. 8. ediderat, auctiora

deinde vulgavit *I. F. Langheinrich* in trium dissertationum *de Timone Sillographo*, Lipsiae 1720—1723., secunda tertiaque; denique *Brunckius* in Analectis vett. poëtar. Graecor. T. II. p. 67 sqq. coll. T. IV. p. 139. editionis quarto volumine auctae, Argentor. 1785. 8.

§. 118.

Simmiae et *Dosiadae*, utriusque Rhodii, prioris verisimiliter sub Ptolemaeo I. Lagide circa Olymp. CXVIII. 1., alterius, incertae aetatis, forsan tamen Simmiae aequalis poëtae, *lusus* quidam pueriles (*Τεχνοπαίγνια*) exstant, inscripti *Ovum* (*Ὠόν*), *Alae* (*Πτέρυγες*), *Bipennis* (*Πέλεκυς*), *Arae* (*Βωμοί*), versibus ita divisis et exaratis, ut rerum quas tituli indicant formam et figuram referant. Lusus hos erudito commentario illustravit *Claud. Salmasius* Parisiis 1616 et 1619. 4. Leguntur iidem una cum Simmiae *Epigrammatis*, et carminis, quod *Apollo* inscriptum erat, fragmento XIII versuum, a Tzetza servato, in *Brunckii* Analectis T. I. II. et *Iacobsii* Anthologia Graeca T. I. p. 136 sqq. et p. 202 sq. *Alas* in German. transtulit sermonem (una cum *Moschi* Amore fugitivo) et pulchre explicuit Ven. *Sonntag* in libello: *Zur Unterhaltung für Freunde der alten Litteratur*. Fasc. I. Rigae 1790. 8. cf. Fabricium Harlesian. T. III. p. 808 sqq.

Huius fortasse loci erit, pauca de aliis quoque lusibus poëticis Graecorum addere, qui *aenigmatum* et *griphorum* nomine designantur; quamquam superioris longe aetatis inventum eos fuisse vel inde apparet, quod *Cleobulus Lindius*, inter septem, qui uno tempore fuisse dicuntur, sapientes relatus, Diogene teste (I. 91.), *ᾄσματα καὶ γρίφους εἰς ἔπη τρισχίλια* reliquisse perhibetur. Eodem genere scribendi eius filia delectabat, *Cleobuline*, cui Suidas notum *de anno aenigma* tribuit, quod Diogenes (l. l.) et Stobaeus (Ecl. Phys. p. 240 ed. Heer.) ad patrem referunt, et in Analectis Brunckii legitur T. I. p. 76. ap. Iacobsium T. I. p. 52. Similes ingenii lusus *Theognidi*, *Sapphoni*, *Eubulo* Atheniensi, *Antiphani* Rhodio, Comicis poëtis, aliisque, posterioris etiam aetatis, ut *Mesomedi* Cretensi, Hadriani temporibus florenti poëtae, et memo-

rabilis *Εἰς Νέμεσιν* hymni auctori, passim adscribi legimus. Cf. Passowii V. Cl. Grundzüge der Griech. u. Röm. Litteraturgeschichte p. 68. 5. De utroque genere, maxime *de Griphis*, tamquam quaestiunculis sive problematis ludicris, quibus ponendis solvendisque post epulas convivae se recreare soliti erant, multa suo more collegit *Athenaeus* X. p. 448 B. — p. 459., secutus *Clearchi Solensis*, philosophi Aristotelici (§. 155.), *σύνταγμα περὶ Γρίφων*, laudatum etiam Schol. Aristophanis ad Vesp. 20. Aenigmatis autem et Griphi discrimen *Iulius Pollux* (Onom. VI. 107) hoc ponit: *εἶχε τὸ μὲν αἴνιγμα παιδιάν, ὁ δὲ γρῖφος καὶ σπουδήν.* Quae verba recte monet Casaubonus ad Athen. l. l. (Animadverss. ed. Schweigh. T. V. p. 520), non ita accipienda esse, quasi aenigmatum materia ioci sint atque sales, griphorum vero res seriae gravesque; sed hoc dicere Pollucem, *griphum*, praeter ludum et iocum, etiam solidae eruditionis aliquid admixtum habuisse: quod nemo negaverit, qui Clearcheos griphos (ab Athenaeo citatos) consideraverit. *Septem* vero *griphorum species* distinxisse Clearchum, ut in littera, in syllaba, una vel pluribus, in nomine vel vocabulis integris et s. p. et Athenaeus testatur, et Interpres Aristophanis. De qua divisione, ut de difficultatibus, quas Athenaei locus interpreti affert, legendus est Casaubonus in Animadverss. T. V. p. 521 sqq.

§. 119.

Maiori longe fama floruit, Ptolemaeo IV. Philopatore in Aegypto regnante, *Euphorion* Chalcidensis ex Euboea, doctissimus poëta, Antiochi M. Syriae regis bibliothecae praefectus circa Ol. CXL. a. Ch. 220., cuius, praeter alia opera, exstabat olim carmen, in *quinque* libros divisum, et *Μοψοπία ἢ Ἄτακτα* sive *Σύμμικτα* i. e. *Fabulae sive Historiae miscellae* inscriptum, obscuritate ex nimia doctrina non minus laborans, quam Callimachi *Αἴτια* et Lycophronis Cassandra. In *quinto* libro, qui *περὶ Χρησμῶν de Oraculis* vel *Chilias* (*Χιλιάς*) inscriptus esse videtur, quod fortasse *mille* constabat *versibus*, *prisca oracula*, quae per mille annorum spatium prodita fuerant, eorumque

eventus collegerat poëta. V. Suidam v. *Εὐφορίων*. Quem librum a *C. Cornelio Gallo*, Latino poeta clarissimo, Virgilioque aequali et amicissimo, Latinis versibus expressum esse, e Virgilii Ecloga X. 50 sq. et *Servio* ad Virgil. Ecl. VI. 72. docte coniicit *Heynius* in Excursu III. ad Bucol. Virg. p. 197 sqq. coll. Exc. V. ad lib. II. Aen. p. 333. Ceterum e locis modo laudatis, consentiente vel Quintiliano X. 1. 56., intelligitur, quanti fecerit Euphorionis carmina poëta Romanus, qui, monente Heynio (ad Aen. T. II. p. 334.) „Alexandrinis poëtis imprimis operam dedisse videtur, ex iisque profecisse in doctrina poëtica, qua excellit, admirabili, et in simplicitate orationis pura, tersa ac nitida, cui dignitatem tamen et gravitatem, qua illi carent, ex Tragicis petitam, adiecit. Certe *ex illis poëtis* tota Augustei saeculi elegantia ac nitor fluxisse videtur, et Romae ab elegantioribus hominibus Alexandrinos illos unice frequenti lectione tritos fuisse, vel ex Cicerone apparere puto, Disp. Tusc. III. 19. ubi Ennium *ab his Euphorionis cantoribus* contemni ait; scilicet tersiorem et puriorem Euphorionis orationem iudicabant Enniana."

Huius aetati suppar *Rhianus* Cretensis, sub Ptolemaeo Euergete, Eratostheni aequalis, circa Olymp. CXXXVIII. 1. Grammaticus, Poëta et Historicus; cuius *Heraclea*, *Thessalica*, *Messenica*, *Achaica* et *Iliaca*, versu hexametro conscripta, laudantur veteribus, et, cum horum paucis fragmentis, supersunt *epigrammata* aliquot, a *Meleagro* Coronae suae intexta, post aliosque edita a *Brunckio* in Analectis T. I. II. et *Iacobsio* in Anthol. T. I. p. 229 sqq. cf. Fabric. Bibl. Gr. T. I. p. 734 sq. et T. IV. p. 493 Harl. Rhiani pariter atque Euphorionis poëmata valde probasse Tiberium Caesarem, discimus ex eius vita apud Suetonium c. 70. Grammatici vero et Critici nomen imprimis meruit Rhianus *Iliadis Homeri nova recensione* (*ἡ Ῥιανοῦ* sc. *ἔκδοσις* vel *διόρθωσις*), cuius vestigia aliquot, in Scholiis Venetis reperta, *Wolfio* iudice, eam desiderabiliorem nobis faciunt, quam quidquid in hoc genere lusit Apollonius Rhodius.

De *Manethonis* et *Maximi* carminibus *apotelesmaticis*, quae optimorum Criticorum sententia, ad

litterarum Graecarum aetatem longe posteriorem referenda videntur, infra dicemus.

§. 120.

Quum in tenui carminis genere, quod *epigramma* sive *inscriptionem versu conceptam* Graeci dixerunt, cuiusque apud eos multo latior usus, et ratio longe diversa erat a carmine quod, post *Martialem*, recentiorum et nostra aetate nomen hoc obtinuit, complures omnis fere aetatis poëtae elaborassent *): Ptolemaeorum temporibus exstitit *Meleager*, natione Syrus et oppido Gadarenus**), epigrammatum, quorum pars servata est, et ipse auctor clarissimus, qui, ut videtur, primus *sex et quadraginta poëtarum*, aetate superiorum, quibus multi etiam recentiores adiecti fuerint, *epigrammata* in unum corpus, *Στέφανος* inscriptum, colligeret, in quo singula carmina, nulla argumenti ratione habita, secundum litteras initiales fuisse disposita, diserte docet Scholiastes in Cod. Vaticano p. 81. Vide *Iacobsium* in Prolegomenis ad Commentarium in Anthol. T. I. p. XLI sq. Epigrammatis sic collectis editisque ipse *Meleager* praefatus erat carmine elegantissimo sive prooemio LVIII versuum, ad Dioclem quemdam scripto, et superstite, in quo singuli poëtae Coronae intexti, cum singulis floribus arboribusve comparati recensentur. Meleagri institutum et exemplum posthac secuti plures, epigrammatum Graecorum corpora sive *Anthologias* condiderunt, quorum, loco hoc maxime opportuno, brevem notitiam subiungam. Ac primo quidem *Philippus* Thessalonicensis, quem sub exitum saeculi primi post Chr. n. Traiano regnante, floruisse verisimiliter coniicit

*) Catalogum horum poëtarum vide ap. Fabricium in Bibl. Gr. T. IV. p. 457—499 Harl.; ap. Reiskium in edit. Anthologiae Constantini Cephalae, et ap. Iacobsium sub finem T. XIII. sive vol. III. partis III. Animadverss. in Epigr. Anthol. Graecae.

**) Aetatem Meleagri diverse definiunt viri docti. Verisimillima ratio, Scholiastae Graeci testimonio firmata, ea esse videtur, qua *Seleuci* VI. Syriae regis ultimi, qui regnum iniit Olymp. CLXX. 3. ante C. N. 98., temporibus vixisse creditur.

Iacobsius l. l. p. XLIV sqq., Meleagrum imitatus, novum *Στέφανον* contexuit, cui et poëtarum tredecim numero, qui post Meleagrum floruissent, et sua ipsius epigrammata, eodem ordine elementari disposita, quem Meleager probaverat, inserta fuisse perhibentur. Post hunc, Hadriano regnante, *Diogenianus* Heracleota Grammaticus, idem haud dubie, cuius *Paroemiae* sive Proverbia exstant, novum *Ἀνθολόγιον Ἐπιγραμμάτων* edidit, teste Suida in *Διογενιανός*, cuius tamen syntagmatis indoles et ratio prorsus ignoratur. Iisdem fere temporibus *Strato* Sardianus novam Anthologiam condidit, quam *Μοῦσαν παιδικήν*, *Musam puerilem* inscripisse videtur, quod, praeter suos in hoc genere lusus, ex antiquiorum aeque ac recentiorum poëtarum carminibus ea tantum epigrammata collecta continuit, quibus puerorum celebrantur amores. Stratonis opus hoc, (integrum, an carminum delectu habito, ignoratur), *Constantinus*, de quo mox dicemus, in suam Anthologiam, in uno Codice Vaticano servatam, recepit. Aliquot saeculis interiectis demum *Agathias* Myrinaeus, Scholasticus, qui Iustiniano regnante Saec. VI. vixit, novum epigrammatum syntagma, sed recentiorum ac sui maximi aevi poëtarum, confecit, quod *Κύκλος* inscripsit (Suidas v. *Ἀγαθίας*) cuius prooemium, versibus iambicis senariis CXXXIII constans, ex codice Vaticano descriptum, vulgavit *Iacobsius*, primo in Prolegomenis §. V. p. LII sqq. deinde in Anthol. Graeca ad fidem Codicis Palatini T. I. p. 73. Primus Agathias, relicto ordine, quem Meleager ac Philippus probaverant, Epigrammata secundum argumenta in certas classes digesta, in septem libros descripserat, quorum primus carmina dedicatoria, secundus *ἐπιδεικτικά*, et descriptoria, tertius sepulcralia, quartus poëmatia in varios vitae casus, quintus satyrica, sextus amatoria, septimus ea, quae ad vitae fructum et laetitiam exhortantur, complectebatur. Ceterum Agathiae *Κύκλος* non magis superest, quam Meleagri et Philippi *Στέφανοι*. Post Agathiam saeculo Xmo ineunte *Constantinus Cephalas*, adhibitis Meleagri, Philippi et Agathiae epigrammatum syllogis, tum recentiorum poëtarum epigrammata, tum haud pauca antiquiorum interponens,

novam Anthologiam condidit, ita ut Agathiae syllogen pro fundamento habuisse videatur, cui suum opus superstrueret. Eadem enim in utroque argumentorum divisio, carminumque ad certos titulos descriptio, nisi quod in Cephalae Anthologia singuli libri alio ordine se excipiunt, et *secundus* Agathiae *Κύκλου* liber prorsus deest. Hoc Cephalae Syntagma, ex omnibus quae prius confecta erant unum, aetatem tulit, in Codice Palatino sive Vaticano amplius ducentos ante annos repertum. — Denique Cephalae hanc Anthologiam in minorem molem redegit *Maximus Planudes* Monachus, Constantinopoli, regnantibus Andronico maiore eiusque nepote, florens Saec. XIV., eamque, Agathiae quidem exemplum secutus, sed longe diverso argumentorum ordine, carminumque dispositione usus, in *septem* libros descripsit, quorum singuli, quinto et septimo exceptis, in capita, secundum locos communes, digesti sunt. *Quartus* liber, qui imaginum, statuarum, regionum descriptiones continet, et in Cephalae Sylloga, qualem Codex exhibet Palatinus, desideratur, plurima habet epigrammata Planudi propria, ut Planudem, quem non nisi Cephalae Anthologiam excerpsisse constat, pleniore Codice, quam noster nunc Vaticanus habetur, usum fuisse, recte coniecisse videatur doctissimus Iacobsius in Prolegg. p. LXXXV. Ceterum, quamvis insignem Epigrammatum, quae ad artis antiquae historiam faciunt, numerum unus ab interitu vindicaverit Planudes, merito tamen reprehendendus est, quod non solum in deligendis poëtarum carminibus iudicium parum subtile, ac paene nullum venustatis sensum prodidit, sed etiam multa optimae notae epigrammata vetera omisit, in eorumque locum alia recentissimorum poëtarum intrusit, multa mutilavit, multa prae sui ingenii tenuitate emendavit et interpolavit. Compilatio haec *Planudea*, praegressarum deterrima, diu *sola* innotuit, et, CL fere annis postquam á Planude fuerat confecta, ex codice Ms. primum graece edita est et litteris uncialibus descripta a *Iano Lascari*, Florentiae 1494. 4. quam, omnium quae postea factae sunt editiones, longe praestantissimam, paullo post repetivit *Aldus* Venetiis 1503. 8. cum additamento va-

riarum e codd. collectarum lectionum, et epigrammamatum quorumdam, quibus caret editio Florentina. Aldinum contextum expressit, et docto commentario instruxit *Io. Brodaeus* Turonensis, Basileae 1549. fol. Magno epigrammatum, tum e codd., tum ex variis scriptoribus collectorum, numero auctior Anthologia Planudea prodiit cura *Henr. Stephani* Parisiis 1566. 4. cum brevibus notis, sed parum fructuosis. Ex qua editione fluxit notissima illa *Wecheliana* Francof. 1600. fol. cum Brodaei, Vincentii Opsopoei et H. Stephani annotationibus, *Scholiis*que Graecis, Fabricio, cui assentitur Iacobsius, iudice, recentissimis, et post Planudem, fortasse post Lascaris demum editionem, Anthologiae adscriptis. — Interea Heidelbergae in bibliotheca Palatina a Frid. Sylburgio et Claud. Salmasio repertus est codex, *Cephalae Anthologiam*, dudum in deperditis numeratam, continens. Ex quo primum *Salmasii*, mox plurium deinceps philologorum opera, multa apographa facta, alia aliis pleniora, magisque minusve interpolata, quae in Parisiensi, Lugdunensi, Lipsiensi aliisque bibliothecis tamquam codices *Anthologiae ineditae* exstant. Codicis huius Palatini, mox in Vaticanam, nuper autem in Parisiensem bibliothecam illati, ex qua denuo, felici rerum conversione, plaudente docta Germania, in antiquam patriam suam postliminio reductus est, descriptionem dedit *Nic. Schow* in Progr. Hafniae 1792 8. edito. Ex eodem eiusque apographis singula primum epigrammata inedita a Salmasio, Küstero, Holstenio, Bentleio, Dorvillio, Hemsterhusio, Valckenario, Ruhnkenio, Toupio aliisque compluribus, in commentariis ad alios auctores passim vulgata sunt; donec plura simul separatim ediderunt *Iensius* in Lucubrationibus Hesychianis, Roterdami 1742. 8. *I. H. Leichius* in *Carminibus Sepulchralibus*, Lipsiae 1745. 4. et maxime *I. I. Reiskius* in *Novis Miscellaneis Lipsiensibus* Vol. IX. part. I-IV. et in libro inscripto: *Anthologiae Graecae a Constantino Cephala conditae libri tres. Duo nunc primum, tertius post Iensium iterum editi, cum Latina interpret. commentariis et notitia poetarum*, Lipsiae 1754. 8. Denique *Chr. Ad. Klotzius*, ex eadem Anthologia, *Stratonis* epi-

grammata, a Reiskio consulto praetermissa, edidit Altenburgi 1764. 8. — Plenissimam vero Anthologiae, quum Planudeae, tum Constantini Cephalae, editionem, servato ordine a Meleagro primum adhibito, vulgavit *Brunckius* in *Analectis veterum poëtarum Graecorum*, Argentorati 1776 sqq. III Voll. 8. Quam, omissis poëtarum carminibus, quae a Brunckio in Epigrammatum hoc corpus perperam erant recepta, typis repetendam curavit *Fr. Iacobsius* in libro qui inscriptus est: *Anthologia Graeca sive* Poëtarum Graecorum Lusus ex recensione Brunckii, Lipsiae 1794. IV Voll. 8. quibus *quinto* vol. *Indices* et *octo* reliquis (T. VI—XIII.) *Animadversiones* in epigrammata A. G. adiecit, ibidem 1795—1814. 8. Eidem doctissimo viro debemus tandem *Anthologiam Graecam ad fidem Codicis olim Palatini, nunc Parisini, ex apographo Gothano editam*, cum annotatione critica, aliisque additamentis, Lips. 1813—1817. IV Voll. 8 mai.

Anthologiam Planudeam cum *interpret. Latina Hugonis Grotii* edidit *Hier. de Bosch*, Vltraiecti 1795 sqq. III Voll. 4. quibus *duo* adiicienda sunt, hoc indice: Hier. de Bosch Observationes et Notae in Anthologiam Graecam, quibus accedunt Cl. Salmasii Notae ineditae. T. I. II. ibid. 1810. et 1822. 4. Nec silentio praetermittendae sunt egregiae *Huetii* notae in Anthol. Planudeam, quas Graevius eiusdem summi viri carminibus subiecit: *Petri Dan. Huetii* Poëmata. Quarta editio auctior et emendatior. Ut et eiusdem Notae ineditae ad Antholog. Epigrammatum Graecorum. Vltraiecti 1700. 12. Cf. Iacobsium in Prolegomenis T. VI. p. CXXXI. — Supplementum epigr. maximam partem ineditorum dedit *F. G. Huschkius* in *Analectis criticis* in Anthol. Gr. Ienae 1800. 8. et nuper *F. T. Welckerus* in progr.: *Epigrammata Graeca ex Marmoribus* collecta. Bonnae 1819. Eiusd. Epigrammatum Graecor. Spicilegium alterum, ibidem 1822. 4. — De reliquis editionibus atque interpretatt. Epigr. Gr. v. *Harlesius* ad Fabric. T. IV. p. 430 sqq. et in *Supplementis* ad Introduct. in hist. ling. Gr. T. I. p. 49 sqq.

Meleagri autem, a quo tota haec de Anthologiis poëticis Graecorum disputatio processit, Epigrammata

quae supersunt separatim edidere *I. G. F. Manso* cum vers. metrica et commentario perpetuo Ienae 1798. 8. — et eodem anno *A. C. Meinecke* cum notis Lipsiae 1789. 8. nuperrime autem, tamquam specimen novae recensionis Anthologiae Graecae, cum obss. criticis, *Frid. Graeffe*, Lipsiae 1811.

Fr. Vavassoris de Epigrammate liber, Parisiis 1672. 8. — *C. G. Sonntag* Historia poëseos Graecae brevioris ab Anacreonte usque ad Meleagrum ex Anthologia Graeca adumbrata Lipsiae 1785. 8. — *G. E. Lessing* Vermischte Schriften Part. I. — *I. G. Herder* Zerstreute Blätter. P. I. II. — *Fr. Iacobs* in Prolegomenis ad Animadvers. in epigr. Anthol. Gr. Vol. I. *Eiusdem* Emendationes in Epigrammata Anthologiae, Lipsiae 1795. 8 mai. — *Eiusdem* Obss. criticae in Anthologiam Graecam, Monaci 1812. 8.; haud diversae, ni fallor, ab iis, quae *Thierschii*, Viri Clarissimi, *Actis Philologorum Monacensium* Fasc. II et III. insertae leguntur. — *I. G. Schneideri* Analecta critica. Trai. ad Viadr. 1777. 8. — *Eiusd.* Periculum criticum in Anthol. Constant. Ceph. Lipsiae 1772. 8. — *Chardon la Rochette* in Magazin Encyclop. Ann. IV. T. I. II. Ann. V. T. II. et Ann. VI. T. I. cf. Mel. de crit. T. I. p. 196-307.

§. 121.

Restant *poëtae* aliquot *didactici*, aetatis huius ambitu qui floruerunt, Alexandrinis et argumenti carminis subtilitate, et orationis colore simillimi. In his *Dionysius* cognomine *Periegetes*, patria Characenus ex Susiana ad sinum Arabicum, cuius aetas in Caesaris Augusti tempora, ipsaque vulgaris aerae primordia probabiliter incidit, *carmen geographicum* reliquit, *Περιήγησιν οἰκουμένης* h. e. cogniti tum orbis terrarum, ad Eratosthenis maxime praecepta, enarrationem, versu hexametro terse et nitide scriptam, quae cum *Eustathii*, Homeri interpretis, eruditis commentariis, cum *glossis Graecis interlinearibus* et *paraphrasi Graeca* Scholiastae anonymi ad tempora nostra pervenit; cuiusque insuper *duplex* exstat *versio Latina vetus metrica*, altera *Rufi Festi Avieni*, eiusdem qui Aratea transtulit (§. 113.), altera *Prisciani* Grammatici Latini celebrioris saeculi VI post C. N., priore minus libera, inserta utraque *Poëtis Latinis minoribus* cura *I. C. Wernsdorfii* T. V. Part. I. II. cum docta de iis disputatione. — *Codices*

mss. Dionysii praestantiores sunt Matritensis et unus Parisinus, de quo v. *Schneiderum* in Analectis crit. — Graece et Latine *primum* prodiit carmen hoc Ferrariae 1512. 4. Sequitur editio *Aldina* cum Pindaro aliisque, Venetiis 1513. 8. — *Bernhardi Bertrandi* cum Lat. interpret. Eustathii, Basileae 1556. 8. — *Stephaniana* duplex, inter *Poëtas Principes* 1566. fol. et cum *Pomponio Mela*, *Aethici* Cosmographia et *Solini* Polyhistore 1577. 4. — *W. Hillii* cum commentariis et tabb. geograph. Londini, 1658 et 1679. 8. — *Ed. Thwaites* cum veterum Scholiis, paraphrasi, Eustathii commentariis *integris* et interpr. Lat. ab H. Stephano confecta, Oxoniae 1697. 8. — *Io. Hudsoni* inter Geographos Graecos minores Vol. IV. Oxoniae 1712. 8. et separatim cum Eustathio et versionibus antiquis, ibidem 1710 et 1717. 8. — denique *Ed. Welsii* valde interpolata editio, Oxon. 1704. 8. saepius repetita. — Novam carminis Dionysiani editionem parare *Spohnium*, virum doctissimum, libenter accepimus. — *Gallicis* versibus expressit Dionysii Periegesin *Benignus Salmasius*, Claudii pater, Parisiis 1597. 12. — *Germanicis*, et quidem hexametris, *G. G. Bredowius*: Dionysios Schilderung des Erdkreises. Aus d. Griechischen übersetzt von G. G. Br.; opus postumum, quod in eiusdem Bredowii „*Nachgelassenen Schriften*“ vulgavit horum editor *I. G. Kuhnisch*, Vratislaviae 1816. Nr. VIII.

Simile carmen, *Περιήγησις* inscriptum, ante Dionysium *iambico* versu conscripserant *Apollodorus Atheniensis* et *Scymnus*, a patria sua *Chius* dictus, circa Ol. CLXXII. 3. a. Ch. 88. quod Nicomedi Bithyniae regi dicavit, et cuius pars egregia superstes sub falso auctoris nomine, *Marciani Heracleotae*, cum aliis Geographis Graece primum edita est a *Dav. Hoeschelio* Augustae Vindel. 1606. 8., deinde Latinis reddita versibus, cum contextu Graeco a *Feder. Morello* Parisiis 1606. 8.; denique Scymni Chii, veri auctoris, nomini adscripta, cum interpr. Lat. notisque, additis aliis eiusdem operis fragmentis, vulgata ab *Io. Hudsono* in *Geographorum minorum* vol. IIdo. Oxoniae 1702. 8. Cf. *Dodwelli* dissertatio de Scymno Chio.

§. 122.

Marcelli Sidetae, Medici, Hadriani et M. Antonini temporibus clari, poëma didacticum *de Medicina* fuit libris XLII., *Βίβλια Ἰατρικὰ* inscriptum, ex quo superest fragmentum *de remediis ex piscibus*, *περὶ Ἰχθύων*, editum a *Feder. Morello* Parisiis 1591. 8. — a *Fabricio* in Bibl. Gr. Vol. I. p. 14 edit. vet. — ab *I. G. Schneidero* cum Plutarchi libello de educatione puerorum, Argentorati 1775. 8. — tandem a *Belino de Ballu* cum *Oppiano*.

Oppiani huius Cilicis, poëtae M. Aurelio Antonino aequalis (Saec. II. p. Ch.) nomen prae se fert carmen didacticum *de Piscatione* (*Ἁλιευτικά*) libris V., versu hexametro compositum, et indice *Schneidero*, longe praestantius altero poëmate *de Venatione* (*Κυνηγετικά*) libris IV., quod eidem Oppiano vulgo tribuitur, cuius auctor vero, teste ipso carmine II. 125 sqq. et 156 sqq. *Apamea*, Syriae urbe, ad Orontem fl. oriundus, *Antonino Caracallae* Saec. III. imperanti carmen suum dedicavit. Cui tamen opinioni acerrimum adversarium nactus est *Belinum de Ballu*. Tertii poëmatis *de Aucupio* (*Ἰξευτικά* ab *ἰξός viscus*) deperditi, quod Oppiano scriptor vitae eius Graecus asserit, exstat *Paraphrasis Graeca prosaria*, ab *Eutecnio* Sophista aetatis incertae, vel *Dionysio* quodam *Characeno* conscripta, ac primum docte edita ab *Erasmo Vindingio*, Hafniae 1702. 8. — De *codicibus mss.* et *editionibus* carminum O. v. Fabricium T. V. p. 594 sqq. et *Schneiderum* in suae editionis praefatione. Post *principem* Halieuticorum *Iuntinam*, Florentiae 1515. 8. et utriusque carminis *Aldinam*, Venetiis 1517. 8. tum *Adr. Turnebi*, Paris. 1555. 4. et *Conr. Rittershusii*, Lugd. Bat. 1597. 8. editiones, nostra aetate Oppiani carmina recensuerunt, emendarunt, et doctis commentariis illustrarunt *I. G. Schneiderus*, historiae naturalis aeque ac Graecarum litterarum peritissimus, Argentorati 1776. 8. et *Io. Nic. Belin de Ballu*, ibid. 1786. 4. et 8. Vol. I. Cynegetica continens, cum *Marcelli Sidetae* fragmento *de Piscibus*. Schneideri editio repetita est Lipsiae 1813. 8., in qua tamen desideratur Eutecnii paraphrasis carminis de Aucupio, et annotationes

multo breviores sunt. Secundum tomum promisit editor. In Cynegetica erudite commentatus est *Io. Brodaeus*, Basileae 1552. 8. — *Latinis* versibus reddidit Cynegetica *Bodinus*, Parisiis 1555. 4.; *Gallicis*, *Q. Septimius Florus Christianus*, Paris. 1675. 8. et soluta oratione *Belin de Ballu* Argentororati 1787. 8. — *Germanicis*, *Lieberkühn*, Lipsiae 1755. 8. — *Italice* utrumque carmen vertit notisque explicuit *A. M. Salvini* Florentiae 1728. 8. — *Anglice* Cynegetica *W. Sommerville*, Londini 1788. 8.

De *Babrio* fabulatore, quem *Corayus* Bionis et Moschi aetate haud longe inferiorem ponit, supra egimus T. I. §. 51. p. 80sq.

§. 123.

Quum poëtarum quos commemoravimus maior pars *Grammatici* atque *Critici* fuerint; quumque horum et nomen et disciplinae origo et incrementa Ptolemaeorum saeculo scholaeque Alexandrinae imprimis debeantur: ipso rerum ordine ita iubente, de nova hac virorum eruditorum apud Graecos classe accuratius nunc dicendum erit. *Grammaticus* quidem prisco usu, a Platone, Xenophonte, Aristotele etiam retento, dicebatur is qui *scribendi legendique facultatem tenebat*. *Critices* autem, sive tamquam partis Grammaticae subiectae, sive tamquam singularis doctrinae, ante aevum Alexandrinum omnino non legitur nomen. At immutata aevo hoc studiorum ratione (§. 106.), quum veterum scriptorum imitatio *interpretandi* eos et *emendandi artem*, prima in *Homericis* carminibus pericula facientem, mox ad alios poëtas, lyricos, tragicos, comicos, item ad historicos, oratores, medicos, traductam, ultro excitaret: Critici et Grammatici dicti sunt viri multiplicis doctrinae atque lectionis, qui et linguae Graecae naturam legesque scrutati, et mythologiae, historiarum, chronologiae, geographiae, mathesis reliquarumque partium antiquitatis spatia emensi, variae huius cognitionis copias ad accuratam veterum auctorum interpretationem, scriptorumque exemplarium diligentem emendationem adhiberent. Grammaticorum horum veterum scholae

Alexandrinae maxima, non solum de sermone et litteris Graecis, sed omnino de linguarum studio subtiliore, deque omni litterarum elegantia merita sunt, in totamque posteritatem redundarunt. Ab iis *Philologiae*, *Grammaticae* proprie dictae, et *Criticae*, quum verborum, tum rerum atque auctorum, fundamenta iacta sunt. Qua disciplina, ut *Heynii* *) verbis utar, nulla alia fuit aut inventu difficilior, aut nascendo tardior, aut expoliendo per plura saecula operosior. Debetur eis omnis fere vulgata *Chronologia*; debetur *classicorum scriptorum* et in quoque genere principum ille *delectus*, quo effectnm est, ut horum saltem magna pars ab interitu servaretur: debentur iisdem, et *lectio emendatior tum carminum Homericorum*, quorum tot recensiones certatim ediderunt, tum aliorum omnis generis scriptorum; et commentarii eruditissimi in praestantissimos antiquitatis auctores, quorum reliquiae saltem haud contemnendae in *Scholiis* et *Lexicis Graecis*, inferiore multo aetate concinnatis, supersunt. Nam Scholia haec et Commentarii in veteres auctores, haec Glossaria et Lexica, libelli hi grammatici, metrici, de dialectis Graecae linguae, horumque similia scripta, a posterioribus Grammaticis ab Augusti inde temporibus confecta, quae plurima exstant partim edita, partim in codd. manuscriptis adhuc latentia, hoc potissimum magni aestimanda videntur, quod multa, antiquioribus Grammaticis, quorum opera interciderunt, acute et subtiliter observata et animadversa atque scienter tradita, servarunt, cum hisque ipsis deperditorum scriptorum fragmenta innumera ac notitiarum omnis generis, ad universam antiquitatem quae spectant, farraginem ab interitu vindicarunt. Quo magis patet, illorum auctoritatem ex his maxime pendere, quorum scrinia compilarunt, neque ea temere utendum esse, nec nisi praevia fontium, ex quibus hauserint, investigatione. — Grammaticorum quicumque innotuere censum habuit Fabricius in B. Gr. T. VI. p. 271—389. Operum autem grammaticorum, quibus tempus pepercit, corpus quoddam

---

*) In Opusc. Acad. T. I. p. 100.

confecit *Aldus Manutius*, edidilque duplice volumine; prius prodiit Venetiis 1495. fol., posterius ibidem 1496. fol. inscriptum: *Thesaurus*, *Cornu Copiae* et *Horti Adonidis.* His tertium volumen ex eadem officina accessit 1524. fol. et quartum 1525. 8. cf. Fabric. T. VI. p. 293 sqq.

H. Valesii De Critica l. II. cum eiusd. Emendatt. editi a P. Burmanno Amstelod. 1740. 4. — *Maussacus* in Dissert. praef. Harpocrationis Lex. — *Wowerius* de Polymathia. — I. A. Fabricius ad Sextum Empir. — *Villoison* in Anecdotis Graecis et in Prolegg. ad Hom. Iliad. — F. A. Wolfius in Prolegg. ad Homer. p. 169 et 189.

§. 124.

In hoc tanto Grammaticorum numero, qui ab aetatis huius initio usque ad Constantini M. tempora nominis aliquam nacti sunt celebritatem, non alienum putavi, illustriorum saltem excitare memoriam. Tales utique existimandi sunt *Lycophron*, Cous *Philetas*, *Callimachus*, *Aratus*, *Rhianus*, *Cleanthes* Stoicus: quorum non amplius leguntur scripta grammatica, poëtica vero partim aetatem tulerunt, de quibus diximus §§. 72. 110-113. 115. 116.: et *Eratosthenes*, ob doctrinam atque scientiam multiplicem *Philologi* primus nomen meritus, de quo pluribus infra dicendum erit. Praeter hos commemorandi hic primo: *Zenodotus* Ephesius, Philetae discipulus, et Bibliothecae Alexandrinae, regnante Philadelpho, praefectus; *Suidae* etiam dictus poëta epicus, et inter Alexandrinos Grammaticos primus, qui Homericorum carminum recensionem (διόρϑωσιν) vulgavit, de cuius indole subtiliter, ut solet, disputantem adeas Cel. *Wolfium* in Prolegg. ad Hom. p. 199—225. Dein Zenodoti discipulus, *Aristophanes Byzantius*, et huius auditor *Aristarchus*. Prior, Ptolemaeo IV. Philopatore et V. Epiphane imperantibus (Ol. CXXXIX. 4. — CL. 1. ante C. N. 221—180.) clarus, non unius Homeri, sed aliorum multorum poëtarum, ut Hesiodi, Alcaei, Pindari, Aristophanis Comici, etiam Platonis operibus recensendis, disponendis atque commentandis operam suam dicavit. Idem scriptorum cuiusque classis optimorum

delectus et *censuras*, quas deinceps absolvit Aristarchus, toties nobis laudatas, instituit, crisin historicam auctorum diligenter exercuit, Grammaticam Graecae linguae studiosius tractavit, accentuum et spirituum notationem atque interpunctionem invenit; et, post Callimachum, ad philosophorum et rhetorum exemplum, scholam grammaticam Alexandriae aperuit, ex qua discipulus omnium clarissimus prodiit *Aristarchus*. Is sub Ptolem. VI. Philometore, circa Ol. CLVI. a. Ch. 156. florens, tantam ingenii, doctrinae et iudicii elegantissimi existimationem, discipulorum imprimis studiis, apud omnes eruditos, Graecos et Latinos, sibi conciliavit, ut eius nomen artis criticae ipsius peritissimum quemque designaret. cf. Horat. A. P. 450. Cic. Epp. ad Attic. I. 14. Attamen de DCCC commentariis grammaticis et criticis, quos concinnasse dicitur Suidae, nihil fere ad nos pervenit praeter reliquias *Iliadis recensionis*, cuius insignia et satis copiosa fragmenta Scholia Veneta in Homerum nuper vulgata servarunt. Eumdem Iliadis et Odysseae formam et compositionem hanc politam et concinnam, quam in utroque carmine admiramur omnes, tandem absolvisse, et haec opera duo in quatuor ac viginti rhapsodias divisisse, veterum vel Grammaticorum auctoritate affirmari licet. Vid. *Wolfius* l. c. p. 256. not. Interpretationis autem, qua usus erat, sobriae ac probabilis virtutes ex Strabone I. p. 31. colligi possunt.

Aristarchi aequalis, aemulus et adversarius acerrimus *Crates* fuit *Mallotes* Cilix, qui scholam discipulorum celebritate Aristarcheae similem *Pergami* condidisse videtur, et Romam Grammatices studium primus intulit, ad Senatum missus legatus ab Attalo II. Pergami rege, qui coepit regnare Ol. CLV. 2. ab V. C. 595. Vid. Sueton. de ill. Gramm. c. 2. A Suida, qui Stoicum eum appellat, (Straboni XIV. p. 676. *Panaetii Stoici* magister dicitur) *recensionis Iliadis et Odysseae novem libros* complectentis, aliorumque librorum auctor perhibetur. Sed quantum Aristarcho et ingenio et doctrina inferior fuerit criticus et interpres, ex paucis interpretationis eius vestigiis apud Strabonem aliosque constat abunde, et nuper probatum ivit *Wolfius* l. l. p. 278 sq.

§. 125.

Inter Aristarchi discipulos, qui cum reliquis huic scholae addictis *Aristarchei* dicuntur, praeter *Ammonium* Alexandrinum, Aristarchi in schola successorem, maxime eminet *Dionysius Thrax*, qui primus *Grammaticam Graecae* linguae (*τέχνην γραμματικήν*) conscripsisse fertur, in quam eruditorum Alexandrinorum multi commentati sunt. Atque huius indicis opusculum, rude et valde imperfectum, sub Dionysii nomine in multis exstat mss. codicibus. primo vulgatum a *Fabricio* in Bibl. Gr. Vol. IV. p. 20. (T. VI. p. 311. ed. Harles.), correctius postea editum a *Villoisonio* in Anecdotis Graecis T. II. p. 99 sqq. ac nuper ab *Imm. Bekkero* in Anecdotor. Graecor. Vol. IIdo. Berolini 1816. 8. una cum plurium Grammaticorum in *Τέχνην* illam Scholiis.

Apollodorus Atheniensis, itidem Aristarchi Grammatici et Panaetii Rhodii, Stoici philosophi, discipulus dicitur Scymno Chio atque Suidae, vixitque circa Ol. CLX. a. Ch. 140. paullo post Carthaginem deletam, quo tempore in Aegypto regnabat Ptolemaeus VII. Physcon dictus, sive Euergetes II. Doctrinae, qua pollebat, copiam et varietatem testata sunt plura, quae reliquit, scripta: 1) libri XXIV *περὶ θεῶν de Diis*, opus non minus grammaticum quam mythicum, quo fabularum interpretationem allegoricam, maxime ex etymologia petitam, dederat, multaque insuper *de festis deorum et sacris*, *de sacrorum antiquitate*, *de religionibus et ritibus* tradiderat. 2) *τὰ Χρονικὰ* libris IV., quibus historias ad temporum ordinem redactas, inde a Troia capta, per annorum MXL intervallum breviter comprehenderat, *metro comico*, i. e. iambis usus senariis. Cui operi quum epochae aliquot debentur illustriores, ut excidii Troiae, Heraclidarum in Peloponnesum reditus, coloniae Ionicae, et primae Olympiadis; tum virorum clarorum aetatis notatio, quam exscripsit, Ciceronis temporibus, *Cornelius Nepos* in *Chronicis* suis, opere aeque deperdito. Nec fortasse aliunde petitas esse artificum epochas apud Plinium, cum magna parte similium vitae mortisque notationum apud Diogenem Laërtium et in

Chronico Eusebiano, suspicatur *Heynius* ad Fragm. Apollodori p. 411. 3) *Commentarii in Navium catalogum* (περὶ τοῦ νεῶν καταλόγου), quemadmodum libri II. Iliadis partem, qua copiarum recensus continetur, appellabant Grammatici, libris XII. Quorum saepe mentionem facit Strabo, partim refutans auctorem, partim eius vestigiis insistens. 4) *Chorographicum opus*, Γῆς περίοδος sive περιήγησις inscriptum, et Straboni XIV. p. 995 D. laudatum: ad cuius similitudinem posthac *Scymnus Chius* et *Dionysius Periegetes* suas versibus condiderunt περιηγήσεις (§. 121.). 5) *Commentarii in Sophronis Mimos* (τὰ περὶ Σώφρονος (§. 86.) et *in Epicharmum*, comicum poëtam veteris comoediae (T. I. p. 166.), in decem libros descripti. 6) *De verborum originibus* (τὰ ἐτυμολογούμενα), pluribus libris. 7) Notitia historica *de meretricibus quae Athenis vixerunt*, περὶ τῶν Ἀθήνησιν ἑταιρῶν. In quo argumento similes libri Aristophanis Byzantii, Ammonii, Antiphanis et Gorgiae Atheniensis erant versati, quos excerpsit *Athenaeus* in Deipnosoph. libro XIII. Cf. *Iacobsium* in Museo Attico T. II. part. 3. — Horum omnium librorum pauca tantum fragmenta supersunt, collecta et docte illustrata ab *Heynio*. Sed servatus est 8) unus liber Apollodori, fine tamen mutilus, *Bibliotheca* inscriptus, et in *tres* partes divisus, quo quasi *compendium fabularum* continetur, quae *a poëtis* maxime sunt *frequentatae*, imprimis quae in *cyclo epico* memorantur: opusculum brevitate, lucido ordine et sermonis perspicuitate commendabile, *iisque non inutile, qui vetera complecti velint memoria* — quae *Photii* verba sunt (Cod. 186.) de Apollodori hoc libello. Quae libri, ceterum valde interpolati, et passim lacunosi, utilitas insigniter aucta est, ex quo *Heynii* curis prodiit contextus longe emendatior, et doctissimo commentario illustratus, primo Gottingae 1782 sq. IV Voll. 12. deinde secundis curis, ibidem 1803. II Voll. 8. Heynianam antecesserant princeps *Aegii* editio, Romae 1555. 8. — *Commelini* 1599. 8. — *Tanaq. Fabri*, Salmurii 1661. 8. et *Thom. Galei* in Historiae poëticae scriptoribus, Parisiis 1675. 8. — Nuper demum Apollodori Bibliothecam accurata et

eleganti editione vulgavit, Gallice vertit, et notis illustravit *E. Clavier*, Parisiis 1805. II Voll. 8.

§. 126.

Ex eadem schola Aristarchi Alexandrina Grammaticus doctissimus prodiit *Didymus Alexandrinus*, cognomine *χαλκέντερος*, quia laboris immensi in litterarum studiis patiens fuisse dicitur; id quod vel ingens librorum, quos confecisse perhibetur, testatur numerus. Nam si *Senecae* credimus (Ep. 88.) „*quatuor millia librorum scripsit; miser* (philosophi iudicio), *si tam multa supervacua legisset.*" *). Floruit is Iulii Caesaris et M. Bruti temporibus, vel, secundum alios, Augusto imperante. Multos quidem *commentarios in auctores veteres* conscripsit, sed maxime innotuit eius liber criticus *de Homeri recensione Aristarchea*, *περὶ τῆς Ἀρισταρχείου διορθώσεως*, cuius operis pars etiam servata est (v. *Villoisonium* in Anecdotis Graecis T. II. p. 184.), et *Commentarius in Iliadem et Odysseam*, cuius nomen, sed falso, prae se ferunt *Scholia minora ad Homerum* de quibus dixi T. I. p. 23. De *Lexico* eius *tragicorum* et *comicorum poëtarum* vide Ruhnkenium in praefat. ad Hesychii Lex. p. LX. cf. Fabric. T. VI. p. 363. — Eiusdem Didymi Alexandrini *Marmorum et lignorum mensurae* e cod. ms. Ambrosiano ab *Angelo Maio*, ad *Iliadis Fragmentorum antiquissimorum cum picturis* calcem editae sunt Mediolani 1819. fol. cf. Addenda ad Partem priorem T. I. p. 222. Didymi famam paene adaequavit *Appion*, dictus *Plistonices*, item Alexandrinus, Grammaticus et historicus, qui Didymo usus magistro, ad Caium Caligulam Imperatorem, ut accusaret Iudaeos, missus, Romae docuit, et praeter scripta grammatica, ut *διόρθωσιν Homeri*, *Λέξεις Ὁμηρικάς*, i. e. *vocum Homericarum difficiliorum explicationem*, et *Commentarium in Hom. carmina*, etiam *historica*

*) Alii, ut *Demetrius Troezenius* ap. Athenaeum IV. p. 139. ter mille tantum et quingentos computant. Cf. Fabric. B. G. Vol. I. p. 387. et Ruhkopf. ad Senec. l. l. Opp. T. III. p. 126.

reliquit opera, ut *Aegyptiacorum libros V*, et librum *contra Iudaeos*, cuius fragmenta servavit *Iosephus*, gentis suae defensor, in binis contra Appionem libris. Cf. Gerh. Io. Vossium de Historicis Gr. p. 190 sq. Ex *Glossis* autem *Homericis* Appionis, opere deperdito, suum *Lexicon Homericum* conflasse videtur *Apollonius Sophista*, *Archibii* filius Grammatici, qui commentarium in Callimachi Epigrammata scripserat. Vide *Göttlingium* in *Animadverss. criticis in Callimachi Epigrammata*, Ienae 1811. 8. — Apollonium hunc quidem, Appionis magistrum, e Didymi schola exiisse, et Augusti floruisse temporibus, praeeunte Suida, contendit *Villoisonius*, sed iuniorem putat *Göttlingius*, quoniam Appionem laudat, quem maxime sub Caligula floruisse constat. Ceterum *Lexicon* illud ad Homeri lectionem et interpretationem perutile, cuius specimen solum dederat *Montfaucon* in Bibl. Coislin., e codice Ms., quantum fieri potuit, integrum et emendatum a *Villoisonio* cum doctis prolegomenis notisque et animadversionibus perpetuis, Lutet. Parisior 1773. II Voll. 4. primo vulgatum, deinde repetita editione ab *Hermanno Tollio*, omissis Villoisonii Prolegomenis et interpretatione Latina, sed novis annotationibus auctum, prodiisse Lugduni Batav. 1788. 8. iam supra T. I. p. 24. retulimus.

Denique sollertis ingenii et magnae diligentiae laudem libros grammaticos complures conscribendo meruit *Apollonius Alexandrinus*, cognomento *Dyscolus*, Hadriani et Antonini temporibus, saec. II. p. Chr. in schola Alexandrina clarus, cuius feruntur adhuc 1) *libri IV. de Syntaxi* sive constructione partium orationis, optime olim editi a *Frider. Sylburgio* una cum Procli Chrestomathia grammatica, Francofurti 1590. 4. nuper autem, quatuor Mss. et editionis principis Aldinae ope, emendatiores facti *ex recensione Imm. Bekkeri*, Berolini 1817. 8. 2) *De Pronomine* liber e cod. ms. primum editus ab *Imm. Bekkero* in *Museo antiquitatis studiorum* Vol. I. Fasc. II. Berolini 1811. 8. deinde ab eodem seorsum, ibidem 1814. 8 mai. 3) liber *περὶ Συνδέσμων* s. *de Coniunctionibus* et 4) liber *περὶ Ἐπιῤῥημάτων* s. *de Adverbiis*; uterque e libris Mss. primum editus ab *Imm. Bekkero* in *Anec-*

dotis Graecis Vol. II. pag. 477—625. (De alio libro, ad eumdem Apollonium relato auctorem, infra dixi). Apollonium hunc cum eius filio *Aelio Herodiano*, qui e parentis disciplina profectus, Marco Aurelio Antonino admodum se probavit (circa a. 161. p. Ch.) prioribus adeo Grammaticis antetulit *Priscianus* in praefat. lib. I. Nec vero parente inferior *Herodianus*, inter Grammaticos iuniores magnum adeptus est nomen, plurimaque reliquit scripta, grammatici argumenti omnia; in his libros XX. *de prosodia universa* (ἡ καθόλου sc. προσῳδία); quae maximam partem interiere, partim adhuc inedita in bibliothecis latent, partim lucem viderunt, quum in Corpore *Grammaticorum Aldi*, tum in *Villoisonii Anecdotis Graecis*. Fragmentum *de vitiosis dictionibus* (περὶ ἡμαρτημένων λέξεων) e cod. August. primus edidit *Hermannus* ad calcem libri sui *De emendanda ratione Graecae Grammaticae*, Lipsiae 1801. 8. p. 301—318. Librum Herodiani qui inscribitur Ἐπιμερισμοί, e codd. Parisinis nuper vulgavit *Io. Fr. Boissonade*, vir Graece doctissimus, Londini 1819. 8. Cf. de Herodiano et Apollonio Fabricium in B. Gr. T. VI. p. 271-285. Harl.

Grammaticorum horum agmen claudant, quorum *de metris poëticis* libros tenemus. Inter quos eminet *Hephaestion* Alexandrinus, Hadriani et Antonini Pii temporibus, cui debemus *Compendium de Metris et Poëmate*, Ἐγχειρίδιον περὶ μέτρων, praeter *Scholiastas metricos* paene unicum huius generis libellum Graece editum, qui, utut multa contineat perperam observata, tamen antiquiorum Grammaticorum de metris doctrinam demonstrat, quemque, *si a paucis recedas*, fere secuti sunt, qui inter recentiores artem hanc explicuerunt. Accedit quod, quum Lyricorum carmina nondum deperdita ipse lectitaret Hephaestion, multa eorum fragmenta libello suo inseruit. Codicum mss. censum vide apud Fabricium T. VI. p. 299 sq. Princeps editio est *Iuntina* Florentiae 1526. 8.; emendatior, *cum Scholiis Graecis* a Christiano quodam excerptis, *Adr. Turnebi*, Parisiis 1553. 4. quam sequitur *Io. Corn. de Pauwii* illa cum scholiis antiquis et animadversionibus, Traiecti ad Rhen. 1726. 4. a *Dorvillio* in *Vanno critica*, tantopere exagitata. No-

vissima, eaque ceteris longe praestans, est ex recensione *Thomae Gaisfordii*, ad Mss. fidem, cum notis variorum, praecipue *Leon. Hotschkisii*, Oxon. 1810. 8 mai. Prolegomenorum in Hephaestionis Enchiridium sub nomine *Longini* partem aliquam vulgavit *Io. Hudsonus* in Longini editione sua; *Io. Boivin*, aliique. V. Fabric. T. VI. p. 93. — Cf. *G. d'Arnaud* Specimen animadversionum criticar. ad aliquos scriptores Graecos. Harlingae 1726. 8. cap. XVI—XXVIII. — *Dorvillii Vannus Critica in inanes Pavonis paleas* etc. Amstelod. 1737. 8. — *Godofr. Hermannus* De Metris poëtarum Graecorum et Romanorum, Lipsiae 1796. 8. — *Eiusdem* Handbuch der Metrik, Lips. 1799. 8. — *Eiusdem* Elementa doctrinae metricae, Lipsiae 1816. 8 mai. — Et *Epitome doctrinae Metricae*, in usum scholarum edidit G. H. Lipsiae 1818. 8 mai. — *Aug. Seidlerus* de versibus dochmiacis P. I. II. Lips. 1810 sq. 8.

Farraginem observationum prosodicarum, maximam partem iam aliunde notarum, continet liber *Draconis Stratonicensis* (e Caria, ut putat *Hasius*, vir doctissimus) περὶ μέτρων ποιητικῶν *de metris poëticis*, cuius apographum Ruhnkenius sibi paraverat, quemque accurate descripsit *C. B. Hase* in Notitiis et Excerptis Mss. Bibl. Reg. T. VIII. P. II. p. 33—77. subiuncta particula satis ampla Graeci contextus, quem integrum, ex apographo *Bastiano*, primus edidit *Godofr. Hermannus* una cum *Io. Tzetzae Exegesi in Homeri Iliadem*, Lips. 1812. 8 mai. Draconis huius, Grammatici satis antiqui, cuius plura scripta grammatica atque metrica olim exstitisse Suidas testatur, aetas, praeeunte Hermanno (in Praefat. p. XVII.), ita constituenda videtur, ut Apollonio Alexandrino, paullo ante commemorato, qui Draconem in libro suo de Pronomine *ut non amplius superstitem* laudat, aequalis habeatur. Ex quo simul patet, eius *librum de metris*, in quo non solum Apollonius, sed etiam *Herodianus*, *Apollonii filius*, citatur, non integrum, sed ex seriorum Grammaticorum scriptis interpolatum esse. Idem ex aliis argumentis indiciisque, ut ex dissimili observationum bonitate, et creberrimis eorumdem praeceptorum repetitionibus, facile colligitur: quae cuncta Her-

manni opinionem confirmant, totam hanc annotationum congeriem non esse nisi *epitomen libri, quem Draco de metris scripserat*, auctam subinde aliorum Grammaticorum additamentis. — Epitomae huic, haud multo post, quasi comites, adiunxit *Franc. de Furia* e codd. Bibliothecae Mediceae erutos *duo tractatus de metris*, augendae quidem scientiae parum fructuosos: alterum *Trichae* cuiusdam, alterum *Eliae Monachi*, et perbrevem scriptionem *Herodiani περὶ τῆς λέξεως τῶν στίχων*, sed nulla, nec notitia litteraria, nec emendatione critica adiecta, hoc indice: *Appendix ad Draconem Stratonicensem, complectens Trichae, Eliae Monachi et Herodiani Tractatus de metris. Ex Codd. Mss. edidit Fr. de Furia*, Lipsiae 1814. 8.

§. 127.

Quum in veterum Grammaticorum commentariis locutiones et vocabula antiquata, rariora atque peregrina, aut certis dialectis propria frequenter illustrarentur et explicarentur; exstiterunt subinde qui λέξεις has sive γλώσσας, primo singulorum auctorum, tum certi generis scriptorum, populorum, dialectorum, aut colligerent, aut eiusmodi glossaria sive lexica suo studio conscriberent: ex quibus posthac *generaliora* et maioris moduli *lexica* et vocabularia Graeca conflata esse res ipsa docet; quamquam Glossaria iam Athenis, atque adeo vigente lingua, reperta esse, ex *Stratonis* sive *Strattidis*, poëtae comici veteris fragmento apud Athenaeum IX. p. 382 sq. constare videtur. Cf. Valckenar. ap. Koppiers. Obss. Philolog. p. 36. Huius igitur generis fuere *Philetae* cuiusdam *) *Lexicon Homericum*; *Appionis λέξεις Ὁμηρικαί, et Apollonii Sophistae* ex iis descriptum *Homeri Lexicon* nobis paullo ante laudatum (§. 126.)

---

*) Dixi *cuiusdam*. Nam e temporum ratione nequaquam ad poëtam et grammaticum cognominem illud referri licet; quod passim fecere viri docti. cf. Wolfii Prolegg. ad Homer. p. 196. not. 67. Harles. ad Fabric. B. Gr. T. I. p. 518. qui se ipse tamen retractat ibid. T. VI. p. 376.

Eiusdem ordinis *Glossarium* in voces *Hippocratis* exstat ab *Erotiano*, Neronis temporibus florente, conscriptum, quod cum aliis Lexicis medicis e cod. ms. primus vulgavit *H. Stephanus* Parisiis 1564. 8., novissime autem a *Franzio* Lipsiae 1780. 8. editum commemoravimus §. 98. extr. T. I p. 207.; multos tamen ante Erotianum in simili opere elaborando desudasse, ex huius praefatione cognoscitur. cf. Fabric. T. VI. p. 239. Aliud inter *Galeni* scripta legitur; tertium sub *Herodoti* cuiusdam nomine servatum est, utrumque cum *Erotiani Glossario* aut seorsum, ut a *Franzio*, aut inter Hippocratis et Galeni opera vulgatum. — Neque diversae indolis est *Lexicon decem oratorum Graecorum* praestantissimum, quod omnium manibus versatur, e Grammaticorum veterum in oratores Graecos doctis commentariis conscriptum a *Valerio Harpocratione*, rhetore vel Grammatico Alexandrino, quem alii *Veri* Caesaris magistrum fuisse, et ante a. 169. vixisse putant; *Saxius* autem in Onomast. liter. T. I. p. 407. quarto saeculo circa a. 354. asserit. Post Lexici huius editionem principem *Aldinam*, una cum *Ulpiani*, ut ferunt, *in Demosthenem commentariis*, Venetiis 1503. fol. (v. T. I. p. 193 sq.), recensendo, emendando et illustrando optime de eo meriti sunt *Phil. Iac. Maussacus*, *Henr. Valesius* et *Iac. Gronovius*, quorum commentarii in Harpocrationem continentur editione *Nic. Blancardi*, Lugd. Bat. 1683. 4. addita interpretat. Lat., et *Iac. Gronovii*, ibid. 1696. 4. — Denique *Timaei* cuiusdam Sophistae, quem saec. III. p. Ch. vixisse probabile fit, exstat *Lexicon* brevissimum *vocum Platonicarum* (*Λέξεις Πλατωνικαί*), quod e cod. Sangerm. primus integrum edidit, et doctissimis notis illustravit *Dav. Ruhnkenius*, Lugd. Bat. 1754. 8. tum secundis curis multo auctius et emendatius ibid. 1789. 8. Cf. T. I. p. 121.

Voces *Atticas*, cum communi dialecto (*τῇ κοινῇ* sive *Ἑλληνικῇ*) i. e. ea, quae abstinet vocibus phrasibusque, singulari dialecto propriis, vocabulis utens formisque vocabulorum, communiter ab omnibus populis qui Graece loquerentur receptis, comparatas multi illustrarunt Grammatici. Cf. *Piersonium* in praefat. ad Moeridem, et Fabric. T. VI. p. 172. *Editi* su-

persunt, ad hanc in qua versamur aetatem referendi, libelli 1) *Aelii Moeridis* cognomento *Atticistae*, saeculi II. scriptoris, cuius *Λέξεις Ἀττικῶν καὶ Ἑλλήνων* i. e. dictiones Atticae dialecto propriae, per communes et a vulgo Graecorum receptas explicatae, in praeclara exstant editione *Io. Piersonii*, Lugd. Bat. 1759. 8. (Cum *Timaei* Sophistae Lexico Platonico Moerin Atticistam ex Hudsoni exemplo recudendam curaverat *Io. Fr. Fischer* Lipsiae 1756. 8.). 2) *Phrynichi*, cognomento *Arabii*, rhetoris et sophistae, M. Aurelii Antonini et Commodi temporibus, cuius *Eclogas nominum et verborum Atticorum* post *Calliergum*, *Asulanum*, *Nunnesium*, *Hoeschelium*, *Io. Cornelium de Pauw* (Trai. ad Rhen. 1739. 4.), novissime cum doctissimis aliorum suisque commentariis edidit *Chr. Aug. Lobeck*, hoc indice: *Phrynichi Eclogae nominum et verborum Atticorum* cum notis P. I. Nunnesii, D. Höschelii, I. Scaligeri et Cornelii de Pauw partim integris, partim contractis, edidit, explicuit C. A. L. Accedunt *Fragmentum Herodiani* et Notae, Praefationes Nunnesii et Pauwii et *Parerga De vocabulorum terminatione et compositione*, *De Aoristis verborum authypotactorum* etc. Lipsiae 1820. 8 mai. — Aliud Phrynichi huius opus amplissimum, *Παρασκευὴ* s. *Προπαρασκευὴ σοφιστική*, i. e. *Apparatus oratorii*, inscriptum, et *Commodo Imp.* dicatum, libris XXXVII. quorum brevem epitomen dedit *Photius*, in codice bibl. Coislin. asservatur, ex quo specimina edidere *Montfaucon* in Bibl. Coislin. p. 465 sqq. et *Imm. Bekkerus* in Anecdotis Graecis Vol. I. p. 1—74. Adde Ruhnkenium ad Timaei Lex. p. 41. 73. 93. 199. ed. sec. et Bastium in Ep. Crit.

Non elementorum ordine, sed ad rerum seriem, quotquot ad idem argumentum pertinent, nomina collegit et, addita plerumque obscuriorum vocabulorum explicatione, in *Onomastici*, Commodo Caesari, admodum tum iuveni, dicati, *decem* libris exposuit *Iulius Pollux*, Naucratites Aegyptius, artis rhetoricae, Commodi imp. iussu, Athenis magister, ac plurium rhetoricarum lucubrationum auctor creditus. Quarum iacturam facile compensat Vocabularium illud superstes, graecitatisque pariter atque antiquitatis et litte-

rarum antiquarum thesaurus ditissimus, cuius aditum Graecarum litterarum studiosis demum reclusit duumvirorum acumen criticum et insignis doctrina, *Io. H. Lederlini* et *Tib. Hemsterhusii*, qui post *Wolfg. Seberi* in edendo Latineque vertendo Polluce (Francof. 1608. 4.) diligentiam, praestantissimo Lexicographo emendando et illustrando operam suam addixerunt, Amstelod. 1706. II Voll. fol. cf. Elogium Hemsterhusii a Dav. Ruhnkenio conscriptum, Lugd. Bat. 1789. 8. — In luculentum Onomastici huius locum *de theatro Graecorum eiusque partibus* l. IV. c. 19. accuratius disquirere coepi in *quinque* prolusionibus, quarum duae priores *de Scena* et de *Thymele in theatro Graecorum*, Sophoclis Philoctetae et Trachiniar. editioni subiunctae sunt, Vilnae 1806. et 1808. 8. duae sequentes, *de Parasceniis* et *de Hyposcenio* coniunctae leguntur in *Wolfii*, Viri Cel., Analectis Litter. Vol. II. pag. 99—136. *quinta* denique *de Proëdria* et *de Aulaeo*, Lectionum in Acad. Viln. a. 1821. Indici praemissa, posthac inserta est *Miscellaneis Criticis* a *Scebodio*, Viro Clarissimo, editis Partic. II. Hildes. 1822. 8.

De reliquis, quae lucem viderunt, Lexicis posteriore tempore confectis, infra scripsi.

§. 128.

Historicorum etiam ferax erat aetas Ptolemaeorum, sed tam paucorum libri sospites ad nos pervenerunt, ut plurimorum solam memoriam iis fere scriptoribus debeamus, qui aliquot saeculis post, circa Caesaris Augusti tempora et quae sequuntur, fontibus his usi, ad historiam scribendam sese applicuerunt. Quod quo aegrius feras propter rerum hoc temporis ambitu gestarum, quae intercidit, memoriam: eo minus dissimulandum videtur, historiam a pristina illa simplicitate, gravitate, rerumque narratarum fide, quas in Herodoto, Thucydide, Xenophonte, tantopere admiramur virtutes, iam tum valde deflexisse. Nam cum placendi assentandique studio, res novas, insolitas, mirabiles narrandi, variisque modis exornandi amor plurimorum animos invasisse videtur. Qua saeculi labe imprimis notatur scripto-

rum, qui Alexandri M. res gestas perscripserunt, cohors, cuius amplissimum censum vide apud Fabricium in B. Gr. T. III. p. 32—53. Nobilissimi et reliquis partim fide digniores fuerunt, praeter *Ptolemaeum Lagi*, Aegypti regem, 1) *Hieronymus Cardianus* (a Cardia Chersonesi Thraciae urbe patria dictus), Alexandro aequalis, *Eumenis* (itidem Cardiani, et inter duces vel ministros Alexandri celeberrimi, cuius et *Diodoti* Erythraei *Ephemerides* sive Diarium rerum ab Alexandro gestarum laudat Athenaeus X. p. 434,) familiarissimus; idem historiae successorum Alexandri auctor, in qua Antigoni partibus nimium studuisse dicitur, ceterum scriptor gravissimus, cuius auctoritate potissimum usi sunt Plutarchus in vitis Eumenis, Demetrii, Pyrrhi, et Diodorus Siculus in historiarum suarum libris XVIII-XX. Cf. *F. Sevinum* in Mem. de l'Acad. des Inscr. T. XIX. p. 30. *Heerenium* De fontibus et auctoritate vitarum parallelar. Plutarchi in Comm. recent. Soc. scient. Gotting. Vol. III. Class. Histor. et Philol. p. 68 sqq. — *C. Mannert* in *Geschichte der unmittelbaren Nachfolger Alexanders* p. 352. — 2) *Aristobulus*, Alexandri comes, quem in historia de Alexandri expeditione prae ceteris fide digniorem secutum se esse scriptorem profitetur Arrianus. 3) *Marsyas Pellaeus*, Alexandri contubernalis, et Antigoni regis frater, qui *Macedonicarum* rerum libros X., et librum *de educatione Alexandri* scripserat. V. Suidas et Vossius de Histor. Graecis l. l. c. 10. 4) *Hecataeus Abderita*, itidem Alexandri convictor et Ptolemaei Lagi comes, historiarum et antiquitatum *Iudaicarum* scriptor, ex quo opere, una cum ceteris quae modo laudavimus deperdito, fragmenta, a *Iosepho* servata, separatim vulgavit *Petrus Zornius*: *Hecataei Abder. Eclogae* cum notis Ios. Scaligeri suoque commentario perpetuo, Altonae 1730. 8. Sed supposititium Hecataei librum esse, post Scaligerum, iudicat *Eichhornius* V. Cel. in *Allgem. Bibl. der biblischen Litteratur* Part. V. nr. 3. — Minus commendantur veteribus, tum a narrationis fide, tum ab elocutionis gravitate et simplicitate, *Callisthenis*, Aristotelis consobrini et Alexandri comitis, ab eodem rege crudeliter necati, historiae; *Megasthenis* libri

Indicorum; *Clitarchus*, *Onesicritus*, *Hegesias Magnes*, idem historicus et orator, Asiatici generis dicendi primus auctor, et Atticae eloquentiae corruptor insignis, cuius Cicero meminit in Oratore c. 67. et in Bruto, c. 83. unde *Ἡγησιακὸν τὸ σχῆμα* ap. Dionysium De Composit. Verbor. 35. p. 58 ed. Schaef. cf. *Ruhnkenium* ad Rutilium Lupum I. p. 25 sq. Sed historicorum horum aliorumque, quos praetermisimus, censuram nemo melius instituit quam doctissimus *De Sainte-Croix* in praeclaro libro: *Examen critique des anciens historiens d'Alexandre le Grand.* Seconde edition considerabl. augmentée. Parisiis 1805. 4.

§. 129.

Eiusdem fere aetatis historici, quorum scripta tempus delevit, fuere:

Anaximenes Lampsacenus, qui historiarum Graecarum corpus aliquod condidisse fertur (*τὰ Ἑλληνικά*, inde a Theogonia usque ad pugnam Mantineensem Ol. CIV. 2.), universas prope Graecorum et Barbarorum res gestas XVII voluminibus complexus; idem qui Philippi et Alexandri res gestas perscripserat. Cf. Heynii Comm. de Apollodori Bibl. p. XXXV. (§. 57 extr. T. I. p. 100.)

Duris Samius, Ptol. Philadelphi temporibus, *homo in historia diligens* dictus Ciceroni in Epp. ad Attic. VI. 1. cuius historiae Macedonicae, Graecae, Libycae, Agathoclis, fortasse *unius* operis partes tantum diversae, olim exstabant.

Timaeus Siculus, a Tauromenio, patria urbe, dictus Tauromenites, Lagi et Philadelphi aetate, historiae generalioris auctor, in qua res Siculas et Italicas, bellaque Romanorum potissimum persecutus erat, aliorum historicorum iudex acerbus, in rebusque gestis narrandis Chronologiae studiosissimus, quippe qui a nonnullis primus historicorum fuisse dicitur, qui res gestas ad Olympiadum aeram et Archontum Atheniensium annos revocaret. Cf. Cic. de Orat. II. 14. Brut. 95.

Euemerus Messenius Siculus, Cassandri Macedonum regis (Ol. CXVI.) liberalitate ad itinerum sum-

tus sustentandos sublevatus, cuius *historias sacras*, (*ἱερὰν ἀναγραφήν*, in qua ex inscriptionibus, quae in templis habebantur aliisque locis, imprimis Panchaiae Indiae, fictitio haud dubie nomine, *Deorum a claris hominibus deductam genealogiam* descripserat, *athei* cognomen propterea meruisse visus veteribus) *Ennius*, poëta Latinus vetustissimus, in Latinum sermonem transtulit. Ennianae interpretationis aliquot supersunt fragmenta. Cf. Cic. de Nat. Deor. I. 42. Strabo l. p. 81. *Lactantius* de Instit. Div. I. c. 11. 13. 14. *Sevin*, *Fourmont* et *Foucher* in Mem. de l'Acad. des Inscr. T. VIII. XV. XXXV. *Brucker* in Hist. crit. philos. T. I. p. 604 sqq.

Berosus e Chaldaea, historicus et astrologus, circa Ol. CXXX. a. Chr. 260. Philadelpho regnante. E fastis antiquissimis, Babylone in Beli templo, cuius ipse sacerdos erat, asservatis, historiae *de antiquitatibus Chaldaicis et Babyloniis* libros III., Antiocho Deo, Syriae regi, dicatos, concinnavit; quorum nonnisi fragmenta apud *Iosephum* exstant et *Eusebium*, quae collegit, Graeceque edidit et illustravit *Ios. Scaliger* ad calcem operis sui *De emendatione temporum*: tum auctiora cum vers. Lat. et notis suis *I. A. Fabricius* inseruit Bibliothecae Graecae T. XIV. p. 175 vet. ed. Ab his sedulo distinguendi sunt *Antiquitatum libri quinque* Latine scripti, et Berosi nomen mentientes, quorum auctor *Annius* est *Viterbiensis*, saec. XV. monachus; diversas autem editiones indicesque, post Fabricium l. c., percenset *Adelungius* in Supplem. ad Iöcheri Lex. T. I. p. 896.

Manetho Diospolitanus Aegyptius, e sacerdotum familia, summus ipse sacerdos et Ἱερογραμματεὺς in templo Hieropolitano, Berosi aequalis, Philadelpho regnante circa Ol. CXXIX. 3. scripsit *rerum Aegyptiacarum* libros III., gentis huius historiam ab antiquissimis inde temporibus usque ad initium regni Darii Codomanni, ultimi Persarum regis, persecutus. Deperditi operis egregia fragmenta servarunt *Iosephus* in primo contra Appionem libro, et *Syncellus* in Chronographia, quae descripsit et illustravit *Ios. Scaliger* in Graecis Eusebii, et ad calcem libri laud. de emend. tempp. Quum dynastiarum XXXI per annorum 4471

spatium in Aegypto, Manethone auctore, regnantium fides nonnullis ambigua visa fuerit, aliis cum reliqua veteri historia difficulter concilianda: in elevanda aut asserenda scriptoris huius auctoritate, post Iosephum, viri docti complures certatim laborarunt. Potiores sunt *Vossius* de Hist. Gr. I. 14. *Io. Marsham* in Canonis chron. principio, *Whiston*, *Newton*, *Vsserius*, *Fourmont*, *Iablonski*, *Des-Vignoles*, *Iackson*, *Beer*, *Larcher* (ad Herodot. T. VI.), *Meiners*, et nuper *Io. Potocki* in *Dynasties du second livre de Manethon*, Florence 1803. 8. — Cf. Allgemeine Welthistorie Vol. I. p. 491 sqq. — Manethonis autem, qui exstat, liber *de regibus Aegyptiorum*, Latine scriptus, eumdem *Annium Viterbiensem* auctorem habet, qui in Berosi aliorumque utriusque linguae veterum auctorum deperditis scriptis denuo procudendis quinto decimo saeculo lusit operam. — Aliorum librorum, ad Aegyptiorum religiones et antiquitatem maxime spectantium, qui Manethoni passim tribuuntur, indicem et argumenta vide ap. Fabric. T. IV. p. 132. In horum numerum etiam vulgo refertur *carmen astrologicum*, *Ἀποτελεσματικῶν* sive *de viribus et effectis astrorum* libri *sex*, quod in uno codice Mediceo superstes primo typis excudendum curavit, addita interpretatione Latina, *Iac. Gronovius*, Lugd. Bat. 1698. 4. Eidem carmini valde interpolato, et librariorum culpa innumeris locis foede corrupto, emaculando ac passim explicando insignem dedit operam *I. Ph. Dorvillius* in Animadversionibus ad *Charitonem*, scriptorem eroticum, novamque eius editionem erat paraturus, nisi morte praeventus fuisset. Sed post aliorum dubitationes, an re vera Manethonis nostri carmen hoc sit habendum, iudicasse litem censendus est acutissimus criticus, *Tyrwhitt*, qui in praefat. ad Lithica Pseudo-Orphei p. XII. neque ab uno eodemque auctore totum carmen profectum esse, nec Ptolemaeorum saeculo, sed imperio Romano iam vergente scriptum esse docuit. Cui opinioni subscripsit nuper *Hermannus* in docta dissertatione de Orphicorum carminum aetate, horum editioni subiecta. Cf. *Heynium* in Opusc. Acad. T. I. p. 95 sq. et *Zieglerum* in *Neues Magazin für Schullehrer*. T. II. Part. I. p. 99.

Denique *Phylarchi*, patriae incertae, Ptol. Euergeta et Philopatore regnantibus florentis, Historiae libris XXVIII., inde a Pyrrhi in Peloponnesum expeditione usque ad Ptolem. Euergetae mortem a. Ch. 221. pertextae, et *Philini* Agrigentini *Belli Punici primi* historia, Polybio et Diodoro Siculo commemorata, inter nobiliores quae interierunt numerentur.

§. 130.

Oratorium scribendi genus, quod historicorum quos enumeravimus maxima pars adhuc secuti sunt, subinde aliud genuit, quod *pragmaticum* vocamus, quia cum causarum et effectuum, ex quibus res gestae et eventus pendeant pleniusque intelligantur, subtiliori disquisitione, iudicii etiam sollertiam, atque consiliis sententiisque, ad vitae prudentiam rerumque actum idoneis, legentis animum imbuendi studium coniungit. Cuius generis inter Graecos auctor praecipuus habetur *Polybius*, ducentis circiter ante aeram vulgarem annis natus Megalopoli in Arcadia, Lycortae, Achaeorum ducis, filius, et magni *Philopoemenis* disciplinae alumnus. Is cum mille Achaeis nobilissimis a. Ch. 166. ab V. C. 588. obses Romam arcessitus, ibique commorandi venia impetrata, quum principum virorum, Aemiliani maxime Scipionis, tunc adolescentis, gratia floreret: linguae et historiae Romanorum addiscendae, tum itinerum per Alpes, Hispaniam Galliasque suscipiendorum opportunitate oblata usus est ad *rerum*, trium et quinquaginta annorum spatio gestarum, *inde a belli Punici secundi initio*, ubi Timaeus desierat, *usque ad Persen*, ultimum Macedoniae regem ab Romanis devictum, (ab V. C. 534—587. a. Ch. 220—157. Ol. CXL. 1. — CLIII. 2.) *historiam catholicam*, i. e., universalem, Graece conscribendam. Cuius quidem operis, post annum V. C. 611., quum iam in patriam esset reversus, et Achaeorum rempublicam magna cum laude administraret, demum absoluti, minima pars, priores quippe *quinque* libri, de *quadraginta*, *integri*, (quorum I et II introductionem in totum opus continent), *sexti* usque ad *septimum decimum*

Excerpta, *reliquorum* tantum *fragmenta* supersunt. Iniquam sortem evenisse dixeris scriptori, quem fide et auctoritate gravem, rerumque utilium scituque dignarum copia instructissimum, merito suspicias: quamquam idem, pragmatice scribendi studio, sententiis locisque communibus nimis redundat, et dictione utitur quae ab Atticorum simplicitate et elegantia abhorret, verbis aut loquendi formis vel novatis, vel poëticis, et philosophorum sermoni propriis, referta est, atque collocatione insolita ac Latinitatem passim redolente displicet. In quo tamen scribendi genere posteris historicis, qui ad Polybii maxime exemplum sese composuerunt, Iosepho, Dionysio Halicarnasseo, Diodoro, Cassio Dioni, praeivisse putandus est. Dictionem Polybianam etiam cum sacris N. F. scriptoribus diligenter comparavit *Georg. Raphelius* in *Annotationibus philolog. in N. T. ex Polybio et Arriano collectis*, Hamburgi 1715. 8. rec. Lugd. Bat. 1747. II Voll. 8. *Historicas Polybii laudes* in disputatione philologica, praeside *Van Heusde*, persecutus est *Antonius van Goudoever*, Trai. ad Rhen. 1809. 8. Cf. Wyttenbachii Miscell. Doctrinae lib. II. p. 232.

De Codd. Mss. et editionibus Polybii accurate egit doctissimus *Schweighäuserus* in praef. ad T. I. II. et V. editionis suae. Libros quinque superstites, *Graece* tunc ineditos, e codice Ms. Latine vertit ediditque *Nic. Perottus*, Romae 1473. fol.: Graece autem primus vulgavit *Vincentius Obsopoeus*, subiuncta Perotti interpret. Lat. Hagenoae 1530. fol. Quam editionem sequuntur *Basileensis* per Io. Hervagium, Graeca curante *Arlenio* 1549. fol. — *Casauboniana*, una cum *Aenea Tactico*, ex libris mss. emendata, et cum Lat. interpr. Casauboni, Paris. 1609. fol. — *Iac. Gronovii*, Amstelod. 1670. III Voll. 8. repetita ab *Ernestio*, addito glossario Polybiano, Lipsiae 1763. III Voll. 8. — denique novissima omniumque primaria, hoc indice: *Polybii Megalop. Historiarum quidquid superest. Recensuit, digessit, emendatione, interpretatione, varietate lectionis, adnotationibus, indicibus illustravit Io. Schweighäuser*, Lipsiae 1789 sqq. IX Voll. 8 mai.

Interpretatio Polybii *Gallica*, auctore *D. V. Thuil-*

lier, cum commentario *Folardi*, rei militaris studiosis scripto, prodiit Parisiis 1727. VI Voll. 4. et addito supplemento Amstelod. 1753. VII Voll. 4. Folardei commentarii censuram egit *Car. Guichard* in *Memoires militaires sur les Grecs et les Romains*, Lugduni 1760. II Voll. 8. cf. Eiusdem *Memoires critiques et historiques sur plusieurs points d'antiquités militaires*, Parisiis 1774. IV Voll. 8. In eodem versatur argumento liber ex Polybii historiis excerptus (L. VI. c. 17—40.) *de Romanorum militia et castrorum metatione* per *Ianum Lascarem*, Graece et Latine, Basileae 1537. 8., quem, post *Franc. Patricium*, eruditis commentariis illustravit *Iustus Lipsius* in libris V. *de militia Romana*, et hinc denuo cum Hygino edidit, notisque et dissertationibus explicuit *R. H. Schelius*, Amstelod. 1660. 4. Eadem Excerpta inserta sunt Thesauri AA. RR. Graeviani Tomo X., et seorsum edita ab *I. G. Poeschelio*, Norimb. 1731. 8. — In *Germanicum* sermonem transtulit Polybium *Ch. D. Seybold*, Lemgoviae 1779 sqq. IV Voll. 8.

Historiam Polybii usque ad Pompeii tempora continuasse dicitur *Posidonius*, ab Apamea in Syria oriundus, *Panaetii*, Stoici philosophi, discipulus, quem Rhodi Magnus Pompeius atque Cicero audiverant, quique Romam venit M. Marcello Cos., hoc est, anno ab V. C. 702. Eius historiae inscriptae erant: *Τὰ μετὰ τὸν Πολύβιον*, et LII libris constabant. Quod opus, veteribus valde probatum, a *Trogo Pompeio*, ideoque a *Iustino* etiam in libris XXXVI—XLII expressum esse, acute observavit *Heerenius*, monente *Ruhkopfio* ad Senecae epistolam XC. 4., e Posidonii scripto philosophico totam fere excerptam. Posidonii huius frequenter meminit Cicero, ut De Nat. D. I. 3. Epp. ad Attic. II. 1. aliisque locis. Posidonii Rhodii reliquias doctrinae collegit atque illustravit *Ianus Bake*. Accedit D. Wyttenbachii annotatio. Amstelod. 1810. 8. Ab hoc Posidonio tamen, Panaetii discipulo, (de quo copiose egit Fabricius in B. G. Vol. III. p. 572. Harl.) *Bakius* diversum putat cognominem scriptorem historiarum *τῶν μετὰ Πολύβιον*, quem, Suida teste Alexandrinum, ipse Olbiopoli ortum esse probare conatur. Posidonii Rhodii scripta deperdita

XXV numerat, quorum praecipua fuere: περὶ θεῶν, περὶ καθήκοντος, et ἱστοριῶν libri quinquaginta, ab Alexandri M. temporibus usque ad aetatem scriptoris.

I. I. Reiskii Animadversionum ad Graecos auctores Vol. IV*tum*, in quo Polybii reliquiae pertractantur. Lipsiae 1763. 8. et Vol. V. p. 757 sqq. — De reliquis libris Polybium illustrantibus v. Harles. in Introd. etc. T. I. p. 569 sq.

§. 131.

Centum circiter annis post, profligatis a Caesare Octaviano bellis civilibus, ab V. C. 723. a. Ch. 30., *Dionysius* de patria sua dictus *Halicarnassensis*, rhetor, criticus et historicus insignis, in Italiam venit, Romaeque annos duo et viginti commoratus, in Graecorum, popularium suorum, gratiam, populi Romani origines, reipublicae formam et instituta resque gestas ab urbis incunabulis usque ad belli Punici primi initium, historiarum libris XX enarrare aggressus est, quas inscripsit: Ἀρχαιολογία Ῥωμαϊκή. Ex his supersunt libri IX priores integri, decimi et undecimi pars, in anno urbis CCCXII desinens, et reliquorum fragmenta quaedam a *Fulvio Ursino* et *Henr. Valesio* in Excerptis Constantini Porph. primo vulgata. Scriptoris accurati, in antiquissima tamen populi Romani historia caute adhibendi, laudem meruit, ex quo multa quae ad antiquitatem Romanam pertinent plenius cognosci possunt, quam ex ipsis Romanis scriptoribus qui de gente sua tradiderunt.

Codices Dionysii Mss. recensuit *Harlesius* ad Fabricium T. IV. p. 384 sqq. E duobus Vaticanis Archaeologiae Ro. libros XI primum *latine* vertit editque *Lapus Biragus*, Florentinus, Tarvisii 1480. fol. *Graece* primo prodierunt cura *Rob. Stephani*, Lutetiae Parisior. 1546. fol. Praestant editiones omnium operum Dionysii, studio *Fridr. Sylburgii* Francof. 1586. fol. — splendida *Ioannis Hudsoni*, Londini 1704. II Voll. fol., et novissima *I. I. Reiskii*, Lipsiae 1774 sqq. VI Voll. 8. *Synopsin* sive epitomen Archaeologiae Dionysii cum animadversionibus concinnavit *Grimmius*, Lipsiae 1786. 8. — *Latine* verterunt, post Lapum, *Sigism. Gelenius* et *Aemilius Por-*

tus; *Gallice*, *Le Jay* et *Bellanger*, Parisiis 1723. II Voll. 4. repet. ibidem 1806. VI Voll. 8.; *Anglice*, *Ed. Spelmann*, Londini 1759. 4.; *Germanice*, *I. L. Benzler*, Lemgo 1771. II Voll. 8.

Epitomen Antiquitatum Romanarum, libris quinque descriptam, ab ipso Dionysio confectam esse testatur Photius Cod. LXXXIV. Hanc reperisse sibi visus est *Angelus Maius*, Vir Clarissimus, in duobus libris mss. Bibl. Ambrosianae Mediolan., etsi valde mutilam, ex eaque eam partem Graece edidit, quae Dionysii libros Antiquitatum deperditos supplet, hoc quidem indice: *Dionysii Halic. Romanar. Antiquitatum pars hactenus desiderata, nunc denique ope codicum Ambrosianor. ab Angelo Maio, quantum licuit, restituta.* Mediolani 1816. 4. At non *ipsos historiarum* Dionysii *libros IX* qui deperditi erant, a *Maio* repertos primumque editos esse constat, sed *solam eorum epitomen*, de qua, an ipsum Dionysium auctorem habeat, eademque sit quae Photio laudatur, etiam dubitare licet. Cf. Censorem Ienensem in Ephemer. Litter. 1817. Nr. 104. et *C. L. Struvii* V. Cl. librum Germanico sermone conscriptum: *Ueber die von A. Maius bekannt gemachten Bruchstücke der Römischen Geschichte des Dionysius von Halikarnass; eine kritische Untersuchung. Königsberg 1820. 8.* Adde Progr. Lectionum Vilnensium Indici praemissum: *De nuperis inventis Mediolanensibus* 1817. fol. pag. 4. not o).

Eiusdem Dionysii exstant scripta aliquot *rhetorica* et *critica* eximia et lectu dignissima, quae iunior aetate, antequam Archaeologiam conderet, composuisse videtur: 1) liber *de structura* sive *compositione orationis* (περὶ συνθέσεως ὀνομάτων), cum versione Latina editus a *Sam. Bircovio*, Polono, Samoscii 1550. 8., tum ex recens. *Iac. Uptoni*, Londini 1747. 8. nuper autem a *G. H. Schäfero*, Lipsiae 1808. 8. et a *Fr. Goellero* e copiis biblioth. regiae Monacensis. Acc. VV. LL. in Themistii Orationes ex Cod. Monacensi excerptae a *Fr. Iacobsio* Ienae 1815. 8.; in *Gallicum* conversus sermonem, additis notis, a *Batteusio*, Paris. 1788. 12. — 2) *Ars rhetorica* (Τέχνη), inserta Rhetoribus Aldi 1508. fol., nuper autem separatim edita, cum vers. Lat. et commentario ab *H. A. Schottio*, Li-

psiae 1804. 8. — 3) τῶν Παλαιῶν Χαρακτῆρες sive τῶν Ἀρχαίων Κρίσις i. e. *Veterum Auctorum*, Homeri, Hesiodi, Antimachi, Panyasis, Pindari, Simonidis, Stesichori, Alcaei, Aeschyli, Sophoclis, Euripidis, Herodoti et Thucydidis, Philisti et Xenophontis, Theopompi, Pythagoreorum, Platonis et Aristotelis, Lysiae, Isocratis, Demosthenis, Aeschinis, Hyperidis, *Censura*, sive de eorum operibus iudicium. Graece primum edidit cum aliis scriptis criticis Dionysii, *H. Stephanus*, Paris. 1554. 8. Latine vertit *Stan. Ilovius* Polonus, Basileae 1557. 8. — *De Oratoribus Atticis* (περὶ τῶν Ἀττικῶν ῥητόρων) Commentarii, quorum pars tantum servata est, separatim editi ex recens. *E. R. Moresii*, Oxoniae 1781. II Voll. 8. — 5) *Epistolae binae ad Ammaeum*, Dionysio nostro familiarissimum, *de aetate scriptorum Demosthenis et Aristotelis*, et *de iis quae Thucydidi propria sunt.* 6) *De Charactere Thucydidis*, ad Q. Aelium Tuberonem. 7) *Epistola ad Cn. Pompeium* de Platone et praecipuis Graecorum Historicis, Latine versa a *Stan. Ilovio*, Basil. 1557. 8., *Gallice* a *Gedoyn.* — Alia similis argumenti scripta Dionysii nostri perierunt, quorum indicem videas ap. Fabric. T. IV. p. 399. — Opuscula autem, quae enumeravimus, una cum Archaeologia Romana iunctim edita sunt a Sylburgio, Hudsono et Reiskio. — Tractatus Dion. Hal. de priscis scriptoribus selectos Graece et Latine cum notis vulgavit *Guil. Holwell*, Londini 1766. 8.

C. F. Matthaei Progr. de Dionysio Hal. Witebergae 1789. 4. — *Boivinus* in Mem. de l'Acad. des Inscr. T. II. et IV. — *H. A. Schottius* in Commentariis Soc. philolog. Lips. T. I. Part. I. p. 33 sqq. T. II. Part. II. p. 193 sqq. T. III. Part. I. p. 79 sqq.

§. 132.

Iulii Caesaris et Augusti temporibus, Dionysio aequalis, floruit *Diodorus* gente *Siculus*, qui, magna Europae et Asiae parte peragrata, annos triginta in historiarum corpus quoddam condendum insumsisse se ipse testatur, quo res ab ultimis inde temporibus, maxime vero per annos MCXXXVIII a Troia capta

usque ad Olymp. CLXXX. 1. a. Ch. 60., per terrarum orbem gestas exponeret. Huius operis, in XXXX libros dispertiti, quod, ex superiorum historicorum scriptis innumeris maximam partem contextum, *Bibliothecam* inscripsit, ne dimidia quidem pars ab interitu servata est. Non enim supersunt nisi *libri quinque priores*, *τὰ μυθολογούμενα*, sive populorum et insularum celebriorum origines et fabulosam continentes historiam; tum *decem* alii ab *undecimo* usque ad *vigesimum*, in quibus a bello Persico, Xerxe regnante, incipiens narratio in successorum Alexandri historiam, Olymp. CXIX. a. Ch. 302. desinit. Reliquorum quinque et viginti librorum *excerpta* tantum et pauca *fragmenta* habemus. In temporum notatione diligens scriptor Siculus, in totius operis compositione pariter atque in elocutione minus laudandus; reprehendendus etiam, quod pravo quorumdam, qui ante eum scripserant, exemplo mythos ut veras historias pragmatice enarrare aggressus est, neque in fontium, ex quibus hauserit, delectu satis considerate ubique egisse videtur. Ex his tamen omnem Diodori historici fidem auctoritatemque unice pendere, bene monuit, iisque rite investigandis operam dedit *Hernius* in tribus Commentatt. Soc. Gotting. T. V. et VII. De *oeconomia, fide historica Diodori Sic. et fontibus ex quibus hausit.*

Codicum mss. notitiam pete ex Fabricio Harlesiano T. IV. p. IV. p. 366. Libri sex priores a *Poggio* Florentino e codice ms. latine versi primum prodierunt cum Taciti de moribus Germanorum libello, Bononiae 1472. fol. — *Graece Vincent. Opsopoeus* primus edidit libros quinque a XVImo usque ad XXmum. Reliqui decem libri demum accesserunt in editione *Henr. Stephani* 1559. fol. — *Nic. Rhodomannus* libris quindecim denuo vulgatis cum interpret. Latina plura addidit e deperditis libris fragmenta et Chronologiam, Hanoviae 1604. fol. — Sed palmaria Diodori editio ea est, quam ad Mss. fidem curavit *Petr. Wesselingius* cum Rhodom. Lat. interpr. et plurium VV. DD. suisque annotationibus, Amstelod. 1745. II Voll. fol. Cui insunt etiam *Excerpta* e deperditis historiarum Diodori libris a *Fulvio Vrsino* (Antverpiae 1582. 4.)

et *H. Valesio* (Paris. 1634. 4.) vulgata. Ex Wesselingiana expressa est editio *Bipontina* 1793—1804. XI Voll. 8. cum commentatt. Heynii supra laudd. et cum argumentis et disputatt. *I. N. Eyringii.* Denique, post *Rud. Wachlerum*, nuper *Eichstadius* novam textus recensionem inchoavit Halis 1800 sq. II Voll. 8. cui interpretatio Lat., commentarii et deperditorum frr. adiicientur. — *Gallice* vertit Diod. Bibliothecam *Terrassonus* Paris.is 1777. VII Voll. 12.; *Germanice Strothius* et *Kaltwasser*, Francof. 1782 sqq. VI Voll. 8.

I. N. Eyring Dissert. de hist. univ. apud Graecos Romanosque et nostros scriptores diversa ratione. Gottingae 1753. 4. — *Idem* in *Gattereri* Hist. Bibl. T. IV. et V. cf. Diod. ed. Bip. —. *C. de Caylus* in Hist. de l'Acad. des Inscr. T. XXVII. — *Larcher* ad Herodot. T. VI.

§. 133.

Eadem aetate vixit *Nicolaus*, historicus ac Peripateticorum ex schola philosophus, a patria *Damascenus* dictus; ab Herode Iudaeorum rege ad Octavianum Caes. orator missus, eidemque percarus, cuius *historia universalis* (*καθολικὴ*) e CXLIV libris constans, propterea *πολύβιβλος* vocatur Athenaeo VI. p. 249. Scripserat etiam *de vita Augusti* et librum *de vita et educatione sua*. Atque Photius Cod. 189. meminit alius libelli quem inscripserat *Συναγωγὴν παραδόξων ἠθῶν*, sive *De moribus* (variarum gentium) *mirabilibus*. Aliorum indicem v. apud Fabric. T. III. p. 500. Ex his *fragmenta* nonnulla, ab Io. Stobaeo aliisque servata, tum in Eclogis, Constantini Porphyrog. iussu concinnatis, quae post *Cragium* (ad calcem libri de rep. Lacedaem. 1593. 4.) et *Henr. Valesium* (in Ecl. Constant. 1634.) separatim edidit *I. C. Orellius* Graece cum vers. Lat. H. Valesii et Hug. Grotii notisque, et *Sevini* dissertatione de Nic. Dam. Gallice scripta (cf. Mem. de l'Acad. des Inscr. T. VI. p. 486.) Lipsiae 1804. 8. — nuperrime autem cum Aeliano et Pontici Heraclidae reliquiis *Coray* in Prodromo Bibl. Gr. Paris. 1805. 8. cf. supra T. I. p. 137. Posthac ad editionem Lipsiensem Excerptorum et Fragmentorum Nicolai Damasceni Historiarum, quam paullo ante lau-

davimus, accessit *Supplementum*, continens *annotationes et emendationes Diamantis Coray, Fr. Creuzeri, Io. Schweighäuseri, Henr. Bremii, Iac. Ochsneri* et aliorum, quibus suas adscripsit *Io. Conr. Orellius*. Acc. *Theodori Metochitae* Capita duo de Politia Cyrenaeorum et Carthaginiensium. Lipsiae 1811. 8.

Verbo saltem commemorandae sunt deperditae historiae *Alexandri Polyhistoris*, qui Syllae temporibus Romam venit captivus circa Ol. CLXXIII.; *Theophanis Mytilenaei*, a Pompeio civitatis Ro. iure donati, qui Pompeii res gestas et bellum Mithridaticum enarravit: cf. Cic. or. pro Archia; denique *Timagenis*, Augusti aequalis, cuius historiam condiderat, laudati Quintiliano X. 1. 75.

§. 134.

Philo, gente Iudaeus, e Pharisaeorum secta, sed Alexandriae educatus, et Graecis litteris bene instructus, philosophiae Platonicae, qualis tum inter Alexandrinos viguit, imprimis se addixisse videtur, ita tamen, ut eam ad Iudaeorum placita ac praecepta accommodaret. Senex iam a. XL. aerae Chr. ab Iudaeis Alexandrinis missus est ad Caium Caesarem orator: *quam legationem* libello singulari et superstite descripsit. Alio opere *adversus Avillium Flaccum*, praefecti huius Aegypti sub Tiberii et Caii principatu in Iudaeos iniurias atque crudelitatem severissime persequitur. Praecipuum autem Philonis opus *De vita Mosis* inscriptum est. Cetera enim quae reliquit scripta, quum ad librorum sacrorum V. F. interpretationem allegoricam maxime spectent, hoc certe loco silentio praeterire satius duximus, lectores, qui ea cognoscere cupiant, ad Fabric. Bibl. Gr. T. IV. p. 728 sqq. ablegantes. Sed de additamentis nonnullis scriptorum Philonis breviter dicendum, quae, antea nondum edita, e cod. Bibl. Mediceae Saec. XII. nuper eruit *Angeli Maii*, viri doctissimi, industria. Continentur ea libro qui inscriptus est: *Philonis Iudaei de Cophini festo et de colendis parentibus, cum brevi scripto de Iona. Editore et interprete Angelo Maio*, Mediolani 1818. 4. et 8. Prior libellus, *περὶ καρτάλλου ἑορ-*

της i. e. *de festo primitiarum*, quas in cophinos, sive corbes congestas (unde *Cophini festum* dicitur) agricolae Hebraei, hymnum canentes, arae apponere solebant, pro libri Philonis *de decem festis Hebraeorum*, iam editi quidem, sed ex eodem codice Florentino passim augendi, supplemento anecdoto habendus est. Posterior, *περὶ γονέων τιμῆς*, *de colendis parentibus*, priorem statim excipiens, cum eoque arcte coniunctus, praeter fragmentum quoddam, a *Mangeyo* ex cod. Barocc. descriptum, et inter opera Philonis vulgatum, dudum ineditus, a *Maio* nunc primum integer in lucem emissus est. Denique brevissimum scriptum *de Iona*, chartae octuplicatae unum vix complens folium, ex Armeniaca lingua in Latinam convertit *Zohrabius* Armenius doctrina clarus. — Aliud *sub Philonis nomine* scriptum *de Virtute* quum in cod. Mediolanensi primus reperisse sibi visus esset doctissimus *Maius*; illud quidem Graece, cum Latina interpretatione, paullo maturius edendum curavit, hoc indice: *Philonis Iudaei de virtute eiusque partibus. Invenit et interpretatus est* A. M. *Praeponitur dissertatio cum descriptione librorum aliquot incognitorum Philonis, cumque partibus nonnullis Chronici inediti Eusebii Pamphili, et aliorum operum notitia e codd. Armeniacis petita.* Mediolani 1816. 8 mai. Sed non multo post certior factus, opusculum illud nec Philonis, et iampridem sub *Gemisti Plethonis* nomine (ab *Adolpho Occone* 1552, tum Antverpiae 1575 cum Stobaeo; tertium Oxonii 1752. cf. Bibl. Univers. 1817. T. VI. p. 19.) vulgatum esse, libellum denuo edidit sed titulo et aliquot praefationis locis mutatis: *Eusebii Pamphili Praefatio et Specimen amplissimum totius Chronici inediti ex Armeniaca in Latinam linguam translatum. Accedunt* Philonis Iudaei *operum octo ineditorum notitia et specimina e codd. Armeniacis petita. Additur Graecus Tractatus Gemisti editus De Virtute cum nova interpretatione.* Mediolani 1816 4. et 8. Nuperrime autem *ex Armeniaca interpretatione* duo scripta Philonis adhuc inedita, alterum *De Providentia* libri II., alterum *De Animalibus*, *Aucheri*, docti Armeni, studio vulgata, et in Latinum sermonem conversa prodiere, hoc indice: *Philonis*

Iudaei Sermones tres hactenus inediti I. et II. de Providentia, et III. de Animalibus, ex Armena versione antiquissima ab ipso originali textu Graeco ad verbum stricte exequuta nunc primum in Latium fideliter translati per P. Io. Bapt. Aucher Ancyranum, Monachum Armenum et Doctorem Mechitaristam. Typis Coenobii PP. Armenorum in insula S. Lazari. Venetiis 1822. 4. — Dictio Philonis, quamquam ad Platonicae similitudinem efficta, Iudaeorum tamen Alexandrinorum idiotismis refertissima est, ideoque iis potissimum pernoscenda, qui N. F. libris interpretandis operam dant. — De Codicibus mss. Philonis v. praefationes Mangeyi et Pfeifferi, et Harlesium ad Fabric. l. c. p. 744. — Philonis Opera nonnulla Graece primum prodierunt Parisiis ex offic. *Adriani Turnebi* 1552. Plenior editio est *Genevensis*, Gr. et Lat. 1613. Locupletissima *Thomae Mangey* ad XIII Mss. fidem cum vers. Lat. *Gelenii* emendata, notisque et observationibus, Londini 1742. II Voll. fol. ad quam nuper *Aug. Fr. Pfeifferus* suam editionem adornavit, Erlangae 1785 sqq. V Voll. 8., repetitam ibidem 1820. totidem Voll. 8 mai. — Locos illustres ex Philonis scriptis delectos docte illustravit *I. C. G. Dahlius* in *Chrestomathia Philoniana* P. I. II. Hamburgi 1800 sqq. 8.

Iunior Philone *Iosephus*, Caio Caligula regnum ineunte (p. Chr. 37.), e gente sacerdotali natus Hierosolymis, Pharisaeorum sectae addictus, Vespasiano, Tito et Domitiano imperantibus floruit; a quorum primo, dedita, quam defenderat, Iotapata Galilaeae urbe, in captivitatem redactus, sed mox libertate donatus, *Flavii* cepit nomen. Idem, Tito Caesari acceptus, Hierosolymarum obsidioni a. LXX. interfuit, eiusque historiam (*De Bello Iudaico l. VII.*) patrio primum sermone conscriptam, mox in Graecum conversam, obtulit Vespasiano. Quod opus *Graece* superstes est, una cum *interpretatione Latina*, ab *Rufino* Aquileiensi confecta ex codice Ms. Posthac gentis suae historiam edidit universam, a primis inde originibus usque ad Neroniani regni annum XII. in *Archaeologiae Iudaicae* libris XX., quibus *librum de vita sua* subiunxit. Denique duo libros *de antiquitate gentis*

Iudaicae contra Appionem, *Manethonem*, aliosque, et VII *Maccabaeorum* historiam reliquit. Quorum operum, post editionem principem *Latinam* Augsburgi 1470. fol. et *Graecam* Basileae 1544. fol., potiores et ad lectionis usum accommodatiores sunt editiones *Ittigii*, Lipsiae 1691. fol., *Hudsoniana* Oxoniae 1720. II Voll. fol. et omnium locupletissima *Sig. Havercampii*, Amstelod. 1726. II Voll. fol., cui innititur quam *Fr. Oberthür*, vir doctissimus, inchoavit Lipsiae 1782 sqq. III Voll. 8., commentario adhuc destitutam. Iosephi *de vita sua* librum separatim recensuit et notis illustravit *H. Ph. C. Henke*, Brunsvici 1786 8. — *Chrestomathiam Flavianam* sive locos illustres ex Fl. Iosepho delectos et animadversionibus illustratos edidit *J. G. Trendelenburg* V. Cl. Lipsiae 1789. 8. — Librum de Bello Iud. in German. transtulit sermonem *I. B. Frise* Altonae 1804 sq. II Vol. 8. — Cf. *Oberthür* ad Fabricium l. c. T. V. pr.

Io. Aug. Ernesti Exercitationes Flavianae, in Eiusd. Opusculis Philolog. et criticis ed. II. Lugd. Bat. 1776. 8. — *Eichstadii* V. Cel. duo Progr. *Flaviani de Iesu Christo testimonii αὐθεντία*, quo iure nuper rursus defensa sit. Ienae 1813. fol.

§ 135.

Successit *Plutarchus* Chaeronensis Boeotius, cuius vita a Neronis temporibus ad Hadrianum usque (a. 50-120. s. 130 aerae Chr.) pertinuit, *Ammonii* Lamprensis discipulus, et Hadriani Caesaris praeceptor, a quo, quum a Traiano ornamentis auctus consularibus et Illyrio praefectus esset, aetate iam vergente, procurator Graeciae constitutus est: vir admirabilis, quum propter ingenii sollertiam, tum propter doctrinae copiam, quam infinita paene lectione et commentatione comparaverat; idem antiquitatis et historiae Graecae et Romanae peritissimus, ac philosophiae practicae studiis perpolitus: cuius multa quidem scripta tempus nobis invidit, plura tamen (ultra CXXV numerantur) ad memoriam nostram remanserunt. In his *Vitae*, quas vocat, *parallelae Graecorum et Romanorum illustrium* XLIV. historiae veteris praestantissimis annumerantur monumentis; cetera, praeter *Vitas quin-*

que seorsum editas, ex quorum numero *Homeri illa* vel *illae*, Plutarcho falso tributae, eximendae sunt, *Moralium Opusculorum* nomine, diversi argumenti commentarios historicos, philosophicos, antiquarios, litterarios complectuntur, inter quos tamen nonnulli, ut *Vitae X Oratorum*, libelli *De placitis philosophorum*; *De Fluminibus*; *Parallela Graeca et Romana*; optimorum criticorum sententia pro adulterinis habentur; de aliis, ut de *Convivio VII. Sapientum*, *De Nobilitate*, de duobus libris *de Fortuna aut virtute Alexandri M.* (ex Merceri ad Non. Marcell. p. 142. et Wyttenbachii in Bibl. Crit. P. II. p. 133. P. XII. p. 17 sqq. sententia, iuvenilibus et rhetoricis Plutarchi declamationibus), et *De puerorum educatione instituenda* (cf. *Wyttenbachii* Disputationem, qua ostenditur, scriptorem libri de educatione puerorum non esse Plutarchum Chaeronensem; in Operum Moralium editionis Tomo VI. sive Animadverss. Imo p. 17-39. eiusque disputationis Epitomen in *Wyttenbachii Miscellaneae doctrinae* libro II. Amstel. 1811. pag. 25 sqq.) dubitatur, utrum spurii sint necne. — Alii, ut *Apophthegmata* (acute dicta) *Regum et Imperatorum*; *Apophthegmata Laconica*; *Instituta Laconica*; Wyttenbachio iudice, sunt veluti Commentaria et Adversaria, ex Plutarchi libris vel ab ipso, vel ab alio collecta, adeo, ut eos nec germanos, nec spurios pronunciare firmiter audeamus. Denique *Consolatio ad Apollonium* et *Reprehensio Herodoti* iuveniles Plutarchi scriptiones videntur *Wyttenbachio* Misc. doctr. II. p. 59. — Rebus et sententiis creber Plutarchus, orationis simplicitati, nativae elegantiae atque concinnitati, quae antiquiorum scripta tantopere commendant, minus studuit: unde durus fit, subobscurus, nec raro dictionis affectatae et nimis coacervatae tumore displicet.

Opuscula Moralia Plutarchi Graece primo lucem adspexerunt Venetiis in aedibus *Aldi* 1509. fol. curante *Demetrio Duca* Cretensi. *Vitae Parallelae* Florentiae ap. Iuntam 1517. fol. et ap. *Aldum*, Venet. 1519. fol. Praecipuae inde OO. Plut. editiones sunt *H. Stephani* Gr. et Lat. cum notis suis 1572. XIII Voll. 8. — *Wecheliana* Francof. 1605 et 1620. II Voll. fol. cum notis *Xy-*

landri, Stephani, alior.— *I. I. Reiskii*, Lipsiae 1774 sqq. XII Voll. 8. *I. G. Huttenii*, Tubingae 1791 sqq. XIV Voll. 8. *G. H. Schaeferi* Vitar. parallel. apud Tauchnitzium Lips. 1812-14. IX Voll. 12. Moralium ibid. ap. eumd. 1820. VI Voll. 12.

Vitarum parallelarum splendidam edit. curarunt *Aug. Bryanus* et *Moses Solanus* (*Du Soul*). Gr. et Lat. cum variorum notis, Londini 1723 sqq. V Voll. 4to. Nostra autem memoria, *D. Coray*, vir praestantissimus, in Ἑλληνικῆς Βιβλιοθήκης τόμῳ III-VIII. cum notis (σημειώσεις) maximam partem criticis, et imaginibus in aes incisis unicuique volumini additis, Parisiis 1809 sqq. VI Voll. 8 mai. — *Moralium* Plutarchi nuperrima et praestantissima editio auctorem habet *Dan. Wyttenbachium*, in qua contextus Graecus codicum mss., editionis pr. Aldinae, et iudicii sagacissimi editoris ope innumerabilibus locis correctus, et pristino suo nitori restitutus est. Editionis huius, cui inest etiam Xylandri interpretatio Latina, sed multo castigatior, prodierunt VI Volumina quat. et XII octon. Oxoniae 1795 sqq. quae typis recudenda curavit *G. H. Schäferus*, Tomi Imi parte I. et II. in lucem emissis Lipsiae 1796 sqq. II Voll. 8. Volumen *sextum*, in duas partes descriptum, *Animadversionum primum* est, et prodiit Oxoniae 1810. Reliquorum obtinendorum spes ne praematura desideratissimi auctoris morte incidatur, etiam atque etiam optandum. Ceterum de editionis huius consilio et ratione disserentem legas ipsum Wyttenbachium in Bibl. Critica P. IX. p. 1 sqq. et P. XI. p. 1 sqq.

Ex singulorum opusculorum, separatim vel cum aliis in tironum usum vulgatorum, editionibus notabiliores sunt libelli *De Iside et Osiride*. Graeca recensuit, emendavit, commentario auxit *Sam. Squire*. Acc. Animadversiones *Marklandi* et aliorum. Cantabrig. 1744. 8 maj. — *De liberis educandis*, cura *I. F. Heusingeri*, Ienae 1749. 8. et *I. G. Schneideri*, Argentor. 1775. 8. — *De ratione audiendorum utiliter vel legendorum poëtarum*, cura *I. F. Krebsii*, Lipsiae 1779. 8.— *Apophthegmata Laconica* cura *T. E. Gierig*, ibid. 1779. 8. — *De discrimine amici et adulatoris* cura *Chr. A. Krigel*, ibid. 1775. 8. — *De immoderata*

et vitiosa verecundia (περὶ δυςωπίας) et *De Fortuna*, cura *C. F. Matthaei*, Mosquae 1777. 8. — *De Superstitione*, eiusdem, ibid. 1778. 8. — *De placitis philosophorum*, cura *Ed. Corsinii*, Florentiae 1750. 4. et *Chr. D. Beckii*, Lipsiae 1787. 8. — *De sera Numinis vindicta*, cura *Dan. Wyttenbachii*, Lugd. Bat. 1772. 8. — *Vitae parallelae selectae* curâ *C. I. Iördens*, Berolini 1788. 8. item cura *Leopoldi* Lips. 1795. et 1799. 8. *Bredowii*, Altonae 1800. 8. et Vratislaviae 1815. 9. *F. Schmiederi*, Halae 1804. 8. *Fr. Guil. Fabricii*, Lips. 1812. 8. et *C. G. Baumgarten-Crusii* (Agesilaus et Xenophontis Eucomium Agesilai) ibid. eod. a. 8.— *Vitae Demosthenis et Ciceronis*, cura *Dan. Wyttenbachii*, in praeclaro Historicorum delectu, quem hoc maxime loco Graecarum litterarum studiosis commendandum putabam, quique inscribitur: Ἐκλογαὶ ἱςορικαί s. *Selecta principum historicorum*, Herodoti, Thucydidis, Xenophontis, Polybii illustres loci. Delectu, praefatione, annotatione, discipulorum institutioni accommodavit D. W. Amstelod. 1794. 8. — *Easdem Vitas* secundum edidit *Huttenius* Stuttgartiae 1820. 8 maj. — *Plutarchi Alcibiades*. Textum e codd. Parisinis recognovit, perpetua annot. instruxit, dissertationem de fontibus huius vitae praemisit *I. C. F. Baehr*, Heidelb. et Lips. 1822. 8 maj.

E Plutarchi operibus excerpta *quae ad Artes spectant*, laudabili consilio et opera, collegit, in capita digessit, interpretatione Latina et annotatione instruxit *I. F. Facius*, Lipsiae 1805. 8.

In vulgus notae sunt *interpretationes Gallicae* OO. Pluatrchi ab *Amyoto* (1559), et Vitar. parallelar. ab *Andr. Dacierio* (Amstelod. 1735. X Voll. 12. et Paris. 1778. XII Voll. 12.) confectae, quarum *illa* nuper cum *Brottierii* et *Vauvilliersii* notis denuo edita est Parisiis ab *E. Clavierio* 1801 sqq. XXV Voll. 8. Recentis OO. et laudatae interpretationis Gallicae cum observatt. auctor est *Dom. Ricardus*, Paris. 1783 sqq. XXX Voll. 12. *Polonice* Vitas parall. (XVIII) vertit *Ph. Golanskius* Vilnae 1801 sqq. IV Voll. 8 min. *Germanice* cum notis *I. F. S. Kaltwasser*, Magdeb. 1799. X Voll. 8. *idem* Moralia, Francof. 1797 sqq. IX Voll. 8. *Anglice*, moderante *Dryden*, Londini 1683. et pluries,

V. VIII. IX. Voll. 8. tum *Langhorne* ibid. 1778. VI Voll. 8. Memini etiam ante tres circiter annos nunciari: *Plutarch's vergleichende Lebensbeschreibungen*, mit Einleitung, erklärendem Wörterverzeichniss, Zeittafeln u. den nöthigen Sacherläuterungen versehen von *I. K. Weikert* T. I. Lipsiae. 8. Quae interpretatio nescio an lucem viderit.

A. H. L. Heerenii quatuor Commentationes de Fontibus et auctoritate vitarum parallelar. Plutarchi — in Commentatt. recent. Soc. Reg. Gotting. 1810. 1814 sqq. et seorsum, editioni Plutarchi Reiskianae et Huttenianae appendicis loco accommodatae, Gottingae 1820. 8. — *A. Lionis* Commentatio *de ordine quo Plutarchus vitas scripserit*, ibidem 1820. 8. — *F. A. Gottholdi* Animadversiones in Plutarchi vitarum aliquot locos. Regiomonti 1812. 8. — *Ph. C. Hessii* Obss. criticae in Plut. vitam Timoleontis. Praefixa est epistola ad Fr. Creuzerum. Lipsiae 1820. 8 maj. — *I. Chr. Heldii* Annotationum Criticarum in Plut. Vitas parall. Specimen (in vitam Alexandri), insertum *Actis philologor. Monacens.* T. II. Fasc. I. p. 24-96. II. p. 159-193. posthac seorsum editum. — *M. G. Fähsii* Obss. criticae in Plut. Opera quae inscribuntur Moralia, et in Hesychii Lexicon. Lipsiae 1820. 4.

§. 136.

Paullo iunior Plutarcho *Flavius Arrianus*, imperante quidem Hadriano floruit, sed Antoninorum tempora attigisse dicitur Photio. Nicomedia ortus Bithyniae, Epicteti Stoici philosophi discipulus clarissimus, doctrina et virtute meruit, ut non solum ab Atheniensibus et Romanis civitatis iure donaretur, sed amplissimos dignitatis gradus, senatorium videlicet, consulare, et in patria sacerdotale munus consequeretur. Ab Hadriano praefectus Cappadociae p. Chr. 134, contra Alanos bellum feliciter gessit, cuius belli quoque historiam scripserat, quae interiit, excepto fragmento, *Instructio aciei adversus Alanos* inscripto, quod superstes est. Xenophontem Socraticum quum vitae exemplum sibi proposuit, tum in librorum quos scripsit argumentis et scribendi genere aemulatus est. De scriptis eius historicis et geographicis supersunt 1) *libri VII de expeditione Alexandri* (*Ἀνάβασις Ἀλεξάνδρου*), ex fontibus ducti melioribus quam Diodori et Curtii narrationes. Editi sunt a *Nic. Blancardo* Amstelod. 1688. 8. — *Iacobo Gronovio*, Lugd. Bat. 1704 fol. —

Georg. Raphelio. Amstelod. 1757. 8. — optime a *F. Schmiedero*, Lips. 1798. 8. (nova recensio est) cum notis crit. et exeget. — et nuper apud Tauchnitium, Lipsiae 1818. 12. — 2) *Indica*, in nonnullis codd. mss. et edd. historiarum Alexandri liber octavus, sed perperam, dictus. Est liber singularis *de rebus Indicis*, ex *Nearchi* Cretensis *Paraplo* maximam partem transscriptus. (v. P. I. p. 216 sq.) separatim editus Gr. et Lat. et illustratus a *F. Schmiedero* Halae 1798. 8. — 3) *duo Peripli*, alter Ponti Eux. ad Hadr. Imp., editus et illustratus ab *Is. Vossio*, Amstelod. 1639. 4. hinc a *Iac. Gronovio* in Georgraphis Antiquis Lugd. Bat. 1704. 4.; alter *maris Erythraei*, a Dodwello aliisque ad iuniorem, eiusdem forsan nominis, auctorem relatus. Vtrumque, post *Sig. Gelenium* (Basil. 1533. 4.) et *Nic. Blancardum* (inter alia Arriani scripta, Amstelod. 1683. 8.) cum suis aliorumque notis edidit *Io. Hudsonus* in Geogr. vet. Scriptoribus Gr. minor. T. I. cum dissertat. Dodwelli. — De *scriptis Arriani philosophicis* quae supersunt infra dixi. — Restat liber eius *De Venatione*, Xenophontei similis libelli imitatio et supplementum. Edidit *L. Holstenius* Romae 1644. 4. — *Nic. Blancardus* cum aliis A. opusculis 1683. 8. — novissime, cum Xenophontis opusc. politicis, equestribus et venaticis, *Zeunius*, Lipsiae 1778. — *Flav. Arriani* Opera, Graece, ad optimas editiones collata studio *A. C. Borheckii*, Lemgoviae 1811. III Voll. 8 maj.

Arriani historiam Alexandri *Gallice* vertit, additis dissertatt. notisque et tabb. geogr. aliisque in aere incisis, *Chaussard*, Paris. 1802. III Voll. 8. et mapp. 1. quatern. — *Germanice A. C. Borheckius* Francof. 1790. II Voll. 8. et nuper *I. Schulzius*, Francof. 1813. III Voll. 8. — *Indica* Nearchi ex *Vincentii* Anglico opere in *Gallicum* convertit sermonem *Billecocq*, Paris. 1799. III Voll. 8. et mapp. 1. quatern.

Cf. *Le B. de Sainte Croix* Examen critique des Historiens d'Alexandre le Grand, Parisiis 1805. 4.

§. 137.

Huic aetati suppar *Appianus* Alexandrinus, iam in patria sua praecipua quadam fruens dignitate, Romae

Traiani et Hadriani temporibus floruit, in causis pro Caesarum tribunali agendis versatus, deinde a Caesaribus Procurator eorum constitutus est. Haec ipse in operis sui praefatione significare videtur. Nam *de rebus suis* antea, ut eodem loco ait, peculiarem libellum vulgaverat. *Procuratoris Caesaris* autem provincia *Praefectura Augustalis Aegypti* fuisse videtur *Wyttenbachio* in Bibl. Crit. T. III. P. I. pag. 86. Sed *gentis Romanae historiam*, locorum, regionum, provinciarumque et bellorum potius quam temporum ordine dispositam, Antonino Pio demum regnante edidisse videtur. Cuius operis, in XXII., vel, Photio teste, in XXIV libros olim dispertiti, dimidia fere pars ab interitu servata est. Etenim exstant, praeter *exordium* operis, atque ex IX libris prioribus fragmenta, liber VI. et VII., res *Hispanicas* et *bellum contra Hannibalem* enarrantes; lib. VIII. *Libyca* sive reliqua bella Africa, Punica et Numidica; sed sola *Punica* supersunt., XI. *Syriaca* et *Parthica*; (ultima haec spuria ac temere Appiano tributa.) XII. *Mitthridatica*; deinceps libri quinque XIII-XVII. *tumultus* et *bella civilia* Romanorum exponentes; denique liber XXIII de *rebus Illyricis*. In historiis his Polybio et Plutarcho aequali suo plura sublegisse a nonnullis arguitur Appianus, sedulo defensus a *Schweighaeusero* in Exercitatt. in Appiani Alex. historias, sect. VI. Argentor. 1781. 4. recusis in *Eiusdem* Opusc. Academ. Part. II. ibid. 1806. 8. Idem vir Graece doctissimus de codd. mss. et edd. Appiani singulari libello ibidem eodemque anno vulgato, itemque in Opusc. Acad. recepto, tum in praefat. ad edit. suam Appiani, erudite et copiose disseruit. Pauci vero de historico hoc emendate et diligenter edendo atque illustrando cogitarunt; et quae *princeps* Graeci contextus habetur editio, *Car. Stephano* auctore, Parisiis 1551 fol., ea ad duos codices valde recentes, eosdemque lacunis et corruptelis refertissimos, expressa erat. Nec multo maius pretium binis quae hanc secutae sunt editionibus, quamquam aliquanto plenioribus, *Henr. Stephani*, Genev. 1592 fol. et *Alex. Tollii*, Amstelod. 1670. II Voll. 8. statuendum dixeris. A quo inde tempore neglectus et VV. DD. iudiciis passim inique notatus et irrisus

iacuit Appianus, donec sospitatorem, ingenii et doctrinae copiis instructissimum, diligentia autem ac fide nemine inferiorem, nactus est *Schweighaeuserum*, qui Historiarum Appiani quae supersunt novo studio conquisivit, digessit, ad fidem codd. mss. recensuit, supplevit, emaculavit, varietatem lectionum adiecit, Latinam interpretationem (*Candidi* et *Gelenii*) emendavit, annotationibus variorum suisque illustravit, commodisque instruxit indicibus, Lipsiae et Argentor. 1785 sqq. III Voll. 8. Editioni huic quum fragmenta e novem libris prioribus, a Fulvio Vrsino in Excerptis Constantini Porphyrog. de Legationibus, Antverp. 1582. 4. et ab Henr. Valesio in excerptis Peirescianis Paris. 1634. 4. edita, tum quidquid vel a Photio vel a Suida ex deperditis Appiani libris conservatum est, non solum inseruit, sed, quantum assequi coniectura potuit, suo quodque loco, ex quo decerptum erat, reposuit. Schweighaeuseri vestigiis institit *L. H. Teucherus* Graece edito Appiano Lemgoviae 1796. II Voll. 8. — *Germanice* vertit et notis illustravit Appianum *F. W. I. Dillenius*, Francof. 1793 sqq. III Voll. 8. — *Gallice Combes-Dounous*. Vide *Schoellium* in *Repertoire de Litterature Ancienne*, T. I. p. 297. Subiiciamus hic luculentum *Wyttenbachii* de Appiani historiarum indole, auctoritate, et scriptoris oratione iudicium in Bibl. Crit. T. III. P. I. pag. 93 sq.:

„Equidem adhuc de Appiano ita censeo, ut eum optimis Historicis, veluti Thucydidi, Livio, et similibus, nec adiungendum nec longe postponendum iudicem. Argumentum tractat grave et amplum, res Romanas domi forisque gestas: multa etiam tradit, quorum notitiam in tanta reliquor. Historicor. paucitate et iactura, ei soli debeamus: res alior. populor. hactenus memorat, quatenus cum Romanis rebus coniunctae fuerunt: anteriora aut breviter attingit, ut Hispanica et Punica, aut copiosius refert, ut v. c. Syriaca, quae a Seleucidis repetit. Belli tempora persequitur, pacis praeterit. — Hanc porro materiam e certis monumentis et auctoribus idoneis petitam esse, dubitare nos non sinit quum reliqua Appiani doctrina, tum dignitas et vitae actio Romae in publicis muneribus versata. Minime quidem ille frequens est in testibus excitandis. Neque

vero fuit ullus umquam Historicus, qui nullum nisi excitato teste factum proderet. Neque etiam ista religio postulanda erat illa aetate in conscribendis rebus Ro. minime illis abstrusis et reconditis, sed ad eum iam modum frequentatis, ut scribentis aut error aut fraus facile teneri, ac reprehendi posset. — Narratio perspicua est et brevis, semper intenta proposito, et res gestas persequens, raro aut numquam divertens ad praecepta doctrinae, sententias, observationem ingeniorum, morum, legum, institutorum.— In temporum notatione ac descriptione locor. infrequens est et paucis defungitur. De illo ipse fatetur in Prooemio: tempora ubique notare supervacaneum se iudicasse, igitur ea non nisi per intervalla in illustrioribus rebus notasse. Oratio est, quum in singulis verbis tum in compositione, simplex, perspicua, bene Graeca, elegans sine affectatione, ad Veterum rationem conformata; ita tamen ut magis suus quam alienus sit, nec imitari soleat nisi forte Herodotum, non quidem in fuso narrandi genere, sed in verbis fere et dicendi coloribus."

§. 138.

Interponimus hic *historiae Heracleae Ponti*, urbis patriae suae, scriptorem, *Memnonem* Heracleotam, incertae quidem aetatis illum, sed, ex *Orellii* ratione satis probabili, Hadriani vel Antoninorum temporibus vix superiorem. Huius viri memoriam, pariter ac fusi operis paullo ante laudati, quod reliquit, accuratiorem notitiam uni *Photio* debemus, qui in Bibliothecae suae codice CCXXIV ex historiae eius Heracleoticae *octo* libris, inde a *nono* usque ad *decimi sexti* finem, ampla et maiori diligentia, quam qua in aliis plerisque auctoribus usus est, concinnata *Excerpta* dedit, sub finem haec verba adiiciens: *Εἰς τοιοῦτο μὲν τέλος καὶ ὁ ις' λόγος τῆς Μέμνονος ἱςορίας τελευτᾷ. — Τὰς δὲ πρώτας η' ἱςορίας, καὶ τὰς μετὰ τὴν ἕκτην καὶ δεκάτην, οὔπω εἰπεῖν εἰς θέαν ἡμῶν ἀφιγμένας ἔχομεν.* Ex quibus colligi potest, quum octo priores historiae a Memnone conscriptae libros, tum reliquos, qui sextum decimum, in temporibus Iulii Caesaris desinentem, exceperunt, et historiam Heracleae usque ad scriptoris tempora con-

tinuasse videntur, Photii aetate aut iam interiisse, aut, propter apographorum raritatem, parum innotuisse. Excerpta Photii autem historiam Heracleae a *Clearchi* tyrannide (Olymp. CIV. 1. a. Ch. 362) usque ad mortem *Brithagorae* (circiter 46 a. Ch.) continent, intextis, suo quoque loco, aliorum etiam populorum regumque, ut Bithynorum, Mithridatis, Romanorum, rebus. Oratio, ipso Photio iudice, simplex et tenuis est atque perspicua, verba plerumque optimae notae. Insunt tamen passim tum locutiones rariores et poëticae, tum vocabula, licet pauca, quae recentiorem inque deterius vergentem Graecitatem sapiunt. Memnonis has reliquias, a Photio servatas, primus Graece edidit cum Ctesiae et Agatharchidis illis, *Henr. Stephanus*, Parisiis 1557. 8. idem denuo, et multo correctius, cum Latina interpr. partim H. Stephani, partim Laur. Rhodomanni, ibid. 1594. 8. Ex hac optima editione Graecum contextum expressit nuper *Io. Conr. Orellius*, additis et aliorum scriptorum Heracliensium qui urbis patriae res illustrarunt, ut *Nymphidis*, *Promathidae*, *Domitii Callistrati*, paucis fragmentis, ab Athenaeo, Stephano Byzantio, Scholiaste Apollonii Rhodii, servatis, et *Pseudo-Chionis* Heracleotae *Epistolis*, hoc indice: *Memnonis Historiarum Heracleae Ponti Excerpta* servata a Photio, *Graece cum vers. lat. Laur. Rhodomanni.* Accedunt Scriptorum Heracleotarum *Nymphidis*, *Promathidae* et *Dom. Callistrati* Fragmenta, Veterum Historicorum loca de rebus Heracleae Ponti, Et *Chionis Heracleotae* quae feruntur *Epistolae*, cum interpret. Lat. *Io. Caselii.* Omnia collegit, disposuit, recognovit, notis priorum Interpretum (H. Stephani, Dav. Hoeschelii, Ios. Scaligeri, Iac. Palmerii) integris, aliorumque et suis illustravit, et Indicem adiecit *Io. Conr. Orellius.* Ad calcem accedit *Io. Caspari Orellii* Epistola Critica in Epistolas Socraticas et Pythagoricas. Lips. 1816. 8 mai. — E Memnonis Historiis Excerpta Photiana Gallice vertit *Gedoyn* in Commentarior Academ. Inscriptt. Paris. Tomo XIV.

§. 139.

Historiam gentis Romanae universam, ab Aeneae in Italiam adventu usque ad annum V. C. 983. p. Ch. 229.,

quo anno iterum Consul fuit, libris LXXX pertexuit *Dio Cassius Cocceianus* Nicaeensis Bithynus, a nobilibus ortus parentibus, Romaeque pariter atque in provinciis amplissimis ornatus honoribus, Commodo, Pertinace, Septimio et Alexandro Severo Impp. p. Ch. 180–229. At historiae huius, cui decem per annos materiam diligenter collegerat, non solum libri XXXV priores interciderunt, verum etiam, quod imprimis dolendum, viginti postremi, LXI—LXXX, iu quibus res, quibus ipse interfuit, accuratius perscripserat. Exstant *libri undeviginti*, XXXVI-LIV, integri, sexaginta circiter annorum res gestas a bello Mithridatico, duce Lucullo, usque ad Drusi et Tiberii contra Rhaetos, Vindelicios et Germaniae populos expeditionem, ab V. C. 685—746. enarrantes; porro libri quinti et quinquagesimi fragmentum, et librorum LVI-LX epitome. Supersunt vero etiam e Dionis Cassii historiis *Excerpta* a libro XXXV. usque ad LXXX. ab *Io. Xiphilino*, Saec. XI. p. Ch. monacho, ut putant, Constantinopolitano confecta, et *Fragmenta* e prioribus libris XXXV deperditis, a Fulv. Vrsino et H. Valesio inter Excerpta Constantini VIII Porphyrog. in lucem edita. — Diligens existimatur Dio rerum scriptor et severus; antiquitatis, iuris et institutorum Romanorum peritus, et narrator disertus, Thucydidis et Polybii in arte historica aemulus; idem tamen veritatis interdum minus studiosus, ornatus oratorii nimius sectator, summorum virorum iudex iniquus, vanisque superstitionibus, somniorum, ominum, prodigiorum interpretationi mira animi imbecillitate indulgens. — De aliis Dionis, quae feruntur, scriptis deperditis v. Fabric. T. V. p. 144 XII.

Codices Mss. Dionis pauci habentur, de quibus *Reimarus* disserit in praefatione ad prim. vol. editionis suae, et in commentario de vita Dionis T. II. p. 1542 sq. — *Princeps* editio *Graeca* est *Rob. Stephani*, Parisiis 1548 fol.— repetita, cum *Xylandri* vers. lat. et Xiphilini epitome ab *Henr. Stephano*, Genevae 1592 fol. Hanc sequitur ed. *Hanoviensis* apud Wecheli heredes, cum vers. lat. emend. et notis *Io. Leunclavii* 1606 fol. Sed ceteris longe praestat quam curavit *H. S. Reimarus*, cui insunt, praeter integros Dionis libros, Fragmenta

et Xiphilini compendium, cum vers. Lat. recognita, annotationibus *I. A. Fabricii*, et editoris, aliisque pluribus additamentis lectu dignis, in quorum numero Reimari commentarium de vita, et scriptis Dionis reponas, Hamburgi 1750 sqq. II Voll. fol. Emendatioris operum Dionis editionis spem viris doctis fecit *Sturzius* V. Cl. — Nuper prodiere Cassii Dionis Coccei. Historiae Romanae quae supersunt, ad optimorum librorum fidem accurate edita Lipsiae ex officina Car. Tauchnitii 1818. IV Voll. 12. — Nova fragmenta e Dionis Cassii libris LV et LVI in codice quondam Veneto, nunc Parisino, latentia primus detegit, et cum variis lectt. reliquorum libror. notisque edidit *Iac. Morellius*, vir doctissimus, Bassani 1798. 8. quae denuo et castigatius typis excudenda curavit *Chardon de la Rochette*, Paris. 1800 fol. Alia fragmenta nondum edita inesse dicuntur in codice Bibl. Sangerm. CCCXLV. cf. *Schoellii* Repertoire de Litter. Anc. T. I. p. 45. — *Germanice* vertit Dionis Cassii historias *I. A. Wagnerus*, Francof. 1784 sqq. V Voll. 8. et *A. I. Penzelius* cum animadversa. copiosissimis T. I. II. III. Lipsiae. 1786—1818.

Fr. Guil. Sturzii Prolusiones aliquot scholasticae *De nonnullis Dionis Cassii locis*. *Prima* prodiit Grimmae 1812 *tertia* Lipsiae 1814. 4. *quinta* 1816.

§. 140.

Dioni aequalis, tametsi paullo iunior aetate, vixit *Herodianus*, natione Graecus, a Grammatico cognomine, de quo supra dictum est, diversus. *Historicus* noster sub principatu M. Aurelii p. Ch. 170. natus esse, et Gordiano III. imperante, a. 240 circiter decessisse videtur. Romae autem per aliquod vitae tempus certe degisse se, et publica munera gessisse, in historiarum suarum principio ipse haud obscure significat. *Res Romanas* enim, quibus interfuit, *sexaginta* annorum decursu, *a M. Aurelii obitu* usque ad *Gordiani* III. *imperium* (180—238 aer. Chr.) *octo* libris exposuit; scriptor fide dignus, et ob dictionis puritatem, perspicuitatem et elegantiam lectu iucundus, nec contemnendus orator in concionibus quas veterum historicorum more narrationi passim inseruit. Quae scripto-

ris virtutes effecere, ut opus eius superstes a viris doctis frequenter ederetur. Longe secus tamen de Herodiano iudicat recens Historiarum eius editor *Weberus*, cui dicitur „scriptor ingenii mediocris, qui non nisi mores ignobiles, et res numquam egregie, saepe contumeliose, plerumque serviliter gestas, narrat." Praecipuae Graeci contextus editiones, post *principem Aldinam*, multis operarum vitiis inquinatam, Venetiis 1503 fol., sunt *H. Stephani* 1581. 4. cum *Angeli Politiani* interpretatione Latina, quae, ex Codice Ms. facta, primum prodiit Romae 1493 fol. — *Fr. Sylburgii* cum suis, H. Stephani, et A. Schotti notis, in *tertio* tomo *Scriptorum historiae Romanae minorum*, Francof. 1590 fol. — *I. H. Boecleri*, Argentor. 1644. 8. pluries repetita. — *T. G. Irmischii* cum nova Bergleri interpr. Lat., varietate lect. et spisso commentario, Lipsiae 1789—1805. V Voll. 8. — *Fr. Aug. Wolfii* editio et recensio, contextum Graecum multis locis emendatiorem exhibens, cum argumentorum et annorum notatione, et praemissa de Herodiano, eius aetate, vita, ingenio, fide historica, dictione, tum de historiarum eius codd. et editionibus erudita dissertatione, Halis 1792. 8. — Accessere nuper editio *Guil. Ern. Weberi*, cum animadverss. in usum scholarum, Lipsiae 1816. 8. et *Tauchnitiana* ad optimor. libror. fidem, Lips. 1820. 12. — Interpretationes Herodiani, praeter laudatas, notamus *Gallicam Mongaltii* (N. H. de Mongault) cum notis, Paris. 1700. 12. repetit. 1712. et 1745. 8. atque *Germanicam I. G. Cunradii* Francof. 1784. 8.

I. Fridr. Leisneri prolusio de Herodiano. Lipsiae 1761. 4. inserta Tomo I. editionis Irmischianae p. XXXI sqq. — *Fr. A. Strothii* Specimina Animadverss. in Herodianum quinque 1776 sqq. 4. — *Fr. Gedikii* Coniecturae criticae ad Herod. in *Stoschii* Museo Crit. Voll. II. Lemgov. 1774. 8.

§. 141.

Historicorum tertiae huius aetatis ultimum locum, quamquam tanto vix dignus nomine, tenet *Claudius Aelianus*, Praeneste Latii urbe ortus, genere Romanus vel Italus, sed Graecis litteris bene imbutus

earumque amantissimus, qui Alexandro Severo imperante circa a. 225 floruit, Pausaniae, itinerarii per Graeciam auctoris, Philostrato teste, discipulus. Huius, *Sophistae* dicti, *duo* exstant scripta, ex aliis aliorum collecta compilataque, modo ita, ut auctorum quos exscripserit ipsa verba retinuisse videatur, modo ut res aliunde sumtas sua, hoc est, valde dissimili oratione et stylo iure notato efferret; unde dictionis color diversus nascitur, attento lectori facile deprehendendus. *Alterum* opus indicem vulgo notum habet: *Variae Historiae* l. XIV. Ἡ ποικίλη ἱστορία, vel, quemadmodum alii nominant, Ποικίλη ἀφήγησις, vel Σύμμικτος ἱστορία, vel Ἱστορικὴ διάλεξις i. e. ἐκλογή; cuius *princeps editio*, a *Camillo Perusco* curata, prodiit Romae 1545. 4. sequentium autem potiores sunt *Ioach. Kühnii*, cum *I. Vulteii* interpret. Lat. castigata, Argentor. 1685. 8. et emendatior (*I. H. Lederlini* cura) ibid. 1713. 8. — *Iac. Perizonii* cum interpretat. Lat. doctisque commentariis. Lugd. Bat. 1701. II Voll. 8. — *Abr. Gronovii* cum interpretat. Lat. et praecedentium notis integris suisque, ibidem 1731. 4. — *C. G. Kühnii* cum Perizonii aliorumque commentariis et indice Graecitatis, Lipsiae 1780. II Voll. 8. — *G. B. Lehnertii* cum notis selectis in tironum usum, ibid. 1794. 8. — Nuperima autem, auctore *Coray* V. C. contextu diligenter recognito, notisque Graece scriptis illustrato, in *Prodromo Bibliothecae Graecae*, Parisiis 1805. 8. cf. T. I. p. 137. et T. II. §. 133. p. 61. — *Alter* et similis pretii liber ab Aeliano nostro scriptus est de *Animalium natura et indole*, Περὶ Ζώων ἰδιότητος l. XVII. ex Aristotele aliisque historiae nat. scriptoribus deperditis maxime concinnatus; quem, a *P. Gyllio* Latine versum, post *Conr. Gesnerum* inter *Aeliani Opera* Tiguri 1556 fol. et Lugduni sive Genevae 1611. 12., Graece et Latine cum annotationibus edidere *Abr. Gronovius*, Londini 1744. II Voll. 4. et *Io. G. Schneiderus*, Lipsiae, 1784. 8. qui postea in *Commentariis ad Reliqua librorum Friderici II. Imp. de Arte Venandi cum avibus* etc. tomo II. *Auctarium emendationum atque adnotationum* ad librum hunc Aeliani emisit Lipsiae 1789. 4. — In utroque Aeliani opere rerum quidem copia et varietas lecto-

rem alliciunt; animi etiam candor et mores scriptoris probantur; sed desideres iudicii subtilitatem, ingeniumque credulitatis et superstitionis expers. Ceterum ad eumdem auctorem referuntur: *liber de providentia divina*, *περὶ Προνοίας*, ex quo fragmenta aliquot apud Suidam et Eustathium leguntur; *Accusatio Gynnidis*, sub quo nomine *Elegabali* Imp. perditos mores perstrinxisse videtur, liber deperditus; et *Rusticorum Epistolae* XX., ab Aldo Manutio in Corpore Epp. Graec. Venetiis, 1499. 4. et a *Conr. Gesnero* cum reliquis Aeliani scriptis editae, nostro tamen Aeliano abiudicandae, iudice *Corayo* l. c. p. 147. Nec minus perperam *Tactica*, Aeliani alius, nostroque paene centum annis antiquioris, opus, a Conr. Gesnero et G. I. Vossio Praenestini sive Romani operibus annumerantur. Sed fuere etiam qui et Variam Historiam et libros de Animalium natura, et librum de Providentia diversis auctoribus tribuerent, inter quos commemorandus est *Valckenarius* in Annotatt. in Epp. Phalaridis et in Observata Lennepio p. XVIII sq. edit. Lennep. Quod iudicium tamen improbatur *Wyttenbachio* in Bibl. Crit. Vol. III. P. IV. p. 16 sq. cf. Harlesii Breviorem Notitiam Litteraturae Graecae p. 428 Not.

C. G. Kühnius De via et ratione qua Claud. Aelianus in Historia Animalium conscribenda usus est. Lipsiae 1777. 4. — *F. Iakobsii* Observationes in Aeliani Hist. Anim. et Philostrati Vitam Apollonii, Ienae 1804. 8. — *Franc. Passovii Aelianea* in *Seebodii* Krit. Bibliothek für d. Schul. u. Unterrichtswesen. Zweiter Iahrgang XII Heft. p. 984.

§. 142.

Historiae studiis, quae qualia fuerint temporis hoc ambitu, ex scriptorum censu adhuc instituto colligi potest, haud parum profuisse puta, quod orbis terrarum iam exstiterit descriptio accuratior, atque temporum notatio diligentior, sive, ut disertius dicam, quod *Geographia* et *Chronologia* incrementa ceperint haud contemnenda. Utriusque autem conditor scientiae habendus est *Eratosthenes* Cyrenaeus, qui sub Philadelphi principatu natus, (Olymp. CXXVI. 1. a. Ch. 276),

Ptolemaeo. V. Epiphane octavum annum regnante, (Ol. CXLVI. 1. a. Ch. 196.) octogenarius inedia mortem sibi accelerasse dicitur. Praeter Callimachum, de quo diximus, praeceptore usus est *Lysania* Grammatico, et, Athenas profectus, *Aristonis Chii*, Stoici philosophi atque Zenonis auditoris, tradidit se disciplinae. Hinc, didita doctrinae qua excelluit fama, a Ptolemaeo III. Euergete Alexandriam arcessitus, et Bibliothecae regiae praefectus est Ol. CXXXVIII. 1. a. Ch. 228. Quum *in omni quidem litterarum subtilitate sollers fuerit* *), idem et Grammaticus et poëta habitus sit, et philosophus et mathematicus, et astronomus insignis: quumque scriptorum diversissimi argumenti, ex omnibus paene litterarum et artium disciplinis petiti, magnum numerum reliquerit, quae, si forte *Catasterismos* excipias, ad unum omnia interciderunt (Censum eorum vide apud Fabricium T. IV. p. 120): *Geographiae* maxime et *Chronologiae* notitias adhuc dispersas et dissolutas non solum *primus* conglutinavit et ratione quadam constrinxit, verum etiam iis, qui deinceps ad studia haec se applicarent, viam munivit qua ingrederentur, magistri sui vestigia pone sequentes. Collectis enim quae ad historicam orbis terrarum descriptionem contulerant Herodotus, Ephorus, alii; tum Anaximandri, Pytheae, Aristotelis in mathematica et physica orbis scientia placitis inventisque usus; adhibitis insuper et comparatis peregrinatorum recentius editis operibus **), decessorum errores castigando, quae manca et imperfecta erant supplendo, nonnulla ingenii sagacissimi ope divinando, *Orbis universi tunc cogniti doctrinam* in amplissimo opere exposuit, quod *Τὰ Γεωγραφούμενα* inscripsit, in *tres*que *libros* divisit, quorum primus Geographiae

*) Plin. H. N. II. 108.

**) In quorum censum imprimis referas *Timosthenem*, Ptolemaei Philad. classis praefectum, quum *Peripli*, tum aliorum, quae ad geographiam mathematicam et historicam spectant, et interciderunt, librorum auctorem probatissimum. v. Strabo I. p. 31. Marcian. Heracl. in epitome Artemidori. Cf. Fabricii B. Gr. T. IV. p. 125 et 614. Heynius in Comm. II. de Font. Diodori, inserta Vol. VII. Comm. Soc. Gott. p. 88. not. 5.

historiam, et de praecipuis auctoribus iudicium, secundus de figura et magnitudine terrae praecepta generalia, tertius singularum terrae partium, regionum urbiumque descriptionem continuit. Geographiae huius deperditae reliquias servavit *Strabo*, ex quo *Eratosthenis Geographicorum Fragmenta* primus collegit et separatim edidit atque illustravit *G. C. F. Seidel*, Gottingae 1789. 8. — Praeterea de Terrae mensura, eiusque a Sole et Luna distantia, singulari libro egerat Eratosthenes, qui *Μετρήσεις* inscriptus erat, et in plures partes dispertitus esse videtur, unde Macrobio (in Somn. Scip. I. 20) laudantur Eratosthenis *libri dimensionum*.

Temporum autem *doctrinae* fundamenta iecit quum in *Chronologia* sua (quod idem opus aliis vocatur *Χρονογραφίαι*, aliis *περὶ Χρονογραφιῶν*), tum in libris *De Victoribus Olympicis* (*Ὀλυμπιονῖκαι*).

Quod reliqua viri *πολυμαθεστάτου* scripta attinet, in paucissimorum commemoratione defungemur. *Carmina duo* laudantur, alterum elegiaco metro scriptum, *Erigone* (*Ἠριγόνη*), Atticam fabulam de Icario eiusque filia exponens, quod libelli *de Sublimi* auctor *ab omni vitio immune*, *διὰ πάντων ἀμώμητον ποιημάτιον*, appellat (Sect. 33.); alterum, ut *Heynius* coniicit (Opusc. T. I. p. 97 not.) *didactici* generis, hexametris compositum, et *Ἑρμῆς* s. *Mercurius* inscriptum, quod de disciplinarum originibus egisse videtur; tum *epigramma* nobile et superstes *de Cubi duplicatione*, ad calcem Epistolae ad Ptolemaeum regem, quod, cum paucissimis priorum fragmentis quae supersunt, in Anthologiam Graecam recepere Brunckius et Iacobsius T. I. p. 227 sqq. Denique frequenter commemorantur veteribus Eratosthenis libri plures *de Comoedia*, imprimis veteri, prosa scripti; opus *didascalicum* (cf. §. 77. T. I. p. 149.), in quo non modo de poëtis fabulisque, quas docuerunt, egerat, sed etiam rerum et verborum difficiliorum, quae in Comicorum fabulis occurrebant, interpretationem subiungere debuerat.

Vna ex hoc tanto librorum E. naufragio restat tabula; sed vel haec lacera, interpolata, et maioris operis diruti, ut videtur, fragmentum: *Catasterismos* dico, sive *descriptionem astrorum* singulorum, *prae-*

missa eorum historia fabulari, Commentarii ad *Arati Solensis Phaenomena* integrioris fortasse partem, quam fere totam pridem Latinam fecerunt Hyginus et Scholiasest Germanici. Catasterismos hos ex unico Ms. codice Oxoniensi primum Graece vulgavit cum carmine Arateo *Io. Fellus*, Oxoniae 1672. 8. post hunc *Thom. Galeus* cum Latina interpretat. in Opusculis Mytholog. Amstelod. 1688. 8. et nuper separatim *I. C. Schaubachius* Gr. et Lat. cum commentario. Acc. Epistola *Heynii* cum animadverss. in Eratosthenem, Gottingae 1795. 8. Idem opus in Arati codice Vindobonensi CXLII descriptum, textu vulgato emendatius legi, probatum ivi in Epistola ad *Buhlium*, Virum desideratissimum, Arateorum editionis Buhlianae tomo secundo inserta.

Laur. Ancheri Diatribe in Fragmm. Geographicor. Eratosthenis. Gottingae 1770. 4. — *G. Bernhardy* Eratosthenica. Berolini 1823. 8 mai. — *Mannert*, *Gosselin*, in libris laudd. T. I. p. 217 not. quibus nunc addas *Maltebrunii* Géographie universelle etc. quae nuper prodiit Parisiis. — *M. G. Hermanni* Handbuch der Mythologie T. III.

§. 143.

Ab Eratosthene qui profecti sunt Geographi, in rerum quidem summa eius instituta secuti, in singulis tantum operis partibus illud supplere, corrigere, emendare studuerunt, quamquam haud raro consilium caruit successu. Tentarunt hoc, in historica orbis descriptione, *Polybius*; in mathematica *Hipparchus* circa Ol. CLX., de quo inter aetatis huius Astronomos dicemus, et *Posidonius* Apameensis, vir excellentis ingenii et Ciceronis familiaris, cuius operum nulla pars usque ad nostram memoriam remansit (§. 130 extr.) Ante hunc *Agatharchides* Cnidius, auctor gravissimus, qui sub Ptol. Physcone et Lathuro Ol. CLVIII-CLXVIII. 4. a. Ch. 148—105. floruit, geographicum opus bipartitum *de Asia* et *Europa* libris X et XLIX condiderat, et libros quinque *de mari Erythraeo* sive *Arabico sinu*, e quibus nonnulla servavit *Photius* Cod. CCL. ad historiam naturalem egregie facientia, quae Graece primus separatim edidit *H. Stephanus* 1557. 8. tum *idem* cum Ctesiae et Memnonis qui-

busdam et Appiani, subiecta interpretat. Lat. Laur. Rhodomanni 1594. 8. (§. 137); *Io. Hudsonus* deinde Geographis Graecis minoribus inseruit T. I. Oxoniae 1698. 8. cuius libri novam et multo praestantiorem editionem, *Bredovii*, *Spohnii* et *Friedemanni* curis auctam et emendatam, iamdudum exspectamus. Cf. *Spohnium*, virum doctissimum, in praefat. ad *Nicephori Blemmidae* duo Opuscula geographica, Lipsiae 1818. 4.

Agatharchidem secutus est natu paullo minor, sed auctoritate et fide par, *Artemidorus* Ephesius, centum circiter annis ante natum Chr. clarus, qui *Periplum* et *Geographiam* XI libris conscripserat, quos *Marcianum* Heracleotam, saeculo V. p. Ch. ineunte, in epitomen redegisse constat; idem in maris interni orae insularumque descriptione Straboni saepe testis accitus, neque minus frequenter laudatus Stephano Byzantio aliisque, ex quibus deperditi operis fragmenta ut aliquando colligantur, operae pretium esse censet Harlesius ad Fabric. T. IV. p. 615. Vtrumque, Agatharchidem et Artemidorum, Diodorus Siculus III. 11. in Aegypti et Aethiopiae rebus, veriores ac praestantiores scriptores appellat, eorumque, imprimis Agatharchidis, vestigiis ipse institisse, in his quae ad locorum descriptiones et geographica spectant, videtur. V. *Heynium* in Comm. de Diodori fontibus l. c. T. V. p. 102. T. VII. p. 88 sqq.

§. 144.

Nova incrementa orbis doctrinae accesserunt partim e Matheseos et Astronomiae studiis, in schola Alexandrina tunc ferventibus, partim ex quo imperii Romani, per tot terras ac provincias propagati, magnitudine, ad regionum et locorum accuratius explorandorum conatus, peregrinationum in terras longinquas maiores adiungerentur opportunitates. Quibus equidem sub Augusti et Tiberii principatu prae ceteris usus est *Strabo*, scriptor gravissimus, et veterum Geographorum, post Eratosthenem, quem et expressit et emendavit auxitque, facile princeps. Is Amasia, Cappadociae vel Ponti civitate, ortus, *Athenodori*, Stoici tunc clarissimi, familiaris, per magnam

in praefat. ad T. VII. editionis Tzschuckianae p. XXVI–XL. — Splendidae editionis *I. Brequignii Gr. et Lat. cum annotatt.* Parisiis 1763. 4. non nisi *primum Volumen*, tres priores tantum Strabonis libros continens, lucem vidit. — *Chrestomathiae sive Excerpta* e Strabonis Geographia exstant plura; una auctoris incerti, quem Dodwellus saec. X p. Chr. vixisse colligit, vulgata primum est a *Sig. Gelenio* cum *Arriani* et *Hannonis Periplis*, Basileae 1533. 4. tum Gr. et Lat. cum *Henr. Dodwelli* dissertat. de Strabonis excerptore huiusque aetate, notisque brevibus ab *Io. Hudsono* in Geographis Gr. minoribus T. II. Oxoniae 1703. 8., ab *Almeloveenio* autem, *Falconerio* et *Corayio* Strabonis editionibus subiecta. Cf. *Bastium* in *Epist. Crit.* p. 47. et *Bredowii Epistolas Parisienses* p. 4. 18. 30. At maioris momenti sunt, auctore *Siebenkeesio* in praefat. ad T. I. Strabonis p. XXXV sq. *Georgii Gemisti Plethonis* (Saec. XV.) e decem libris Strabonis prioribus *Excerpta*, quae continentur in codice ms. 379. bibliothecae Marcianae, et Casaubono iam cognita fuerunt, diversa tamen ab iis, quae sub eiusdem Plethonis nomine in eiusdem bibliothecae codice 406 leguntur, de quibus vide Villosonium in Anecd. Gr. p. 244. et Siebenkeesium l. l. p. XXXVI. tum Gemisti Plethonis Excerpta e Strabonis lib. IIdo, collata a *Bredowio* in Epp. Parisiens. p. 65 sqq. ad octo codd. Parisinos, quorum meminit Friedemannus in praefat. ad T. VII. Strab. p. XX sq. — *Strabonis Iberiam*, sive rerum geographicarum *librum tertium*, Graecis diligenter emendatis, argumentis minorum capitum praemissis, indiceque adiecto, iuvenum studiosorum usibus accommodavit *C. G. Groskurdt*, Stralsundiae 1819. 8. mai. — *Germanice vertit* et notis illstravit Strabonem *A. I. Penzel*, Lemgoviae 1775. III Voll. 8. — *Gallice* nuper *De la Porte du Theil* et *Coray*, cum amplo commentario critico et exegetico, binisque dissertationibus *Gosselini*, in fronte T. I. positis, eiusdemque viri docti notis geographicis. Parisiis T. I. 1805. T. II. 1809. T. III. libros 7—9. continens, ibidem 1812. 4. mai. in quo liber *nonus* ad fidem cod. Paris. 1397. *Graece* cum omnibus lacunis accuratissime expressus est.

Siebenkees ad Fabric. Bibl. Gr. T. IV. p. 557 sqq. Harl. — *I. F. Hennicke* Dissert. de Geographicorum fide, ex fontium, unde is hausit, auctoritate aestimanda. Gottingae 1792. 8. — *Thom. Tyrwhitti* Coniecturae in Strabonem, quas *Harlesius* typis repetendas curavit Erlangae 1788. 8. — *Heerenii* Commentationes duae *de Fontibus Geographicorum Strabonis*, quarum argumentum auctor enarravit in Ephemerid. Litterariis Gotting. 1820. Nr. 139. et 1822. Nr. 141. — *C. G. Groskurdtii* Obss. criticae in Strabonis Iberiam. Stralsundiae 1819. 8 mai. — *Mannertus* et *Gosselinus* in libris supra laudd. T. I. p. 217.

§. 145.

De *Scymni Chii* et *Dionysii Periegetae* carminibus geographicis dixi §. 121. p. 33 sq.

Dionysii popularis *Isidorus Characenus*, sub Caii Caligulae principatu, *Parthici regni* descriptionem (*Παρθίας περιηγητικόν*) scripsit, Athenaeo laudatam III. p. 93. ex qua decerptae esse videntur quae hodieque exstant *Mansiones Parthicae* (*Σταθμοὶ Παρθικοί*) h. e. Stationes in itineribus diurnis per regnum Parthicum, quibus locorum intervalla metiebantur; Graece editae primum cum Scylace aliisque Geographis veteribus a *Dav. Hoeschelio*, August. Vindel. 1600. 8. (cf. T. I. p. 215); deinde cum interpretatione Lat. Hudsoni et notis I. A. Fabricii ab *Io. Hudsono* in Geogr. minor. T. II. Oxoniae 1703. 8.

De *Arriani Periplis* v. §. 136.

§. 146.

Vltimam manum veteri Geographiae emendandae et perficiendae, Antonino Pio imperante, (138—161. p. Ch.) admovere duumviri clarissimi, *Marinus* Tyrius et *Claudius Ptolemaeus* Alexandrinus, natus Ptolemaïde, Thebaïdis urbe in Aegypto superiore *). Prioris paullo ante editum opus geographicum, in quo quum terrarum et locorum longitudo ac latitudo multo accuratius definita erat, tum orbis terrarum

*) Vulgo *Pelusiotes* dictus, quasi Pelusio ortus. Sed vide *Buttmannum* V. Cl. in docta commentatione: *Ueber Klaudius Ptolemaeus* in „Museum der Alterthums Wissenschaft" T. II. p. 457 sqq. maxime p. 481 sq.

notitia insigniter aucta, Asiae atque Africae finibus longius prolatis, et Europae septemtrione diligentius descripta, in plurimis secutum se esse ipse profiteur *Ptolemaeus*, ita tamen, ut multa emendaret a Marino minus caute animadversa, alia ab eo omissa suppleret. Itaque inter veteres geographos princeps factus est, cuius *Γεωγραφικῆς ὑφηγήσεως* libri VIII adhuc superstites omnium terrarum, regionum, urbium, locorum orbis veteribus cogniti censum, historicis notitiis raro inspersis, continet; in quo tamen, diversorum temporum nulla ratione habita, antiquiora cum recentioribus passim confusa reperias, cum haud paucis interpolationibus et additamentis, post Ptolemaeum inde a Saec. XVI. maxime, prava librariorum et editorum sedulitate operis contextui illatis. *Tabulas geographicas* ad Ptolemaei orbis descriptionem saeculo quinto delineavit *Agathodaemon*, Mechanicus Alexandrinus, servatas illas in codd. mss. et cum Ptolemaeo passim editas. Librorum mss. vero et editionum Ptolemaei, maximam partem Latinarum, pete notitiam ex Fabricii B. Gr. T. V. p. 272 sqq. et Harlesii Introd. T. II. p. 144 sqq. Supplem. T. I. p. 342 sqq. *Graece* primum vulgatus est sine interpret. Lat. et tabb. geogr. ab *Erasmo* Roterod. Basileae 1533. 4. typis repetitus Parisiis 1546. 4. Emendatior editio est Graecolatina cum tabb. geogr., quam *Gerardus Mercator* et *Petrus Montanus* curarunt Amstelod. et Francof. 1605 fol. repetita a *Petro Bertio*, Lugd. Bat. 1618 fol. eademque *Theatri Geographiae veteris*, quod idem Bertius edidit loco et anno laud., primum volumen efficiens.

Praeter Geographiam plura opera mathematica, chronologica et astronomica, condidit Ptolemaeus, quae partim supersunt; in his celebratissimum, *Almagesti* nomine notum, de quibus infra dicendi locus erit.

Io. Stobnicae, Poloni, Introductio in Ptolemaei Geographiam, Cracoviae 1519. 4. — *G. M. Raidelii* Comm. critico-litteraria de Cl. Ptolemaei Geographia eiusque Codd. tum mss. quam typis expressis, Norimbergae 1737. 4. *Morellius* in Bibliotheca manuscripta Vol. I. p. 253. — *C. Mannert* in Geogr. d. Gr. u. R. T. I. — *De Buache* super Geogr. Ptolemaei, praecipue eius descriptione interioris Africae, e Gallico misto in

serm. Germ. vers. in *E. A. W. Zimmermanni* Annalen d. geogr. u. statistichen Wissensch. Part. I. 1790. 8. — *Gosselin* Extrait des Recherches sur le Système géographique de Marin de Tyr. v. Journ. des Sçavans 1791. part. XII. p. 719 sqq. — *Gattereri* Sarmatae Europaei, tres disputationes, in Commentatt. Soc. Gotting. T. XII. 1796. 4.

§. 147.

Post Ptolemaeum universae quidem Geographiae veteris scientiae nulla, a Graecis certe, allata novimus incrementa: sed tamen supersunt aliquot auctores non contemnendi, qui aut antiquiorum et Ptolemaei inventa collegerunt, in epitomasque vel etiam lexica redegerunt, aut singularum regionum terrarumque et populorum accuratas descriptiones vulgarunt. Horum princeps est *Pausanias* vulgo Cappadox, et Herodis Attici rhetoris discipulus habitus; quam opinionem nuper refutavit *Siebelis*, vir doctissimus, in prolus. schol.: *Quaestio de Pausaniae Periegetae patria et aetate et qualis scriptor esse videatur hic Pausanias* Budiss. 1819. 4.; ipse iis assentiens, qui gente *Lydum* fuisse putant; — historicus, rhetor et Grammaticus, cuius aetas in Hadriani et Antoninorum tempora incidit. Is, veterum historicorum exemplum secutus, post longinquas peregrinationes, grandis iam natu, M. Aurelio imperante, circa a. 174. *Graeciae Europaeae descriptionem* (*Ἑλλάδος περιήγησιν*), rerum maxime memorabilium refertissimam, *decem libris* confecit, quos a regionum, per quas iter instituit, memorabilibus inscripsit, Attica, Corinthiaca, Laconica, Messenica, Eliaca, Achaica, Arcadica, Boeotica, Phocica. Operis huius geographici et historici primarium consilium et argumentum in enarrandis artium Graecarum, Architecturae, Picturae, Sculpturae, monumentis versatur, nec diffitendum, fructum quem ex lectione eius studioque capiat antiquitatis curiosus, fore plenissimum, si in summa rerum copia, varietate, iucunditate, subtilior scriptoris doctrina, orationisque leniter fluentis perspicuitas, suavitas et elegantia minus crebro desideretur. Herodoti stylum imitandum sibi proposuisse, putat *Siebelis.*

Graece primum edita est Pausaniae Periegesis ab *Aldo Manutio*, curante *Marco Musuro* Cretensi, Ve-

netiis 1516 fol. — *Graeco-Latine* a *G. Xylandro* et *Fr. Sylburgio*, Francof. 1583 fol. — Praestant editiones *Ioach. Kühnii*, Lipsiae 1696 fol. et inter recentiores, *I. F. Facii* cum animadverss. criticis et exegeticis, Lipsiae 1794—96. IV Tomis 8. Quartus continet *Romuli Amasaei* interpretationem latinam, quae ad librorum mss. fidem, ut nonnullis videtur, confecta, primum prodiit Romae 1547. 8. — *Clavieri* cum interpretatione Gallica, hoc indice: *Παυσ. Ἑλλ. Περιηγ. Description de la Grèce de Pausanias.* Traduction nouvelle, avec le Texte Grec collationné sur les Mss. de la Bibl. du Roi par M. Clavier T. I. Paris. 1814. T. II. ibid. 1817. T. III. 1820. T. IV et Vti Pars prior ibid. 1821. 8. Cf. *Lettre d'E. Clavier à Mr. Coray* ou Observations sur Pausanias, in *Millini*, viri eruditissimi, Mag. Encycl. Année VII. T. III. p. 29 sqq. — Interea *Graeci contextus* duas manuales editiones accurate impressas nacti sumus, alteram Lipsiae, apud Tauchnitium 1818. III Tomis 12., alteram ex nova recensione *Siebelis* V. Cl. ibidem, apud Weigelium 1819. III Voll. 8 min. Eidem viro docto novam criticam Pausaniae editionem debemus, cuius *primum* et *secundum* volumen prodiit, ita inscriptum: *Pausaniae Graeciae descriptio. Graeca emendavit; Latinam Amasaei interpretationem castigatam adiunxit, et animadversiones* atque indices adiecit *Car. Godofr. Siebelis.* T. I. Lipsiae 1822. T. II. ibidem 1823. 8 mai. — Verterunt Pausaniam *Gallice*, ante Clavierum, *Gedoyn*, Parisiis 1731. II Voll. 4. et 1794. IV Voll. 8. — *Italice* olim *Alfonso Buonaccivoli*, Mantuae 1593. 4. et nuper *Rom. Desideri* 1792. V Voll. 4. — *Anglice* nuper cum notis *Th. Taylor*, Londini 1793. III Voll. 8. — *Germanice I. E. Goldhagen*, Berol. et Lips. 1766. II Voll. 8. iterum. Berol. 1798. IV Voll. 8.

Pausaniae contextum emendarunt et illustrarunt *Sevin*, *Gedoyn*, *Caylus* in Mem. de l'Acad. des Insc. — *Heynius* in *Sammlung antiquar. Aufsätze*, Lips. 1778 sqq. II Voll. 8. — *G. E. Lessingius* in Observatt. crit. in varios scriptores graecos et latinos, in ordinem redactis ab *Reichenbachio* Berolini 1794. 8. — *S. G. Siebelis* in Beckii Comm. Soc. Philolog. Lips. T. IV. — Vir doctus in *Obss. ad Polygnoti Lesschen*, insertis *Ephemerid. Litt. Ienens.*

§. 148.

Ptolemaei et antiquiorum geographorum epitomatoribus accensendus est *Agathemer*, aetatis incertae scriptor, sed quem Saec. III. initio, circa *Septimii Severi* imp. tempora vixisse, *De St. Croix* cum aliis verisimiliter coniiciunt. Eius *libri duo* Ὑποτυπώσεων τῆς Γεωγραφίας ἐν ἐπιτομῇ h. e. *Compendiariae Geographiae Expositionum* leguntur, quorum *prior* multa ad Geographiae Graecorum historiam cognitu utilia, nec aliunde nota, continet; *posterior* eadem fere recoquit, sed tam perturbate et imperite, ut prioris auctori satis probo et intelligenti merito abiudicetur, ac pro spurio partu habeatur necesse sit. v. *Mannert* l. c. T. I. p. 186. Epitome haec prodiit primum cum interpretat. Lat. et notis *Sam. Tennulii*, Amstelod. 1671. 8. hinc a *Gronovio* edita est cum *Scylace*, Lugd. Bat. 1697. 4. et ab *Hudsonio* inter Geographos Gr. min. T. II. Oxoniae 1703. 8.

Agathemero statim subiungam *Marcianum* atque *Stephanum*, licet utrumque, Stephanum certe, ultra Constantini M. tempora vixisse constet. *Marcianus* quidem, cognomine Heracleota ex Ponto, circa Saec. Vti initium (410) florens, *Periplum maris externi* i. e. Oceani, cum tractatu *de distantiis* et *mensuris geometricis*, veterum Geographorum, maxime Ptolemaei, usus auctoritate, scripsit libris II., quorum prior integer exstat, alterius pars tantum servata est. *Interni* autem *maris* i. e. mediterranei descriptionem, *Artemidoro Ephesio* potissimum duce, cuius Geographiam XI libris comprehensam supra laudavimus (§. 143.) totidem libris, *epitomes* instar, reliquit, ex quibus non nisi prologus lectu dignus et aliquot fragmenta supersunt. Vtrumque opus e codice ms. primus cum Scylace aliisque edidit *David Hoeschelius*, Aug. Vindel. 1609. 8., post hunc, cum Lat. interpret. et notis, *Io. Hudsonus* in Geogr. gr. min. T. I. subiecta *Dodwelli* dissert. *de scriptis et aetate Marciani Heracl.* Cf. *Bredowium* in Epp. Parisiensibus.

Stephani Byzantii, Marciano iunioris, aetas circa saec. Vti finem (472) constituitur. *Ethnici* cognomen accepit ab opere quod *ad elementorum ordinem* con-

didit et Ἐθνικὰ, *Gentilia*, inscripsit, partim geographicum, partim mythicum, partim historicum, partim grammaticum, quippe in quo populorum, urbium, regionum, montium, fluviorum nomina una cum nominibus hinc derivatis patronymicis et gentiliciis exposuerat, descriptis data occasione multis antiquorum scriptorum locis, quae ad urbium populorumque origines veras vel fabulosas, virorum clarorum rerumque gestarum memoriam celebrandam facerent. Cuius Lexici ad omnem antiquitatis scientiam utilissimi, praeter unum e libro decimo fragmentum, *Epitome* tantum exstat, ab *Hermolao*, Grammatico Constantinopolitano saeculo VI., imperante Iustiniano, concinnata, cui serius titulum *Περὶ Πόλεων*, De *Vrbibus*, sive *Περὶ πόλεων καὶ δήμων*, De *Vrbibus et Populis*, praefixerunt. (Vnde *Stephanus de Vrbibus* passim laudatur.) *Fragmentum* vero illud a voce *Δύμη* usque ad litterae *Δ* finem, e libro ms. *Petri Seguierii* (unde *Fragmentum Seguierianum* saepe appellatur) primus vulgavit cum interpret. Lat. notisque *Samuel Tennulius*, Amstelod. 1669. 4.; eiusdem autem particulam quae *de Dodone* agit, seorsum edidit et commentario instruxit *Iac. Gronovius*, Lugd. Bat. 1681. 4. — Epitomes operis Stephaniani, *post principem Aldinam* Venetiis 1502 fol., meliores editiones sunt cum interpret. Lat. et animadverss. *Thomae de Pinedo* Amstelod. 1678 fol., et cum commentario *Abr. Berkelii*, a *Iac. Gronovio* absoluta, Lugd. Bat. 1688 et 1694 fol. quibus adiiciendae *Lucae Holstenii* Notae et Castigationes postumae in Stephani Byz. Ἐθνικά, editae a *Th. Ryckio*, Lugd. Bat. 1684 fol.

§. 149.

Temporis et annorum notatio accuratior quaedam, qua ad rerum gestarum ordinem intelligendum tantopere indigemus, quum in mythica imprimis et historica antiquissima aetate enarranda tot difficultatibus premeretur, admodum sero ab historicis Graecis adhiberi potuit. Post *Theagenis* Rhegini, circa Cambysis tempora, et *Hippyos* Rhegini,

Darii et Xerxis aetate, *Chronica*, qui primus vetustiora saltem, certis epochis probabili quadam ratione constitutis, ordinare tentavit, laudatur *Anaximenes Lampsacenus*, Alexandri M. temporibus, cuius *Hellenica* supra tetigimus (§. 129). *Chronologiae* Graecae, certe Atticae hinc condendae periculum fecisse dicitur Phalereus ille *Demetrius*, Theophrasti discipulus, et oratorum Atticorum qui aliquo loco habentur ultimus (T. I. §. 96 extr.), qui Atheniensium reip., Cassandri Macedonum regis iussu, decem annos, ab Ol. CXV. 3. a. Ch. 318., cum insigni prudentiae et integritatis laude praefuit. Demetrii huius exstitit olim *Ἀναγραφὴ Ἀρχόντων* sive *Archontum Index*, cuius fortasse epitomen viri docti servatam esse putant in *Marmore Pario* vel *Arundeliano*, quod, Saec. XVII. in Paro insula detectum, ac primo Londini in hortis Arundelianis expositum, dein Oxoniam translatum, a *Seldenio*, *Prideaux*, *Maittairio*, *Chandlero*, novissime a *Robertsio* editum et docte illustratum, ab *Io. Hewletto* autem *) et *Wagnero* contra Anglum quemdam anonymum, qui eius fidem et antiquitatem impugnare conatus erat **), bene defensum, rerum Graecarum, imprimis Atticarum descriptionem, annorum spatio CIↃCCCXVIII, inde a Cecrope usque ad Olymp. CXXIX. 1. a. Ch. 264., temporum ordine servato, continet.

Doctrinam vero *temporum* primus reperit *Eratosthenes* (§. 142.), cuius vestigiis fere institerunt, quos deinceps disciplinam hanc scriptis tradidisse notum est. Horum clarissimi, qui in deperditis numerantur, fuere: *Philochorus*, Atheniensis, vates et prodigiorum interpres Athenis, (*μάντις καὶ ἱεροσκόπος*), *Suida*

*) In „A Vindication of the Authenticity of the Parian Chronicle in Answer to a Dissertation on that subiect, London 1789.

**) In libello ita inscripto: The Parian Chronicle, or the Chronicle of the Arundelian Marbles with a Dissertation concerning its Authenticity. London 1788. Post *Wagnerum*, qui Gottingae 1790 edito libello: „*Die Parische Chronik, griechisch übersetzt u. erläutert nebst Bemerkungen über ihre Aechtheit, nach dem Englischen*" Marmoris Caussam dixit, de accusatore anonymo *Porsonus* etiam sententiam tulit in *Museo Critico or Cambridge Classical Researches* 1813. Nr. II. pag. 229—250.

duce Ptolem. IV. Philopatoris et V. Epiphanis florens temporibus (221—180. a. Ch.). Cui tamen rationi gravissimum ipsius Philochori testimonium apud Dionysium Halic. T. V. p. 636. ed. Reisk. adversari, docuit *C. G. Lenzius* in dissertat. *de Philochori vita et scriptis*, praemissa *Philochori Fragmentis* a *Siebeli* editis, pag. 2. ex quo loco palam fit, Philochorum iam Olymp. CXVIII. a. Ch. 306. vatis et auspicis munere functum esse. Complurium diversi argumenti operum auctor perhibetur, quibus tum res Atticas historice et chronologice persecutus erat, tum eas, quae ad muneris, quod Athenis administrabat, rationes spectarent, exposuerat, tum litterarum Graecarum historiae partes tractaverat, ut in libris quinque *περὶ τῶν Σοφοκλέους μύθων; περὶ Εὐριπίδου; περὶ Ἀλκμᾶνος; Συναγωγὴ ἡρωΐδων, ἤτοι Πυθαγορείων γυναικῶν* (*de Pythagoreis mulieribus celebrioribus.* cf. *Meinersii* Gesch. der Wiss. in Gr. u. R. T. I. p. 297. et *Wield.* Historisches Taschenbuch der Pythagoreischen Frauen p. 199.). Quorum omnium palmarium opus, et cuius, e priore saltem parte, fragmenta quam plurima supersunt, fuit Philochori *Ἀτθίς*, sive, ut nonnumquam citatur, *Ἀτθίδες*, in multos libros divisum (nam *undevigesimus* laudatur in Scholiis Victorianis ad Hom. Iliadem T. VII. p. 803. ed. Heyn.), in quo *universam Atticae historiam* ab antiquissimis inde temporibus usque ad Antiochi Dei, Syriae regis, imperium, h. e. ad Olymp. CXXIX. 4. a. Ch. 261., *secundum regum et archontum annos* digestam, tenui et exili oratione explicuit. Libro hoc posteri temporis scriptores frequenter usos esse, et copiosa eiusdem fragmenta testantur, et aliunde satis constat (cf. *Heynium* in Obss. ad Apollodorum p. 319 sq. *Harlesium* ad Fabricii B. Gr. T. II. p. 481.): ut de litteris Graecis bene meruisse putandi sint *Lenzius* et *Siebelis*, qui scriptoris huius reliquias diligenter conquisiverunt, collectasque et in ordinem digestas notisque illustratas vulgarunt, hoc indice: *Philochori Atheniensis librorum Fragmenta a Car. G. Lenzio collecta digessit, et animadversionibus quum eiusdem Lenzii, tum suis illustrata edidit C. G. Siebelis.* Acc. *Androtionis Ἀτθίδος Reliquiae* Lipsiae 1811. 8. — Sed *Atticas res*, tum ante tum post Phi-

lochorum, plures descripserunt, quorum et nomina et fragmenta passim laudantur. In quibus, praeter *Androtionem*, incertae quidem aetatis scriptorem, sed quem certe post Olymp. XCVI vixisse, ex fragmentorum eius, una cum Philochori illis a Siebeli editorum, aliquo colligitur (Vide Epistolam editoris ad Chr. Lud. Lenzium p. XIX.) eminent *Hellanicus*, (T. I. p. 87.), *Melesagoras*, *Andron*, *Melanthius*, *Phanodemus*, *Clitodemus*, *Demon*, Philochori verisimiliter aequalis, et *Ister* Cyrenaeus, Callimachi discipulus, cuius, praeter alia scripta, fuere *Ἀττικὰ* XVI libris, et *Λέξεις Ἀττικαί*. Huius et trium quos ante Istrum commemoravi, reliquiae eorumdem virorum doctorum cura et studio, quibus Philochori Fragmenta debemus, collectae et editae sunt, hoc indice: *Phanodemi*, *Demonis*, *Clitodemi atque Istri ἈΤΘΙΔΩΝ et reliquorum librorum Fragmenta.* Colligere instituit *C. G. Lenzius*, ab Illo praetermissa addidit, omnia digessit et notulas adspersit *C. G. Siebelis*. Acc. *Prolusio scholastica de Ἀτθίδων scriptoribus* (paullo ante seorsum vulgata) *et additamentum ad Philochori Fragmenta*. Lipsiae 1812. 8.

In eumdem scriptorum censum referendus *Polemo*, *Periegetes* et *Στηλοκόπας* dictus, Ptolemaei V. Epiphanis temporibus, Panaetii Rhodii discipulus, et Aristophanis Grammatici aequalis, qui splendidissima quaeque donaria in celeberrimarum urbium templis reposita, subiunctis inscriptionibus, in pluribus libris descripserat, et Graecorum historiam (*λόγον ἑλληνικόν*) XI libris cum temporum notatione exposuerat. Vide Strabonem IX. p. 396. Athenaeum IX. p. 372. XII. p. 552. Cf. Fabric. Harlesian. T. VI. p. 2. not. et scriptt. ibi laudd.; Harlesium ad Fabricium T. IV. p. 672 not. 5. *Boeckhium* in *Staatshaushaltung der Athener* T. I. p. 212. — Item *Apollodorus* Atheniensis a. Ch. 140., cuius Χρονικά, vulgatissimum olim opus, et Romanis scriptoribus valde frequentatum, supra commemoravimus §. 125. p. 40. — Appollodoro, qui eum laudat, aequalis, aut paullo maior natu *Castor Rhodius*, cuius duo scripta chronologica innotuere, alterum *τὰ χρονικὰ ἀγνοήματα* sive *Errores circa temporum notationes*; alterum *περὶ θαλασσοκρα-*

τούντων sive *De epochis populorum qui maris imperium exercuerunt.* Tituli exstant in Hieronymi Chronico Eusebiano. Cf. *Heynium De Castoris Epochis* in Novis Comm. Soc. Reg. Gott.

§. 150.

Nova incrementa cepit Chronologia, ex quo scriptores Christiani temporum notationem, quae in Sacris libris reperitur, cum Craecorum et Romanorum chronologia contulerunt; in quo iam *Iosephus* in Archaeologia sua praeivsse putandus est. Prima tamen huius generis tentamina interciderunt. Singula quidem chronologiae capita e Christianis tractarunt *Timotheus* Chronographus, *Iustinus Martyr*, *Tatianus*, *Theophilus* et *Clemens Alexandrinus.* Sed universam temporum doctrinam quinque libris primo explicuit *Iulius Africanus*, saeculi III. initio, Alexandri Severi temporibus. Cuius deperditi operis excerpta servavit centum annis iunior *Eusebius*, episcopus Caesariensis, cuius *Chronicon* sive Παντοδαπὴ Ἱστορία omnem temporum memoriam a mundi origine usque ad Constantini M. vicennalia (325 p. Ch.) complexa, *Graece* quidem scripta interiit, praeter fragmenta quae servarunt *Georgius Syncellus*, *Cedrenus* et *Chronici Alexandrini* sive *Paschalis* auctor; sed *Latine* versa, et usque ad a. 378. continuata ab *Hieronymo*, aetatem tulit, edita *cum Graecis Fragmentis* a *Ios. Scaligero* in *Thesauro temporum* Lugd. Bat. 1606. et multo auctius et emendatius Amstelod. 1658 fol., postea a *Vallarsio* inter *Opera Hieronymi* T. VIII. Veronae 1740 fol. Cf. *C. S. Schurzfleischii* Notitia bibliothecae Vimariensis. Acc. *Cl. Salmasii* in Chronicon Hieronymi Latinum Variae Lectiones et Emendationes etc. Ienae 1715. 4. — *Hieron. de Prato* Dissert. *de chronicis libris duobus ab Eusebio Caesar. scriptis et editis*, Veronae 1750. 8. — Sed plenior nunc Eusebiani Chronici tum notitia, tum etiam usus nobis obtigit, invento sub finem saeculi proxime superioris (1792) Constantinopoli *codice Armeniaco*, in quo totum opus Eusebii *in duas partes* descriptum, et in Armeniacum sermonem conversum legitur: quarum

prior, praemissa Eusebii ad universum opus praefatione, *priscarum nationum rerumque monumenta* ex auctoribus Graecis et barbaris petita XXXVIII admodum capitibus exhibet; quae universa pars abest a Chronico Hieronymi; posterior, prioris quaedam epitome, *Canonem* chronicum continet, in quo tabularum series quaedam digeritur, qua res gestae plurium gentium et hominum inter se conferuntur, atque in eodem conspectu temporum collocantur, adscriptis e regione uniuscuiusque annis, quo expedite et facile cognoscatur, quis quo tempore fuerit, quibusque factis rebusque gestis inclaruerit. Canon hic seu posterior pars Chronici Eusebiani, ab Hieronymi illo, quem habemus, haud parum differt, sed in codice Armeniaco intio ac fine mutilus est. Vide *Angeli Maii* dictam disputat. *De Eusebii Pamphili Chronico inedito* in *Eiusdem* editione *Philonis Iudaei De Virtute eiusque partibus*, Mediolani 1816. pag. XVI—LVII. tum in repetita et emendata editione sic inscripta: *Eusebii Pamphili praefatio et Specimen amplissimum totius Chronici inediti ex Armeniaca in Latinam linquam translatum. Accedunt Philonis Iud. operum octo ineditorum notitia et specimina e codd. Armen. petita. Additur Graecus tractatus Gemisti editus de Virtute cum nova interpretatione* Mediolani 1816. 4. et 8. Nec multo post duplex codicis Ms. Armeniaci editio prodiit, altera, curis *Ang. Maii* et *Zohrabii*, altera, opera *Aucherii*. Prior sic inscribitur: *Eusebii Pamphili Chronicorum Canonum libri duo. Opus ex Haicano codice a doctore Io. Zohrabo* Collegii Armeniaci Venetiarum alumno, *diligenter expressum et castigatum. Angelus Maius* et *Io. Zohrabus nunc primum coniunctis curis Latinitate donatum notisque illustratum, additis Graecis reliquiis, ediderunt* Mediolani 1818. 4 mai. Altera, *cum contextu Armeniaco*, hunc indicem prae se fert: *Eusebii Pamph. Caesar. Episc. Chronicon bipartitum, nunc primum ex Armeniaco textu in Latinum conversum, adnotationibus auctum, Graecis fragmentis exornatum opera Io. Bapt. Aucher* Ancyrani. P. I. II. Venetiis 1818. fol. et II Voll. 4. Utraque editio ex unico codice Armeniacae interpretationis Chronici Eusebiani, qui Con-

stantinopoli asservatur, facta est, sed prior, *Aucherio* teste, ex apographo interpolato.

§. 151.

Fabularum vel potius *Mythorum* Graecorum notitiae antiquissimi fontes ipsi habentur vates vetustissimi, quorum carmina vel carminum fragmenta ad aetatem nostram pervenerunt. Sed prima etiam historiarum apud Graecos elementa ex iisdem his antiquis popularium narrationibus mythicis ducta fuere, ita ut historicorum antiquissimi, Cadmus, Acusilaus, Hecataeus, Hellanicus, Pherecydes Atheniensis, alii, mythographorum verius nomine appellandi esse videantur. Nobilis in primis *Dionysii Milesii*, qui circa Persici belli tempora vixit, *cyclus* fuit *mythicus* et *historicus* (T. I. p. 87.): ad cuius scriptoris exemplum seriori etiam tempore hi, qui historias catholicas conderent, mythicorum temporum memoriam populorumque origines fabulosas historici aevi enarrationi suae praemittere soliti sunt. Ortum hinc subinde nonnullorum studium mythos in historias vertendi, et tamquam res vere gestas cum causis et consiliis pragmatice, quod dicunt, narrandi. Alii, primo philosophi, tum Grammatici, in interpretandis priscis fabulis et accommodandis ad physicam vel ethicam doctrinam elaborarunt, ut post Italicos et Eleaticos, Anaxagoras, Metrodorus Lampsacenus, Thasius Stesimbrotus, Socrates, Plato, praecipue autem Stoici, Zeno, Cleanthes, Chrysippus, qui allegoricam interpretationem et inanes etymologias sectabantur. Interea Alexandriae veterum poëtarum atque scriptorum lectio et docta interpretatio multorum studia ad congerendos indagandosque mythos, partim reconditos, ultro converterat. Nullum vel sic tamen opus prodiit, si a *Callimachi Αἰτίοις* forte recedas, in quo mythorum origo et diversa genera critica subtilitate essent investigata. Secundum *Asclepiadem*, Tragili in Thraciae finibus natum, Isocrâtis discipulum, circa Olymp. CIV. florentem, qui *fabulas Tragicorum ingeniis mutatas* (*τὰ Τραγῳδούμενα*) seorsum collectas *sex* libris prosa oratione conscriptis ediderat, Grammatici Alexandrini

fabularum *classes* quasdam scriptis suis exposuerunt, alii astronomicas, alii poëtarum, maxime cyclicorum, alii civitatum illustrium, alii, ut Euphorio, quae ad oraculorum eventa spectarent, nonnulli reconditiores solum abditasque carmine vel soluta oratione persequentes.

C. H. Heynii Commentatio de Apollodori Bibliotheca simulque universe de litteratura mythica, praefixa Apollodori editioni quae prodiit Gottingae 1803. 8. — *Asclepiadae Tragilensis Tragodumenon Reliquiae.* Dissertatio postuma. *Fr. Xav. Werferi*, inserta *Actis philologor. Monacens.* T. II. fasc. 4. Monachii 1818. 8. Asclepiades hic distinguendus est a cognomine *Myrleano*, cuius fragmenta a Werfero l. l. collecta leguntur.

§. 152.

Scriptores huius generis, qui supersunt, iunctim edidit *Thomas Gale* in *Historiae poëticae Scriptoribus antiquis*, Parisiis 1675. 8. tum in *Opusculis mythologicis, physicis et ethicis*, Cantabrigiae 1671. et Amstelod. 1688. 8. Ordinem rursus ducit *Eratosthenes*, de cuius *Catasterismis*, libello partim astronomico, antea diximus §. 142. extr. — Nec repetere hoc loco iuvat quae alio (§. 125.) copiosius a me dicta sunt de *Apollodori* Atheniensis *fabularum Graecarum compendio*. — Tertius est *Heraclitus* quidam, incertae aetatis scriptor, sed antiquus, cuius nomini duo opuscula mythologica inscribuntur, quae a Conr. Gesnero et Th. Galeo *Heraclidi Pontico*, Platonis et Aristotelis discipulo, cuius §. 70. mentionem fecimus, perperam tribuuntur: alterum περὶ Ἀπίστων, *De Incredibilibus*; alterum Ἀλληγορίαι Ὁμηρικαί, *Allegoriae Homericae*, propter deperditorum scriptorum quae continet fragmenta haud contemnendum. Illud primus ex Vaticano codice edidit et latine interpretatus est *Leo Allatius* Romae 1641. 8. *Allegorias* autem, post editiones *Aldi* cum Aesopi fabb. Venetiis 1505 fol. et *Conr. Gesneri* cum interpret. Lat. Basileae 1544. 8., seorsum vulgavit cum prooemio, interpret. Lat. et notis *Nic. Schow*. Acc. Eiusd. Commentatio critica in Stoicor. et Grammaticor allegorias Homericas, una cum adnotatione critica in lectionem libelli. Praemissa epistola *C. G. Heynii* ad aucto-

mus vulgavit *I. A. Fabricius* in B. Gr. T. II. p. 42 vet. edit., emendatiorem praestitit *I. F. Fischerus*, cum Alcinoo, l. l.

Eadem circiter aetate, Traiano er Hadriano imperantibus, floruit *Theo Smyrnaeus*, mathematicus et philosophus Platonicus, (cum *Theone* mathematico *Alexandrino*, Ptolemaei commentatore, non confundendus) qui scripsit de *quatuor mathematicis disciplinis* (Geometria, Arithmetica, Musica et Astronomia) *compendium in Platonis libros*, sive, ut in libris mss. fertur: *De iis quae in mathematicis ad Platonis lectionem utilia sunt.* Libelli huius pars tantum servata est, in qua de *Arithmetica et Musica* agitur, graece edita cum vers. lat. et notis illustrata ab *Ismaele Bullialdo*, Parisiis 1644. 4. cf. Fabric. B. Gr. T. IV. p. 35 sqq. Excerpta e Theonis scriptis mathematicis de numerorum proprietate ac divisione continentur in interpretatione Germanica libri *Diophantei de numeris multangulis* a *Poselgero* edita Lipsiae 1810. 8.: *Diophantus von Alexandrien* über die Polygonal Zahlen übersetzt mit Zusätzen von *Friedr. Poselger*: inde a pag. 347.

Sub exitum huius saeculi, circa Antoninorum et Commodi tempora, vixisse videtur *Maximus* patria *Tyrius*, *Sophista* dictus, quod dicendi artem cum philosophiae studio coniunxit. Platonicum vero se ipse profitetur, et arguunt, quos reliquit, *Sermones* sive *Dissertationes* varii argumenti (*Διαλέξεις* sive *Λόγοι*) XLI numero, in quibus duae sunt *de Daemonio seu Genio Socratis.* Marklandi opinionem, duplicem horum sermonum recensionem olim exstitisse, nuper impugnavit *Bornemannus* in *Dissertationis criticae de gemina Xenophontis Cyropaediae et Maximi Tyrii recensione Particula Secunda* Schneebergi 1815. 8. Graece Maximum primus edidit *H. Stephanus*, Parisiis 1557. 8. — cum Latina interpret. et notis *Dan. Heinsius*, Lugd. Bat. 1607 et 1614. 8. Sed praestat editio *Io. Dawisii*, Gr. et Lat. cum Heinsii notis suisque, Cantabrig. 1703 et curis secundis, post Dawisii obitum, cura *Io. Wardii*, cum supplemento annotationum *Ier. Marklandi*, Londini 1740. 4. Quam secundam Dawisii recensionem typis repetendam cu-

ravit *I. I. Reiskius*, Lipsiae 1774. II Voll. 8. — *Germanice* vertit *Tob. Dammius*, Berol. 1764. 8. et *Gallice* nuper *I. I. Combes-Dunous*, Paris. 1803. II Voll. 8. cf. Fabricius T. V. p. 515 sqq.

Io. Kasp. von Orelli Ueber einige Stellen des Maximos von Tyros in Dess. Philologischen Briefen, als Anhang zu *Isokrates Rede* περὶ ἀντιδόσεως Turici 1814. 8. cf. T. I. p. 187.

§. 154.

Platonicorum horum recentiorum nonnulli, quum Pythagoreorum de numeris placita cum Platonis praeceptis coniungerent, *Eclecticis* etiam philosophis annumerandi sunt, quorum auctor vulgo habetur *Potamo*, qui saeculo primo vel secundo post Ch. n. (nam aetas eius incerta est) . philosophiae scholam habuit Alexandriae. Omnino autem Neoplatonicorum, qui schola Alexandrina profecti sunt, *Bouterwekio* auctore *), *tres familiae* distingui possunt, *Iudaica*, e solius quidem *Philonis* Iudaei operibus nunc cognoscenda, sed quam diutius durasse, *Numenii* Apameensis scriptorum fragmenta, partim ab Eusebio nobis servata, testantur. *Alterius*, *Christianae* dictae, *Iustinus Martyr*, priusquam Christianorum sacris initiatus est, Platonicae philosophiae addictus, princeps habendus est. *Tertia*, longe serior, cuius, ut *Iudaicae*, fons communis ex India et Persarum Zoroastrica disciplina repetendus esse videtur, nomen debet *Plotino* Lycopolitano Aegyptio, qui *Ammonii Alexandrini*, *Saccae* dicti, et circa a. 220. p. Ch. n. florentis, quem sectae Neoplatonicorum, longe antiquioris, vulgo, sed perperam, primum auctorem esse putant, per undecim annos discipulus fuit, et quadragesimum annum agens, post Gordiani Imp. mortem Romam venit, ubi philosophiae suae mysticae et allegoricae, miraque sententiarum et verborum obscuritate obvolutae, praecepta tradidit; scripta autem philosophica *quatuor* et *quinquaginta* numero, quae composuerat, *Porphyrio*, discipulo suo, commisit,

*) In Commentat. supra laudata.

qui ea in ordinem redigeret atque emendaret expoliretque. Is igitur, Andronici Rhodii Peripatetici exemplo (cf. T. I. p. 132.), magistri sui opera in sex *Enneadas*, unicuique Enneadi *novem* libris affinis argumenti tributis, partitum se esse ipse satis copiose exponit in libro *de vita Plotini eiusque librorum serie* cap. 24. Quo indice et qua divisione servati etiam sunt philosophi huius, Neoplatonicorum principis, libri, propter rerum et dictionis obscuritatem, paucissimos nacti editores atque interpretes. Primo enim *Latine* prodierunt Plotini Enneades ex interpretatione *Marsilii Ficini*, eiusdem qui Platonis opera transtulit, una cum eius argumentis sive commentariis, Florentiae 1492. 1540 et 1559 fol. *Graeco-Latinae* autem duae adhuc exstant editiones cum interpret. et argumentis M. Ficini, quatuor codd. mss. fide, opera et typis *P. Pernae*, Basileae 1580 fol. altera ibidem, 1615. quae, teste *Creuzero*, non omnino prioris repetitio, nec illi tota similis est, ut vulgo creditur; utraque autem vitiis inquinatissima. Tractatum Plotini *de natura, contemplatione et uno* (Ennead. III. 8.) *Germanice* vertit *Fr. Creuzerus* in libro qui inscribitur *Studien herausgeg. von C. Daub u. F. Creuzer*. Heidelb. 1805. T. I. Idem vir doctissimus *Plotini librum de pulchritudine* ad Codd. XIII fidem emendavit, annotationem perpetuam, interiectis *Dan. Wyttenbachii* notis, epistolamque ad eumdem ac praeparationem quum ad hunc librum tum ad reliquos adiecit. Acc. Anecdota Graeca: *Procli Disputatio de unitate et pulchritudine*, *Nicephori Nathanaëlis Antitheticus adversus Plotinum de anima*; itemque *Lectiones Platonicae maximam partem ex Codd. mss. enotatae*. Heidelbergae 1814. 8 mai. — *Plotini de rerum principio* Ennead. III. L. VIII. c. 8—10. animadversionibus illustravit *F. Chr. Grimmius*. Lipsiae 1788. 8. — Universi operis Plotiniani *interpretatio Germanica* nuperrime lucem vidit, hoc indice: *Des Plotinus Enneaden, übersetzt, mit fortlaufenden, den Urtext erläuternden Anmerkungen von I. G. V. Engelhardt*. Erlangen 1820. 8 mai. — Cf. Fabricii B. Gr. T. V. p. 676 sqq. — *C. Meiners Beitrag zur Geschichte der Denkart der ersten Jahrhunderte*

nach Christi Geburt, in einigen Betrachtungen über die Neuplatonische Philosophie, Lipsiae 1782. 8. — *Fülleborn Beiträge z. Gesch. d. Philosophie* P. III. pag. 70 sqq. — *I. F. Winzeri Adumbratio decretorum Plotini de rebus ad doctrinam morum pertinentibus.* Specimen I. Vitebergae 1809. 4.

§. 155.

Porphyrius, patria Tyrius, et suo nomine *Malchus* appellatus, e Longini rhetoris schola Athenis tricesimo aetatis anno, 263 p. Ch., Romam concessit, Plotini per sexennium se tradens disciplinae. Deinde in Sicilia aliquantum temporis commoratus, Romam rediit, ibique philosophiam artemque orandi docens, septuagenario maior obiisse videtur postremis Diocletiani annis, circa 304 s. 305 p. Ch. E multis scriptis Porphyrii, quorum maxima pars deperdita, nonnulla adhuc in libris mss. latent, (Indicem vide ap. Fabric. T. V. p. 729 sqq.), editorum potiora tantum commemorabimus: in his 1) librum *de vita Plotini et ordine scriptorum eius*, modo laudatum, quem senex composuit, Graece editum cum Marsilii Ficini Latina interpret. in fronte operum Plotini. 2) Librum *de vita Pythagorae*, ex cod. ms. primum Graece vulgatum a *Conr. Rittershusio* cum notis, Altdorfii 1610. 8. deinde Graece et Latine cum aliis scriptis Porphyrii a *Luca Holstenio*, Romae 1630. 8. subiecta dissertatione de vita et scriptis Porphyrii; denique cum *Iamblichi Vita Pythagorae*, adiunctis Holstenii et Rittershusii notis, a *Lud. Küstero*, Amstelod. 1707. 4. et a Theoph. Kiesslingio Lips. 1815. 8. Cf. *Meinersium* in Gesch. d. Wiss. in Gr. u. R. T. I. p. 257—270. — 3) *Περὶ ἀποχῆς τῶν ἐμψύχων De abstinentia ab esu animantium* lib. IV. quorum praestantissima editio prodiit Trai. ad Rhen. 1767. 4. cura *Iac. de Rhoer.* 4) *Tria* opuscula, quae Commentarii in carmina Homeri partes fuisse videntur Valckenario: *Ὁμηρικὰ Ζητήματα Homericae Quaestiones* XXXII. — *De antro Nympharum* (ad Odyss. XIII.) et *Fragmentum de Styge* a Stobaeo servatum in Eclogis physicis. Saepe illa edita sunt cum Scholiis in Homerum minoribus,

inde ab *Andr. Asulano* in aed. Aldi, Venetiis 1521. 8. Libelli autem *de antro Nympharum* praeclara editio exstat cum Latina Holstenii et Conr. Gesneri interp. et doctissimis animadversionibus, cura *R. M. de Goens*, Trai. ad Rhen. 1765. 4. — Porphyrii librum *de Prosodia* e libro ms., sed admodum vitioso, primus vulgavit *Villoisonius* in *Anecdotis Graecis* T. II. p. 103. et eiusdem *Scholia inedita* in Iliadis lib. XXIV. *Matthaei*. Cf. *Schöllii* Repertoire de Litter. anc. T. I. p. 128 et p. 142. — Denique *Ang. Maii* studio indefesso novus Porphyrii liber, „*Epistola ad Marcellam coniugem*“ e cod. ms. Ambros. erutus, et una cum *Eusebii* et *Philonis Iudaei* scriptis in editis (§. 134.) hoc indice vulgatus est: *Porphyrii philosophi opus ineditum Epistola ad Marcellam coniugem* (De vita recte instituenda). *Graece, cum Latina editoris praefatione.* Acc. *Eiusdem Porphyrii poëticum Fragmentum: tum Graecum Scholion Theodori ad Basilicorum lib. XLV. titulum VI. de Armeniis.* Mediolani 1816. 4 et 8. Sed fragmentum illud poëticum carminis amplissimi *περὶ τῆς ἐκ λογίων φιλοσοφίας de philosophia ex oraculis*, Eusebio, Augustino aliisque laudati, iam olim a *Steucho Eugubino* in libro *de perenni philosophia* editum esse, itemque tres ultimos Fragmenti huius versus inter Pseudo-Orphei *ἀποσπασμάτια* (XLVIII) legi, postea animadversum est.

§. 156.

Porphyrio praeceptore usus est *Iamblicus*, Chalcide in Coelesyria ortus, et circa a. 310. p. Ch. clarescens: idem somniis Pythagoreorum ac theurgicis superstitionibus magis deditus quam qui antecesserant. E scriptis eius quae servata, saltem in lucem emissa sunt, satis est memorare 1) *De vita Pythagorica*, *primam* partem operis maioris, in *decem* libros ab auctore descripti, quo *philosophiam Pythagorae* (*περὶ τῆς Πυθαγορείου αἱρέσεως*) enarraverat; cuius castigatior editio adornata est a *Lud. Küstero*. Amstelod. 1707. 4., Porphyrii similis argumenti librum una complectens; nuperrima a *Kiesslingio*, hoc indice: *Ἰαμ-*

βλίχου Χαλκιδέως περὶ βίου Πυθαγορικοῦ. Iamblichi Chalcidensis ex Coelesyria De vita Pythagorica liber, Graece et Latine. Textum post Lud. Küsterum ad fidem codd. mss. recognovit, Ulr. Obrechti interpretationem Latinam passim mutavit, Küsteri aliorumque animadversionibus adiecit suas Theoph. Kiessling. Accedunt, praeter Porphyrium de vita Pythagorae cum notis Lucae Holstenii et Conr. Rittershusii, itemque anonymum apud Photium de vita Pythagorae, Variae Lectiones in Iamblichi librum tertium περὶ τῆς μαθηματικῆς ἐπιστήμης, et quartum περὶ τῆς Νικομάχου ἀριθμητικῆς εἰςαγωγῆς, e cod. Cizensi enotatae Pars I. Lipsiae 1815. Pars II. ibid. 1816. 8 min. — *Secunda* pars vel liber secundus operis *de philosophia Pythagorea* ex aliis scriptis, maxime e Platonis dialogis, compilata *Adhortationem ad philosophiam* continet et in codd. mss. ita inscribitur: *Πυθαγορείων ὑπομνημάτων περιεχόντων τοὺς προτρεπτικοὺς λόγους εἰς φιλοσοφίαν λόγος δεύτερος.* Ea semel Graece et Latine edita erat una cum libro primo de vita Pythagorica, ab *Io. Arcerio* 1598. 4. Nova autem eaque critica editio nuper prodiit, sic inscripta: *Iamblichi Chalcid. Adhortatio ad philosophiam. Textum ad fidem codd. mss. recensuit, interpretatione Latina et animadverss. instruxit Theoph. Kiessling.* Lipsiae 1812. 8 mai. — *Tertii* libri *περὶ μαθηματικῆς ἐπιστήμης fragmenta Graece* e cod. Veneto primus edidit *Villoisonius* in *Anecdotis Graecis* T. II. p. 188—225. Venetiis 1781. 4. *Latine Nic. Scutellius* ad calcem libri *de mysteriis Aegyptiorum*, Romae 1556. 4. — De *quarti* libri *περὶ τῆς Νικομάχου ἀριθμητικῆς εἰςαγωγῆς* sive *Commentarius in institutiones arithmeticas Nicomachi*, et *septimi*, ad Iamblichum relati auctorem, *Τὰ θεολογούμενα τῆς ἀριθμητικῆς*, editionibus infra dixi sub Nicomacho. 2) librum *de Mysteriis Aegyptiorum*, Graece et Latine editum a *Th. Galeo*, Oxonii 1678 fol. quem tamen Iamblichi esse negant *Meinersius* et *Tiedemannus*, ille in *Gesch. der Wiss.* T. I. p. 271 sqq.; in Commentatt. Soc. Disciplinar. Gotting. Vol. IV. 1782. p. 50. denique in *Beitrag zur Gesch. der Denkart d. ersten Iahrhunderte* etc. pluribus locis; hic in *Geist*

d. spekulativen Philosophie T. III. pag. 453. et in comm. *De Magia*, Marburgi 1787. 4. pag. 127 sqq.

Platonicis huius aetatis philosophis addatur etiam *Sallustius*, idem haud dubie, qui a. 363. consulatum gessit. Eius libellum *περὶ θεῶν καὶ κόσμου De Diis et mundo* viris doctis commendant egregia de rerum causa primaria, de bonitate et providentia deorum, de anima humana eiusque immortalite decreta et subtiles argumentationes; quamquam scriptorem a saeculi, quo floruit, labe, praecipue in mythorum divisione et explicatione allegorica, haud immunem se praestitisse fatendum est. Opusculum hoc, multis Graeci contextus corruptelis contaminatum, primus Graece edidit *Gabr. Naudaeus* cum *Leonis Allatii* interpretatione Latina et notis *Lucae Holstenii*, Romae 1638. 12. quae repetita est editio Lugduni 1639. 12. Deinde *Tho. Gale* in Opusculis mytholog. physicis et ethicis, Cantabrig. 1671. 8. et Amstelod. 1688. 8. Nuperrime *Io. Conr. Orellius*, hoc indice: *Sallustii philosophi libellus de Diis et Mundo. Graece et Latine emendatius edidit, L. Holstenii et Th. Galei annotationibus integris, Formeii autem selectis aliorumque et suis nec non locis e scriptis Platonicorum excerptis illustravit J. C. O.* Turici 1821. 8.

§. 157.

Aristotelicorum clara quidem nomina fuere *Eudemi* Rhodii, *Clearchi* Solensis, *Phaniae* Eresii, *Chamaeleontis* Heracleotae, *Stratonis* Lampsaceni, qui Theophrasto successit Ol. CXXIII. 3. a. Ch. 286., et Ptolemaeum Philadelphum habuit discipulum; *Lyconis*, qui post Stratonem ab Ol. CXXVII. scholae peripateticae per quatuor et quadraginta annos praefuit Athenis; *Hieronymi* Rhodii, Lyconis aequalis et adversarii; *Aristobuli* Alexandrini, gente Iudaei, sub Ptolem. Philometoris et Physconis principatu Ol. CL. 1.— CLVIII. 4. a. Ch. 180—145. *); *Critolai*, qui cum

*) Cf. *Valckenarii* Diatribe de Aristobulo Iudaeo, philosopho peripat. Alexandrino, edita post auctoris mortem ab *Io. Luzacio.* Lugd. Bat. 1806. 4.

Carneade Academico et Diogene Stoico ab Atheniensibus legatus Romam missus est Ol. CLVI. 2. et *Diodori*, Critolai auditoris; *Andronici Rhodii*, Luculli aetate, cuius supra mentionem feci; *Cratippi* Mitylenaei, Ciceronis familiaris; *Nicolai Damasceni*, quem inter historicos laudavimus §. 133. Sed scripta, in quibus philosophiae suae praecepta exposuerant, interierunt paene omnia. Solius *Andronici Rhodii*, qui de Aristotelis libris partiendis, restituendis, emendandis, describendis et divulgandis tam egregie meritus erat, exstat *Paraphrasis Ethicorum Aristotelis ad Nicomachum*, edita sub eius nomine cum interpret. Lat. a *Dan. Heinsio* 1617. 8. et Cantabrig. 1679. 8. — Seriorum demum huius sectae philosophorum opera, praesertim quae commentariorum instar in magni doctoris sui libros composuerant plurima, nonnulla tempus nobis minus invidit. In his prae ceteris hoc loco commemorandus *Alexander Aphrodisiensis*, Septimio Severo et Caracalla imperantibus, saeculi III. p. Ch. initio florens, interpretum Aristotelis praestantissimus, et familiae eorum Alexandrinae princeps, cuius non solum plures feruntur *Commentarii Graeci* in Aristotelis libros philosophicos, editi et in libris mss. adhuc latentes (v. Fabric. B. Gr. T. V. p. 652 sqq.), sed etiam alia opera, suo condita studio, ut liber *De Fato*, libri duo *De Anima*, aliique; cf. *Buhlium* in Dissert. de Commentatoribus Graecis Aristotelis, praefixa T. I. Opp. Aristot. p. 287. tum in *Lehrbuch d. Geschichte d. Philosophie*, T. II. p. 23. — *Fabricium* l. c. — *Harlesium* in Introd. etc. T. II. p. 236. — Librum Alexandri *de Fato* in *Germanicum* transtulit sermonem *I. G. Schulthess* in *Bibl. d. griech. Philosophen* T. IV. Tiguri 1782. 8.

§. 158.

In tanta Stoicorum multitudine, quorum schola ineunte aetate hac, in qua versamur, erat condita (§. 72. T. I. p. 140), nullius tamen, quem quidem ante aerae vulgaris initium vixisse constet, scripta philosophica aetatem tulerunt, ne iis quidem exceptis, quae reliquerant sectae huius auctor *Zeno Citieus*, et

proximi eius successores, *Cleanthes* atque *Chrysippus*. Ceterum nominis celebritatem consecuti sunt *Aristo Chius* *), Eratosthenis praeceptor, et *Persaeus*, Arati poëtae familiaris, uterque Zenonis discipulus; postea *Diogenes* Babylonius, cum Carneade Academico et Critolao Peripatetico Romam missus legatus anno ab u. c. 598., et huius discipulus *Antipater* Tarsensis **), praeceptor *Panaetii* Rhodii clarissimi Stoici, cuius aetas ab a. u. c. 569 ad 642. a. Ch. 185—112 pertinuisse videtur, quique post a. 598. Romam profectus, certe post Polybium Scipioni Africano iuniori conciliatus, huius fere aequalis, item comes fuit in legatione in Aegyptum et Asiam a. u. c. 610., ultimam autem vitae partem Athenis transegit, ubi, post obitum Antipatri Tarsensis scholae Stoicae praefuit. Is, praeter alia multa opera, *libros tres de Officiis* (*περὶ τοῦ καθήκοντος*) reliquit, Cicerone iudice accuratissime scriptos, quosque idem Cicero, correctione quadam adhibita, potissimum secutum se esse profitetur (De Offic. III. 2.). Cf. *Sevini narratio de Panaetio* in *Memoires de l'Acad. des Inscr.* T. X. p. 75 sqq.— *Car. Guntheri Ludovici* Panaetii iunioris, Stoici philosophi, vita et merita in Romanorum quum philosophiam tum iurisprudentiam Lipsiae 1734. „Quo in „libello istud *Panaetii Iunioris* manavit ex pervul„gato errore de duobus Panaetiis Stoicis, quos perperam „duos ac diversos fecit Suidas.“ — verba sunt *Wyttenbachii* in Bibl. Crit. Vol. III. P. 3. pag. 55. Unus enim et idem est Panaetius librorum scriptor, et familiaris Scipionis. Vide *F. G. Van Lynden* Disputationem historico-criticam *de Panaetio Rhodio, philosopho Stoico.* Lugd. Bat. 1802. 8. cuius argumentum enarravit Wyttenbachius in Bibl. Crit. loco laud.

---

*) De eo vide *Senecam* Ep. LXXXVIIII. 11. XCIV. pr. XXXVI. 3. LXXVI. 23. cum nota Ruhkopfii. Cf. Fabric. Harles. T. III. p. 540 sqq. *Philologische Bibliothek* II. 1. Multa scripsisse fertur, quae ab aliis ei subdita esse contendebant Panaetius et Sosicrates, teste Diogene Laërt. VII. 163. *solas epistolas Aristonis ad Cleanthem*, sibi familiarissimum, pro genuino opere habentes.

**) Carneadis aequalis, Senecae memoratus in Ep. LXXXVII. 34. et XCII. 5.

Adde *Garnieri Observations sur quelques ouvrages du Stoïcien Panétius* in *Histoire et Memoires de l'Institut R. de Fr.* Classe d'Hist. et de Litterat. ancienne T. II. 1815. pag. 81—110. — Inter magnos Stoae auctores etiam refertur *Archidemus*, ab aliis *Archidamus* vocatus, Carneadi aequalis circa a. 600 ab U. C. Cf. Fabric. B. Gr. Vol. III. p. 540. *Ruhkopf* ad Senec. Ep. CXXI. 1. Opp. T. III. p. 407. — Tum *Posidonius*, Rhodius vulgo dictus, quia Rhodi vixit, ubi a magno Pompeio auditus est, et frequentatus a Cicerone, Panaetii discipulus et successor, cuius, tamquam Polybii historiarum continuatoris, supra mentionem fecimus (§. 130. extr. p. 56.). Multorum, quos conscripsit, librorum fragmenta collegit ediditque *Ianus Bake*, Amstelod. 1810. 8. de quibus vide ibidem. — Clarum item Panaetii discipulum *Hecatonem* Rhodium e Cicerone De Offic. III. 15. et Diogene Laërtio VII. novimus, a Seneca etiam passim laudatum, ut De Benef. I. 3. 9. III. 18. Epp. V. 6. — Deinde *Apollonius Tyrius*, Posidonio aequalis, qui *de Zenone Citieo* scripsit, et, Strabone teste, *Indicem Stoicorum et librorum quos confecerant* (*Πίνακα τῶν ἀπὸ Ζήνωνος φιλοσόφων καὶ τῶν Βιβλίων*), quo aegre caremus. Nec silentio praetermittendus *Athenodorus Cordylio*, bibliothecae Pergamenae custos, Catonique Uticensi familiarissimus, (de quo vide Senecam de Tranquill. animi c. 3, 1. Ep. X. 4.) et *Attalus*, sub Tiberio clarus, quem Seneca philosophus audivisse se ipse testatur in Ep. CVIII. 3. et 13. in eiusque laude multus est. Vide Epp. IX. 5. LXIII. 5. „Nam ut dicere solebat *Attalus noster*: Sic amicorum defunctorum memoria iucunda est, quomodo poma quaedam sunt suaviter aspera etc.“ Adde LXXII. 10. LXXXI. 21. CX. 13 sqq. De eodem *Seneca* pater in *Suasoria* II: „Stoicus qui solum vertit a Seiano, magnae vir eloquentiae, ex philosophis, quos nostra aetas vidit, longe et subtilissimus, et facundissimus.“ — A cuius aetate parum abfuit *Annaeus Cornutus*, Persii et Lucani praeceptor Neronis temporibus clarus, sub cuius nomine (quamquam nonnulli codices et editiones *Phurnutum* auctorem agnoscunt) circumfertur libellus (*περὶ τῆς τῶν θεῶν φύσεως*, *De Natura Deorum*, al-

legorias physicas et morales, quae de Diis apud Graecos tradebantur, cum nominum divinorum etymologiis secundum Stoicorum praecepta continens, ac vulgo, sed minus recte, in *mythologicorum* librorum numerum relatus. Graece primum editus est ab *Aldo Manutio* cum Aesopi Fabb., Palaephato aliisque, Venetiis 1505 fol. Graece et Latine autem cum *Conr. Clauseri* interpretatione et notis insertus est Historiae Poët. Scriptt. a *Th. Galeo*, Cantabrig. 1671. 8. et Amstelod. 1688. 8. Novam editionem multo emendatiorem pollicitus erat *Villoisonius* in Anecdotis Gr. T. II. p. 243. cuius Apparatus ms. in Bibl. Caesar. Paris. asservatur, teste *Schoellio* in Repertoire etc. T. I. p. 110. Cf. *Chardon de la Rochette* Mélanges de Critique et de Philologie T. III. p. 55 sqq.

Paullo post floruerunt *Musonius Rufus*, eiusque discipulus *Epictetus*. Prioris, multis propter doctrinam et vitae integritatem laudati, quem Vespasianus Imp., quum ceteros philosophos Roma expulisset, solum in urbe habitare passus est, (cf. Ruhkopfium in Argumento epist. 73. Senecae Opp. T. II. p. 351) exstant disputationes haud paucae, ab *Ioanne Stobaeo* servatae, quas *Petrus Nieuwlandus* in dissert. *de Musonio Rufo* philosopho Stoico, Amstelod. 1783. 4. ductas esse putat ex opere *Ἀπομνημονευμάτων Μουσωνίου*, *Memorabilium Musonii*, quod *Claudius Pollio*, memoratus a Plinio Epp. VII. 31., conscripsit ad exemplum Xenophonteum; quam fere rationem postea secutus est Arrianus in Scholis Epicteti conscribendis. v. *Harlesium* ad Fabric. T. III. p. 566 not. In Wyttenbachi Miscell. Doctr. lib. I. Amstelod. 1809. 8. inter *Anecdota* leguntur duo Musonii fragmenta, alterum p. 157—163. *Ἐκ τοῦ, εἰ παραπλησίως παιδευτέον τὰς θυγατέρας τοῖς υἱοῖς*; alterum p. 163—67. *Ἐκ τοῦ ὅτι καὶ γυναιξὶ φιλοσοφητέον*: utrumque emendatius quam in codice lectum est. Cf. *Beckii* Acta seminarii philolog. Lips. Vol. I. p. 367. — Nuperrime autem *Musonii Rufi, philosophi Stoici, Reliquias et Apophthegmata* cum annotatione edidit *J. Venhuizen Peerlkamp*. Harlemi 1822. 8 mai.

§. 159.

Epictetus autem, Hierapoli in Phrygia natus, Epaphroditi, Neronis liberti et cubicularii, servus habetur manumissus, et sub saec. I. p. Ch. finem et ineunte secundo, Domitiano, Traiano et Hadriano imperantibus, floruit. Is, Domitiani edicto circa a. 94. una cum magistro suo, Musonio Rufo, aliisque philosophis Roma pulsus, Nicopolin Epiri concessit, ibique Stoicae philosophiae praecepta, quae ad animi vitaeque emendationem moresque fingendos potissimum facerent, maximo auditorum plausu exceptus, docuit. Ipse quidem nihil scripti reliquisse videtur, sed inter discipulos eius fuit qui magistri sui dicta disputationesque litteris consignaret, historicus et philosophus nobilissimus, *Flavius Arrianus* (§. 136), cuius studio et doctrinae *duo Epicteti opera* debemus, alterum *Enchiridion*, sive doctrinae Stoicae moralis librum *manualem* celeberrimum ac praestantissimum, alterum *Dissertationum* (*Διατριβῶν*) *Epicteti* libros IV.; alia vero, ut librum *De vita et morte Epicteti*, temporis iniuria delevit. Prioris, *Enchiridii*, multum lectitati, etiam a Christianis, innumerae exstant editiones, *princeps* cum *Simplicii*, philosophi peripatetici Saec. VIti, commentario Graeco, Venetiis 1528. 4., saepissime cum *Cebetis Tabula* (§. 63. T. I. p. 112.) imprimis ab *Hier. Wolfio*, Basileae 1560. II Voll. 8. a *Dan. Heinsio* et *Claud. Salmasio* Lugd. Bat. 1640. 4., ab *Abr. Berkelio* et *Iac. Gronovio*. Delphis 1683. 8. *Io. Vptono*, Londini 1741. 4. — ab *Heynio* bis, secundis curis Dresdae 1776. 8. iterata ibidem 1783. 8. (sed sine *Cebete*); denique nuper, post *Lefebure de Villebrune* Paris. 1782. 16., a doctissimo *I. Schweighaeusero*, qui Epicteti Manuale et Cebetis Tabulam ad vett. libror. mss. fidem denuo recensuit et illustravit, subiecta interpret. Lat. emendata, Lips. 1798. 8. (Duae aliae, sed minoris formae editiones eiusdem cura, eodem anno et loco prodiere. V. Schöllii Repertoire p. 52 sq.) — *Dissertationum* autem Epicteti, ab Arriano digestarum libri IV. qui supersunt, primum *Graece* prodierunt cura *Victoris Trincavelli*, Venetiis 1533. 8. — *Hier. Wolfius* eos altero tomo

Epicteti Manuali addidit Basileae 1561. 8. Locupletissima diu editio erat *Io. Vptoni*, Londini 1741. II Voll. 4.; donec nostra aetate de iis pariter atque de *Simplicii* in Enchiridion Epicteti Commentario praeclare meruit *Io. Schweighaeuserus*, editis *Epicteteae philosophiae Monumentis*, Lipsiae 1799. V Voll. 8. Insunt his quinque voluminibus primo Epicteti Dissertationes cum Enchiridio, denuo recensitae, Lat. interpret. annotationibus et indicibus illustratae III Voll. 8., deinde *Simplicii* Commentarius in E. E. cum eiusdem Enchiridii *Paraphrasi Graeca* a christiano auctore profecta, subiecta *Merici Casauboni* latina interpretatione, et cum *Nili Ascetae*, saeculli Vi scriptoris, *Enchiridio*. Omnia ad vett. codd. fidem recensuit et var. lect. notisque illustravit I. S. Lipsiae 1800. II Voll. 8. — Et Enchiridion et Dissertationes Epicteti insunt etiam in *Arriani Operum* editione Borheckiana parum laudata, volumine *tertio*, Lemgoviae 1811. 8. De versionibus Epicteti v. Fabricium T. V. p. 83 sqq. *Post Gallicam Dacierii* cum notis et vita Ep. Paris. 1715. II Voll. 12. nuperrimae sunt *Naigeonii* ibid. 1790. 18. *Villebrunii* (cum Cebetis Tab.) ibid. 1795. II Voll. 12. et *Camusii* ibid. 1799. II Voll. 18. — *Germanice* Enchir. et Dissertat. vertit *I. G. Schulthess*, Tiguri 1766. et in Eiusd. *Bibliothek d. griech. Philosophen* T. II. Adde *I. A. Briegleb* Schule der Weisheit, nach Epiktet. Coburgi 1805. 8.

§. 160.

Restat *Marci Aurelli Antonini* Imperatoris philosophi (161 — 180. p. Ch.) (cuius *Sedecim ad M. Frontonem* praeceptorem suum *Epistolae latine* scriptae e cod. Ambros. nuper ab Angelo Maio primum editae sunt Mediolani 1815. II Voll. 8.) opus laudatissimum *Τῶν εἰς ἑαυτὸν* sc. *ὑποθηκῶν*, *Praeceptorum quibus se ipse monuit* lib. XII., Stoicae disciplinae, quae ad vitae actum et imperandi artem refertur, egregium monumentum, quod Graece et Latine primus edidit *Guil. Xylander*, Tiguri 1558. 8. correctius autem cum Antonino Liberali idem Xylander Basileae

1568. 8. Post hunc *Mericus Casaubonus*, Isaaci patris sui schedis adiutus, Graeci contextus et interpretationis latinae emendatiorem vulgavit editionem cum notis et emendatt. Londini 1643. 8. Praestantissima autem et locupletissima editio est *Th. Gatackeri* cum commentario uberrimo, Cantabrig. 1652. 4. iterata primo a *Geogr. Stanhopio*, Londini 1697 et 1707. 4. tum optime et commodissime ab *Herm. Witsio* in *Gatackeri Operibus criticis*, Trai. ad Rhen. 1697 fol. Ex hac fluxit editio *Oxoniensis* 1704. 8., cui etiam Imperatoris *Epistolae* quaedam, de quarum fide tamen dibitatur, additae sunt; tum *Lipsiensis* 1775. 8. Gr. et Lat. cum paucis notis criticis doctissimi *Mori*. Minus commendanda, quum a critica subtilitate, tum a tractandi ratione, editio *Io. Pet. de Ioly* hoc indice: *Pugillaria imp. M. A. Antonini*, Graece scripta, *disiecta membratim*, et, quantum fieri potuit, *restituta pro ratione argumentorum*, Parisiis 1774. 12. Idem *Ioly* paullo ante ediderat: *Pensées de l'emp. Marc Aurèle Anton.* Nouv. traduction du Grec, *distribuée en chapitres, suivant les matières*, avec des Notes et des Variantes. Paris 1770. 8. et iterum 1773. 12. — Editionis criticae cum interpret. Lat. et notis Gatackeri aliorumque et suis, cura *I. M. Schultzii*, prima dumtaxat pars lucem vidit Slesvici 1802. 8. Sed eiusdem viri docti opera nuper prodiere *Antonini Commentariorum quos sibi ipsi scripsit libri XII. ad fidem optimor. libror. diligenter recogniti. Cum selecta varietate lectionis et adnotatt. criticis. Curavit I. M. Schultz. Lipsiae ap. Tauchnizium* 1821. 12. Paullo ante editae sunt „*Les Pensées de Marc Aurèle, précédées de Prolegomènes en Grec moderne par M. Coray*; et *l'Eloge de M. Aurèle par Thomas* Paris. 1817. 8.“ Quem librum in *Millini Annal. Encyclop.* T. I. 1817. p. 187. sic laudatum reperi: *M. A. ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ. Observations de l'Emp. Antonin sur lui-même livres XII. précédées de son Éloge écrit en Français par M. Thomas* Paris 1816. 8. — Verterunt librum M. Aurelii, praeter laudatos, *Gallice Dacierius* Paris. 1800. 4. — *Anglice Mericus Casaubonus* Londini 1634. 4. *Collierius* 1701. et *Gravesius* Londini 1791. 8. — *Germanice Schult-*

hessius in Bibl. etc. T. III. *Rechius* 1797. 8. et *I. M. Schultzius* 1799. 8.

C. Meinersius De M. Aurelii Anton. ingenio, moribus et scriptis, in Comm. Soc. Reg. Gotting. T. VI. 1785. 4. — Fabric. B. Gr. T. V. p. 500. sqq. — *Harles.* Introd. T. II. p. 135 sqq. Supplem. T. I. p. 339 sqq.

§. 161.

Ex *Epicuri* cohorte maxime innotuerunt eius in schola successor *Hermarchus* Mytilenaeus *), et familiares *Metrodorus* Atheniensis **), cuius plura scripta interierunt, *Polyaenus* atque *Colotes*, cuius librum, Ptolemaeo regi oblatum, refutavit Plutarchus; tum *Zeno Epicureus*, a Cicerone et Attico Athenis frequentatus, eiusque aequalis *Philodemus*, cuius supersunt quum *Epigrammata* XXXIV in Anthologia Graeca (ap. Iacobsium T. II. p. 70—79. Animadverss. Vol. IIdi pars I. p. 211—250. coll. T. III. P. III. p. 936 sq. cf. Chardon de la Rochette Mélanges de Critique T. I. Paris. 1812. 8.); tum aliquot libri *de Rhetorica*, *super virtutibus et vitiis*, et *de Musica*, in papyris Herculanensibus. Primi περὶ ῥητορικῆς specimen editum est in *Antiquitatibus Herculan.* T. V. p. 721. Tertii autem *de Musica* partem e dictis papyris primus edidit *Car. Rosinius* in *Herculanensium Voluminum* T. I. Neapoli 1793 fol., deinde Gr. et Lat. cum Rosini scholiis suisque animadverss. *Chr. Theoph. de Murr* in *Comm. de Papyris seu voluminibus Graecis Herculanens.* Argentor. 1804. 8 mai. *Idem* vertit Germanice: *Philodemus von der Musik. Ein Auszug aus dessen viertem Buche. Aus dem Griechischen einer Herkulan. Pa-*

---

*) Vulgo *Hermachus* scribitur. Sed *Hermarchum* scribendum esse, docuere *Klotzius* in *Actis Littterariis* T. V. p. 367. (cf. *Wagnerum* ad *Alciphronem* II. ep. 2. p. 287 sq.), *Villoisonius* in Anecdotis Graecis T. II. p. 159. Cf. Harlesium ad Fabric. B. Gr. Vol. III. p. 604. not. X. et *Ruhkopfium* in notis criticis ad Senecae Epp. VI. 6. T. II. p. 4.

**) Cf. Senec. Epp. LXXIX. 12 sqq. LXXXI. 10. XCVIII. 9. Idem in Ep. VI. 6.: „*Metrodorum* et *Hermarchum* et *Polyaenum*, magnos viros, non schola Epicuri, sed contubernium fecit."

pyrusrolle übersetzt von C. G. von Murr. Nebst einer Probe des Hymnenstyls altgriechischer Musik. Berolini 1806. 4. Cf. Ephemer. Litterar. Gotting. 1794. pag. 1589 sqq. et *C. G. Schützii* Progr. In Philodemi περὶ μουσικῆς librum IV. nuper ab Academicis Herculan. editum animadversionum Pars I. Ienae 1795 fol. — *Petri Gassendi* Opera laudata T. I. p. 143. — *Fr. Iacobs* Ueber ein dem Philodemus bisher beigelegtes Epigramm. Zu Horat. Serm. I. 2. 121. in Wolfii Anal. Litterar. Vol. I. p. 357—373.

Neque ignobiles fuere *Cyrenaici*, sive sectae ab *Aristippo* conditae addicti; in his *Theodorus*, a Ptolemaeo Sotere tanti habitus, ut ad Lysimachum legatus mitteretur; tum *Hegesias* e Ciceronis Tusc. I. 34. notus, quem Ptolemaeus, Aegypti rex, de morte disputantem edicto inhibuisse dicitur, quod illo audito multi sponte de vita decederent; *Euemerus* Messenius Siculus circa Olymp. CXVII—CXX., de cuius *Historia Sacra* supra diximus §. 129. p. 51 sq. — *Bion Borysthenites*, Theophrasti discipulus, homo ingeniosus et dicax, Antigono I. Macedonum regi, acceptus, circa Olymp. CXX., auctor *dialogorum satyricorum*, quos respexisse videtur Horatius Epp. II. 2. 60. et imitatus esse Lucianus. Cf. *Bruckerus* T. I. p. 607 sq. *Haberfeldius* ad Horatium l. l. *Ruhkopfius* ad Senecae De Benef. VII. 7. De Tranquill. animi c. VIII. 2. Opp. T. I. p. 351. Saepe Bionis dicta laudantur, e quibus Diogenes Laërtius (IV. 46 sq.) nonnulla collecta dedit. De aliis Cyrenaicis vide Fabric. B. Gr. T. III. p. 614 sq. Harles. cf. *Meinersii* Gesch. d. Wiss. in Gr. u. R. T. II. p. 646 sqq.

E *Cynicis* philosophis, quibus nonnulli, ut Fabricius B. Gr. T. III. p. 513. etiam *Bionem Borysthenitem* modo commemoratum adscribunt, post *Diogenem* et *Cratetem Thebanum* supra laudatos (T. I. p. 140), unum *Demetrium*, Senecae temporibus nobilem, memoramus, de quo legendus *Seneca* De Benef. VII. 1. 3. et 8, 2. Quam egregia eius scripta fuerint, fragmenta docent apud *Stobaeum* in Florileg. p. 213. ed. Schow. Hinc *Seneca* Epp. LXII. 2. „Demetrium, ait, virorum optimum, mecum circumfero, et, relictis *conchyliatis*, cum illo *seminudo* loquor, il-

lum admiror. Quidni admirer? Vidi nihil ei deesse etc." Ad quem locum v. Ruhkopfii notam et *Uptonum* ad Epicteti Diss. Arr. III. 22. 5. Adde Senecam De Provid. III. 3. De vita beata XVIII. 3. Epp. XX. 8. Cf. *Burignii Mémoire sur Demetrius le Cynique* in Hist. de l'Acad. des Inscr. T. XXXVIII. p. 179. Fabric. B. Gr. Vol. III. p. 515. Eloquentiam Demetrii a Seneca de Benef. VII. 8. 2. tantopere laudatam, Schweighäuserus ad Epicteti Disss. initium p. 7. nott. cum ea comparat, quam Arrianus Epicteto tribuit.

§. 162.

Scepticorum tandem schola post *Timonis* Phliasii mortem (v. supra §. 74. T. I. p. 144) aliquantisper celebritate caruit: donec a *Ptolemaeo* Cyrenaico, maxime vero ab *Aenesidemo* Cretensi, qui Ciceronis temporibus Alexandriae docuit, novis incrementis aucta est. Huius Πυῤῥωνειῶν λόγων, operis in octo libros divisi, argumentum servavit *Photius* Cod. CCXII., frequenter vero, nec sine laude, meminit is, qui multa inde in sua scripta derivasse videtur, *Sextus* cognomine *Empiricus*, quod empiricorum medicorum artem erat professus, inter philosophos qui Pyrrhonem secuti sunt facile princeps, ingeniique acumine et doctrinae copia ac varietate admirabili paucis comparandus. Huius autem duo opera supersunt, alterum, quo universam Pyrrhonismi rationem, eiusque ad cuncta dogmaticorum philosophorum placita convellenda usum docuit accurate, liber ad cognoscendam non magis Scepticorum quam totius philosophiae Graecorum historiam perutilis, quem inscripsit Πυῤῥωνειῶν ὑποτυπώσεων ἢ σκεπτικῶν ὑπομνημάτων i. e. Pyrrhonianae philosophiae adumbrationis sive *Commentariorum scepticorum* libri III. Alterius scripti is index est: Πρὸς τοὺς Μαθηματικοὺς ἀντιῤῥητικοὶ λόγοι δέκα *) sive *Adversus mathematicos* lib. XI., quorum sex priores singularum disciplinarum (μαθη-

*) Hic numerus in libris mss. et apud Suidam legitur, quamquam vulgo *undecim* libri numerantur.

μάτων) doctores, qui certam quamdam profitentur scientiam, ut Grammaticos, Rhetores, Geometras, Arithmeticos, Musicos, Astrologos, impugnant; quinque reliqui autem novum fere opus exhibent, contra *philosophos* scriptum, et secundi ac tertii libri Hypotyposeon quasi supplementum. Ceterum de vita *Sexti nostri*, qui a *Sexto Chaeroneo*, Plutarchi e sorore nepote, Stoico, et M. Aurelii Antonini praeceptore, distinguendus est, nihil comperti habemus; ne aetas quidem qua floruit certo definiri potest, quamquam e Pyrrhoniorum serie apud Diogenem Laërt. IX. extr. aliisque indiciis verisimile fit, eum sub Commodo imp. vel paulo serius sub IIdi saeculi finem vixisse. Vtrumque quod laudavimus opus *Graece* et Latine, H. Stephano et Herueto interprete, primum prodiit Parisiis (item Genevae) 1621 fol. Optima vero editio est *Fabriciana*: Sexti Empirici Opera, Gr. et Lat. Graeca ex Mss. codd. castigavit, versiones emendavit supplevitque et toti operi notas addidit *I. A. Fabricius*, Lipsiae 1718 fol. — Ex Fabricii recensione Sextum edere coepit et commentario illustrare *I. G. Mund*, sed non nisi Vol. Imi pars prior, Hypotypos. contextum Graecum continens, lucem vidit Halae 1796. 4. Vt nova et emendatior paretur editio, librorum Mss. comparatione accuratiori opus est, quorum censum dedit Harlesius ad Fabric. B. Gr. T. V. p. 532 sq. Hypotyposes Pyrrhon. *Germanice* vertit *Buhlius* Lemgoviae 1801. 8. et aliquot capita *Niethammer* in *Fülleborni* Beyträgen z. Gesch. d. Phil. Part. II.

C. E. Stäudlin Geschichte u. Geist d. Skepticismus Lips, 1794. 8. T. I. p. 381—526. — cf. *Bayle* Dict. v. Pyrrhon. — *Buhlii* Lehrbuch d. Gesch. d. Philos. T. III. p. 308—418.

§. 163.

Diversarum sectarum philosophis subiungendus *historiae philosophorum* enarrator, satis quidem levis ille et contemnendus, si hominis mediocre ingenium, iudicium parum subtile, et scriptoris operam tumultuariam spectes; sed idem lectu dignissimus, quod in libello suo innumera servavit, quae tot librorum philosophicorum iacturam quodammodo compensare, et

ingens damnum quod litterarum Graecarum huius generis historia fecit, quomodocumque sarcire possunt. In promptu est, dicere me velle de *Diogene Laërtio*, a patria Laërte, Ciliciae oppido, verisimiliter ita cognominato, quem saeculi IIIti initio, sub Severo et Caracalla imperatoribus, vixisse probabile fit, et cuius extant περὶ βιῶν, δογμάτων καὶ ἀποφθεγμάτων τῶν ἐν φιλοσοφίᾳ εὐδοκιμησάντων, *De vitis, placitis dictisque ingeniosis eorum qui in philosophia claruerunt libri X.*, qui *Graece* primum prodierunt apud *Frobenium* Basileae 1533. 4. tum aliquoties cum *Ambrosii* Camaldulensis interpretatione latina apud *H. Stephanum*. (Correctior editio Stephaniana cum *Hesychio Illustri* et *Casauboni* in Diogenem notis lucem vidit 1593. 8. repetita Genevae 1615. 8.). *Romanam* editionem cum interpret. Lat. et doctis notis *Thom. Aldobrandini* 1594 fol. sequitur *Londinensis* auctore *Aegid. Menagio* 1664 fol. et locupletissima *Wetsteniana* cura *M. Meibomii* Amstelod. 1692. II Voll. 4. ex qua manuales ductae sunt *P. D. Longolii* 1739. II tomi 8., et *Lipsiensis* 1759. 8. — *Decimum* librum Diogenis, qui totus in *Epicuri* vita et moribus placitisque enarrandis versatur, insigni commentario illustravit *Petrus Gassendi*: Animadversiones in librum X Diog. Laërt. Paris. 1646. Lugd. Bat. 1649 et 1675. II Voll. fol. — et seorsum edidit cum interprat. Lat. et annotatt. *Car. Nürnberger*, Norimb. 1791. 8. ac denuo ibid. 1808. 8. — De versionibus Italicis v. *Paitoni* Bibliotheca etc. T. I. p. 292 sqq. — In Gallicum serm. converterunt Diogenem *D. Faugerolles*, Lugduni 1602. 8. *Gilles Boileau*, Parisiis 1668. et Anonymus Amstelod. 1758. III Voll. — *Germanice* nuper anonymus, Lipsiae 1806. 8. et *C. A. Borheck*, Viennae Austr. 1807. II Voll. 8. Selecta capita operis Diogeniani cum notis histor. et philos. *I. F.* et *Ph. L. Snell*, Giessae 1806. 8. — *A. Goeringii* Notitia codicis ms. e. L. A. Senecae scriptis, *Diogenis Laërtii* X lib. de Vitis philosophorum et Iustiniani Institutionibus excerpta continentis. Lubecae 1823. 4.— Nuper vero bonus Diogenes causae suae doctum patronum nactus est *I. G. Schneiderum* in *Wolfii Analectis Litterariis* T. II. p. 227—255 Dissertationis index est: *Diogenes Laër-*

tius und der Engländer Burley qui sub Saec. XIIIti finem scripsit *De vita et moribus philosophorum*. In quo libro quum Diogenis praecipue usus auctoritate, multas sententias dictaque abeo relata ad verbum latine verterit, in eisque plura et auctiora et emendatiora et meliore ordine ac sententiarum serie exposita reperiantur, quam in impressis operis Diogeniani libris leguntur, multo pleniorem Diogenis codicem habuisse visus est Schneidero, qui hinc nostrae aetatis philologis auctor fit, ut codices mss. Diogenis in Anglia fortasse latentes diligenter investigando, scriptoris male audientis famae et existimationi consulant.

Sam. Battierii Observationes et Emendationes in Diog. Laërt. in *Museo Helvetico* T. IV. part. XV. pag. 321—378. Turici 1750. 8. — *I. F. Herelii* Animadv. criticae in *Klotzii* Actis Litterariis Vol. II. part. I. et III. — *Ignat. Rossii* Commentationes Laërtianae, Romae 1788. 8.

§. 164.

E *severioribus* autem *disciplinis* Ptolemaeorum aetate nullae magis floruerunt, quamque sibi quasi sedem elegerant Alexandriam Aegypti, eam vel sub Romanorum dominatu diutius retinuerunt, quam *mathematicae*, imprimis *Geometria*, *Mechanica* et *Astronomia*. Inter Geometras quidem hodieque omnium ore circumfertur nomen *Euclidis*, qui maximam vitae partem Alexandriae exegit, sub primi Ptolemaei Lago nati principatu, circa Ol. CXVIII. 1. a. Ch. 308., mathesi voce ac scriptis docendae tanto studio intentus, tamque ab omni laude felix, ut eius *Στοιχεῖα* sive *Matheseos purae Elementa* libris XV. *) propter summam rationis subtilitatem, Geometrorum omnis aetatis ac populi peritissimorum suffragiis, princeps opus habita sint et habeantur, ex quo disciplina haec optime addiscatur. Vnde toties edita illa et illustrata

*) Duo tamen extremi libri, XIV et XV., *Hypsicli* filio, mathematico saeculi IIdi p. Ch., satis certo tribuuntur auctori, et librum Vtum ad Eudoxum Cnidium passim, etsi perperam, referri supra vidimus.

et in cunctas fere politioris Europae Asiaeque linguas conversa esse nemo miretur. Elementa haec ex recensione et cum additamentis nonnullis *Theonis Alexandrini*, qui saec. IVto exeunte, Theodosii M. temporibus floruit, et cum *Procli*, saec. Vti philosophi, commentariorum libris IV. qui non nisi *primum* Elementorum librum illustrant, ad tempora nostra pervenerunt. — Neque minorem acerrimi ingenii laudem sibi peperit Euclides scriptis quibus Geometriam sublimiorem et Analysin tradiderat, partim deperditis, ut *libris IV Conicorum* et *Πορισμάτων* III. *), quos *Pappus* collectionem vocat artificiosissimam multarum rerum, quae spectant ad analysin difficiliorum et generalium problematum, quorum ingentem copiam praebet natura; partim servatis, ut *Δεδομένοις sive Datis* i. e. *Concessis*, praeclara ad Mathematicam analyticam introductione, de qua v. *Reimerum ad Bossut Geschichte der Mathematik* T. I. p. 125. Alia eius scripta quae feruntur, ad Musicen, Astronomiam et Opticam spectantia, sed maximam partem supposititia, certe dubiae fidei illa, recenset Fabricius in B. Gr. T. IV. p. 79 sqq. — Codicum mss., editionum et interpretationum Euclidis nubem, post doctam operam Heilbronneri, Bosii **) et Scheibelii ***), collegit Harlesius ad Fabric. l. l. p. 48 sqq. Tres et viginti codices mss. ad suam editionem contulit *Peyrardus*, in his unum antiquissimum Vaticanum. — *Graece* primum prodierunt *Euclidis Opera cum Theonis expositione* cura *Simonis Grynaei*, Basileae 1530 fol. — *Graece et Latine* per *Conr. Dasypodium* Argentorati 1571. 8. — Plenissimae autem omnium Operum editiones et maxime commendabiles recensiones habentur *Dav. Gregorii*, Oxonii 1703 fol, et quae nuper lucem vidit, *Peyrardi*, hoc indice: *ΕΥΚΛΕΙΔΟΥ ΤΑ ΣΩΖΟΜΕΝΑ.* Euclidis quae supersunt. *Les Oeuvres d'Euclide, en Grec, en Latin, et en Français,*

---

*) cf. *Roberti Simson* Opera quaedam reliqua, Glasgov. 1776. 4. pag. 315—494.

**) In Schediasmate litterario, Lipsiae 1737. 4.

***) Einleitung zur mathemat. Bücherkenntniss, Breslau 1769. 8. Vol. I. Part. I. pag. 1—59. et Part. V. p. 473 sqq.

d'après un Ms. très ancien (Saec. IX.) *qui étoit resté inconnu jusqu'à nos jours. Par F. Peyrard*, traducteur des Oeuvres d'Archimède. T. I. II. III. Parisiis 1814-1818. III Voll. 4. Idem *Peyrardus* septem libros Elementorum Euclidis *Gallice verterat* Parisiis 1804. et similis operum *Diophanti* et libri *Apollonii de sectionibus conicis* interpretationis a se vulgandae spem fecit. — Euclidis *Elementa* seorsum edita sunt *Graece cum Procli commentario in lib. I.* a *Sim. Grynaeo*, Basileae 1533 fol. — *Latine* ab *Is. Barrowio*, Cantabrig. 1655. 8. — *I. E. Baermanno*, Lips. 1743. et 1769. 8. — *Roberti Simsonis*, geometrae clarissimi, editio continet *Latinam* interpret. sex librorum I — VI. cum XI. et XII. *F. Commandini* emendatam et notis illustratam, Glasgoviae 1756. 4. Totidem Elementorum libros idem Simsonus *Anglice* vertit Edinburg. 1787. 8. et *I. Playfair*, ibid. 1797. 8. — *Gallice* vero Simsonis interpretationem expressit *Fred. de Castillon*, Berolini 1767 et 1777. 8. et *Polonice Ios. Czech*, Vilnae 1807. 8. — *Germanice* optime vertit Elementa Eucl. *I. F. Lorenz*. Halae 1798. 8. — An *I. G. C. Neidii* editio *Elementorum* VI libr. pr. cum XI et XII., *Graece*, quam nuper Magdeburgi proditura m forma oct. nunciari memini, lucem viderit, nescio. — *Chrestomathiam geometricam quae continet Euclidis Elementorum principium, Graece, usque ad libri Imi propositionem XXVI. et ad illud Graeca Procli, Latina Savillii aliorumque Scholia cum notitiis historicis* edidit *C. F. Hauberus*. Tubingae 1820. 8 mai. — *Euclidis Data* separatim *Graece* edidit, Latine vertit scholiisque illustravit *Claudius Hardy*, Lutet. Parisior. 1625. 4. iterumque ibid. 1695. 4. *Anglice* vertit et illustravit *Rob. Simson* ad calcem Elementorum.

Vitam Euclidis enarravit *Fed. Commandinus* in Prolegomenis ad Euclidis Elementa, Pisauri 1572 fol. — *I. A. Schmidii* Diss. de Euclide Geometra, Ienae 1684. 4. — *Sam. Reyheri* Diss. Euclides στοιχειώτης. Kilonii 1693. 4. — *I. F. Lorenz* Einleitung zu sein. Uebersetzung. — *Chr. Clavii* Opera Mathematica T. I. Moguntii 1611. et separatim: Euclidis elementorum l. VI. auctore *Clavio*, Coloniae, 1691 fol. — *I. C. Schwabii* Commentatio in primum Elementorum Euclidis librum, qua veritatem Geometriae principiis ontologicis niti evincitur etc. Stuttgarti 1814.

§. 165.

Post Euclidem, Geometriam et Mechanices partes, Staticen et Hydrostaticen, maximis inventis perfecit *Archimedes* Syracusanus, *Cononis* Samii discipulus, Hieronis Syracusarum regis cognatus et amicus, qui a. Ch. 287. Ol. CXXIII. 2. natus, annum aetatis agens LXXV., captis a Marcello Syracusis, quam urbem diu machinis bellicis a se inventis contra hostem defenderat, a milite Romano, ignaro quis esset, interemtus est. a. Ch. 212. Ol. CXLII. 1. Sepulcrum eius, ad Syracusarum portas, cui, inventi sui *de ratione sphaerae cum cylindro* in memoriam, utriusque figuram cum epigrammate in basi insculpi iusserat, quum annis post viri acutissimi obitum centum circiter et quadriginta a Syracusanis ignoratum, vepribusque et dumetis undique septum et vestitum esset, *Cicero*, tum in Sicilia quaestor, indagavisse se atque detexisse ipse gloriatur in Disp. Tusc. V. 23. Celebritatem nominis, vulgi iudiciis, *machinarum complurium*, Hieronis maxime impulsu structarum, *inventione*, quam nihil pensi habuit ipse, magis nactus esse videtur, quam scientiae subtilitate et copia infinita, cui tot egregia scripta mathematica debuit antiquitas. Servati sunt eius libri II. de *sphaera et cylindro*; *de dimensione circuli*; *de planis aequiponderantibus* sive *de planorum aequilibriis* lib. II; totidem *de conoïdibus et sphaeroïdibus*; *de lineis spiralibus* liber; *de quadratura parabolae*; *Arenarius* (ψαμμίτης) s. *de numero arenae*; *de iis quae aquae innatant* lib. II. — Libri *Assumtorum* et de *speculis comburentibus* non Graece, sed ex Arabico in Latinum sermonem conversi leguntur, et posterior spurius habetur. Alia scripta A. nondum edita in mss. latent; alia deperdita sunt. Quae habemus, ex recensione *Isidori* mechanici, Iustiniano imperante clari, eiusque discipuli *Eutocii*, Saec. VIti mathematici, cuius *in tria priora* etiam *Commentarii* exstant *Graeci*, ad aetatem nostram pervenerunt. Editio *princeps* prodiit Basileae ap. I. Hervagium 1544 fol. et contextum graecum, cum Latina interpretatione, a *Iacobo Cremonensi* confecta, cumque *Eutocii commentariis*, item

Gr. et Lat., continet. — Secunda, Gr. et Lat., auctorem habet *Dav. Rivaltum*, Parisiis 1615 fol. — Novissimam omnium operum quae supersunt curavit *Ios. Torelli* et post huius mortem *Abr. Robertson*, Oxoniae 1792 fol. — Cum *Apollonii Pergaei* Conicis Archimedis opera *Latine* edidit *Is. Barrowius*, Londini 1675. 4. — *Arenarium* Archim. cum libro *de dimensione circuli* Gr. et Lat. vulgavit et docte illustravit *I. Wallisius*, Londini 1676. 4. et in Wallisii Opp. T. III. Oxoniae 1699 fol. Arenarium *Anglice* versum cum notis edidit *G. Andersonus*, Londini 1784. 8. *Germanice*: *Archimedes über die Menge des Sandes, oder Berechnung der Grösse der Welt in Sandkörnern.* Aus dem Griechischen übersetzt von *Io. Fr. Krüger*, Quedlinburg u. Leipzig 1820. Nuper omnia opera A. *gallice* vertit *Peyrard* cum commentario et dissertationibus auctore *Delambre*, Parisiis 1807. 4.

§. 166.

Sub idem fere tempus, Ol. CXXXIIII. 3. a. Ch. 246. Ptol. Euergete regnum ineunte, floruit *Apollonius*, a patria, Perga, Pamphyliae civitate, dictus *Pergaeus*; veterum Geometrarum post Archimedem celeberrimus, qui Pergami et Alexandriae versatum se esse ipse testatur in epistola ad Eudemum, praemissa *Conicorum libris octo*, quod paene solum opus ex aliis eius pluribus, ad Geometriam atque Analysin spectantibus, superstes est, quamquam ne hoc quidem integrum habemus. Nam *quatuor* tantum priores libri *Graece* exstant. Proximi *tres* ex *Arabica* interpretatione in *Latinum* conversi sermonem leguntur; *octavus* autem periit, quem e *Pappi* excerptis restituere conatus est vir sagacissimus, *Edmundus Halley*, idem, cui plenissimam *Conicorum* Apollonii editionem, eamdemque *contextus Graeci unicam*, debemus, sic inscriptam: *Apollonii Pergaei* Conicorum libri octo, Graece et Latine, cum *Pappi* Alexandrini lemmatibus, et *Eutocii* Ascalonitae commentariis etc. nunc primum ex mss. Gr. et Lat. editi opera *Edm. Halleii*, Oxonii 1710 fol. — Praeter Conica Apollonii,

in cod. ms. Arabico Bibliothecae Bodlei. etiam detectus est eius liber *de Sectione rationis* (*περὶ λόγου ἀποτομῆς*), quem Latine vertit, et cum eiusdem libris duobus *de sectione spatii* restitutis edidit *Edm. Halley*, Oxoniae 1706. 8. Reliqua autem Apollonii scripta geometrica omnino vel partim deperdita e *Pappi Alexandrini Collectionibus mathematicis* plures Geometrae restituere tentarunt, nemo felicius *Roberto Simsone* in: Opera quaedam reliqua, Glasguae 1776. 4. cf. *Reimer* ad Bossut l. c. p. 376--379. Adde: *Apollonii de Tactionibus* (*περὶ ἐπαφῶν* lib. II.) *quae supersunt*, ac maxime *Lemmata Pappi* in hos libros, *Graece nunc primum edita* e codd. mss., cum *Vietae librorum Apollonii restitutione* (1600), adiectis obss. computationibus ac problematis Apolloniani historia ab *Io. Guil. Camerero*, Gothae et Amstelod. 1795. 8. — *C. G. Haumann Versuch einer Wiederherstellung der Bücher des Apollonius von Perga von den Berührungen*, Vratislav. 1817. 8. — *Apollonius von Perga Ebene Oerter* (De Locis planis). Wiederhergestellt von *Robert Simson. Aus dem Lateinischen übersetzt*, mit Berechnung u. einer Sammlung geometrischer Aufgaben begleitet von *I. W. Camerer*. Mit vielen Kupf. Lipsiae 1796. 8 mai. — *G. A. U. Vieth Leitfaden zur vollständigen Bearbeitung des wiederhergestellten Apollonius von Franciscus Vieta*. Nach den Combinationen der gegebenen Elemente u. ihrer Lagen gegen einander entworfen. Dessau 1820. 4. — *Willebrordi Snellii Apollonius Batavus, seu exsuscitata Apollonii Pergaei περὶ διωρισμένης τομῆς* (*de Sectione determinata*) *Geometria*. Lugodini 1608. 4. — *The two Books of Apollonius Pergaeus concerning determinate Section, as they have been restored by Willebrordus Snellius*. By *Iohn Lawson*. To which is added The same two Books by *William Wales*; being an entire new works. London 1772. — *Petri Giannini Opuscula Mathematica*. Parmae 1773. 4. Opusc. III. *de Sectione determinata* — *Die Bücher des Apollonius von Perga de sectione determinata*, wiederhergestellt von *Rob. Simson*, u. die angehängten Bücher des letztern, nach dem Lateinischen frei bearbeitet von *W. A. Diesterweg*. Cum X tabb. lithograph. Bonnae

1822. 8. — Denique: *Apollonius von Perga Bücher de inclinationibus, wiederhergestellt von Sam. Horsley.* Nach dem Lateinischen frei bearbitet von *W. A. Diesterweg.* Mit 19 Steintafeln. Berolini 1823. 8 mai.

Kästneri Comm. *de Monachis Apollonii Pergaei*, inserta *Commentatt. Soc. Reg. Gotting.* Vol. XIV. 1800. 4. Cf. *Eiusdem Geschichte d. Mathematik* Vol. III. — *Hallische Allg. Litt. Zeitung* 1822. Nr. 295.

§. 167.

Inde multi quidem scholae Alexandrinae alumni *mathesin puram* scriptis explanarunt, sed admodum paucorum libri vel fragmenta aetatem nostram attigere. *Eratosthenis*, de quo diximus §. 142., pertinent huc *Κόσκινον* s. *Cribrum arithmeticum*, cuius rationes servatae sunt a *Nicomacho* lib. I. Arithmeticorum p. 17 sq. cf. *Horsley* in Philosophical Transactions a. 1772. — *Cubi duplicatio* vid. §. 142. — *Μετρήσεις*, quarum fragmentum *de globi terrestris mensura* servavit *Cleomedes* lib. I. c. 10. — *De mediis proportionalibus*, *περὶ μεσοτήτων βιβλία β'*. v. Pappus VII. p. 241. et 247.

Gemini Rhodii, Posidonio aequalis, circa Ol. CLXXVIII. 3. a. Ch. 66. olim exstitere libri in quibus Geometriam et Mathematicam universam eadem enarrasse ratione videtur, quam *Theophrastus* et *Eudemus* Rhodius, Aristotelis discipuli, in Arithmeticae, Geometriae et astrorum scientiae historia tradenda adhibuerant.

Dioclis porro et *Nicomedis* (200—180. a. Ch. n.) pericula in solvendo problemate de cubi duplicatione ex Eutocii ad Archimedem comment. p. 146. et Pappi Collectt. math. III. 4. cognovimus.

Sereni autem Geometrae *libri duo de cylindri et coni sectionibus* supersunt, quos ex codd. mss. Graece et Latine edidit *Halley* cum Apollonii Conicis Oxonii 1710. fol.

Servati etiam sunt *Theodosii* et *Menelai* Alexandrini, qui circa Traiani tempora floruerunt, *libri tres Sphaericorum*, prioris illi Graece et Latine editi per *I. Penam*, Paris. 1558 4. et (cura *Ios. Hunt*) Oxo-

niae 1707 8.; *Latine* in *Clavii* Opp. T. I. Moguntiae 1712. *Menelai* vero *Sphaerica* non nisi in *Latina interpretatione* exstant, quam, post *Fr. Maurolycum* Messanae 1558 fol., *M. Mersennus* inseruit suae *Synopsi Mathematicae*, Paris. 1644. 4., denuo autem recensuit collatis mss. hebraicis et arabicis *Edm. Halley*, et cum praefat. edidit *G. Costard*, Oxon. 1758. 8.

Nec praetermittendi silentio *Nicomachi*, *Iamblichi* et *Diophanti* libri aliquot superstites, in quibus *Arithmetica* veterum traditur, quam insuper ex Euclidis Elementorum libris VII-IX., Eratosthenis Cribro et Archimedis Arenario cognoscere licet. *Nicomachi* quidem Geraseni ex Arabia, philosophi Pythagorei saec. IIdi vel IIItii p. Ch., cuius *Manuale Harmonices* inter *musicos* scriptores supra (§. 101. T. I.) significavimus, exstant *Arithmetices libri duo* Graece editi Parisiis 1538. 4. quos Appuleius et Boëthius olim Latinos fecerant, alii commentariis graecis illustrarunt, in his *Iamblichus*, e cuius opere *de vita et philosophia Pythagorae*, in decem libros dispertito, *quartus* commentarium in *Nicomachi*, *Institutiones arithmeticas* continens, Graece et Latine editus et notis perpetuis illustratus est a *Sam. Tennulio*, Arnhemiae 1668. 4. Acc. *Ioach. Camerarii Explicatio in duos libros Nicomachi*, Daventriae 1667.; *septimus* autem, ut putant, *τὰ θεολογούμενα τῆς ἀριθμητικῆς* inscriptus, *Graece* typis excusus est Parisiis 1543. 4. Sed ultimum hunc librum Nicomacho falso adscriptum esse, docuit *Astius* V. Cl. in nova eius *una cum Nicomachi Institutionibus* editione: *Theologumena Arithmeticae, ad rarissimum exemplum Parisiense emendatius descripta*. Acc. *Nicomachi* Gerasini *Institutio Arithmetica* ad fidem codd. Monacensium emendata. Edidit *Frid. Astius* Lipsiae 1817. 8. Cf. *C. G. Mülleri* Notitia et Recensio codd. mss. biblioth. Cizensis. Particula IX. 1818. 8. — Novam editionem *Nicomachi Arithmeticae* lib. II. cura *Knappii* et *Buhlii* Lipsiae prodituram, nunciavit Catal. libror. in nundinis Lips. primis anni 1820. prostantium. — Denique *Diophanti* Alexandrini, Mathematici egregii, et propter rationem quam ad solvenda problemata arithmetica adhibuit, *analyticae Arithmeticae*, quam hodie *Algebram*

vocant, principis inventoris habendi, cuius aetatem saeculo IV. p. Ch. vulgo assignant, alii tamen ad *secundum* assurgere rectius coniiciunt, *Arithmeticorum libri XIII* olim exstitere, ex quibus *sex* supersunt, ac praeterea scriptum *de numeris multangulis* (*περὶ πολυγωνων ἀριθμῶν*); Illi Graece et Latine editi et commentario illustrati a *Cl. Gasp. Bachet de Meziriac*, Parisiis 1621 fol. tum Graece cum interpret. et comment. Bacheti et observationibus *Pauli de Fermat*. Tolosae 1670 fol.; *Gallice* versi in *Oeuvres mathem. de S. Stevin* augm. par *Alb. Girard*. Lugd. Bat. 1634 fol. pag. 102 sqq. -- Librum Diophanti *de numeris multangulis* (*über die Polygonalzahlen*) nuper *Germanice* vertit *Frid. Poselgerus*, Lipsiae 1810. 8. et adiecit Excerpta ex *Theonis Smyrnaei* (§. 153) *libris mathematicis de numerorum proprietate et divisione*.

Reliquorum auctorum scripta arithmetica deperdita recenset *Scheibelius* in *Einleitung zur mathemat. Bücherkentniss* parte XI. — Ceterum de Arithmetica Graecorum docte disseruit *Delambre* ad calcem Operum Archimedis, a *Peyrardo* in *Gallicum* sermonem conversorum, Parisiis 1807. 4. Quam disputationem *Germanicam* fecit *Hoffmannus*: *Ueber die Arithmetik der Griechen.* Aus dem Französischen des Hn. *Delambre* übersetzt, mit einigen Verbesserungen u. einer Tabelle versehen von *I. I. I. Hoffmann*, Moguntiae 1817. 4. — Adde: *Frid. von Drieberg Die Arithmetik der Griechen* T. I. Lips. 1819. T. II. ibid. 1821. 8 mai.

Operum vero geometricorum complurium, quae interciderunt, argumenta servavit *Pappus*, philosophus et Mathematicus Alexandrinus insignis sub finem saeculi IVti, ad matheseos Graecorum historiam cognoscendam scriptor gravissimus; idem multa ipse adiecit nova et subtiliter cogitata. v. Bossut T. I. p. 101 sqq. Reim. Sed *Collectionum* eius *mathematicarum*, quas *octo* libris reliquit, exigua pars *graece* typis descripta est. v. Reimer ad Bossut T. I. p. 389 sq. *Latine* editi sunt *sex ultimi* libri ex interpretatione et cum commentariis *Fed. Commandini*, Pisauri 1588 fol. repetit. ibid. 1602 fol. et tertium Bononiae 1660 fol.

§. 168.

Mechanices, imprimis *practicae*, studia Rhodi, Alexandriae, Pergami, in celebratissimis scholis ferverunt, praeterque *Archimedem*, quem mechanicis inventis suis incredibilem famam meruisse vidimus, maxime illustrarunt *Bitonem*, *Ctesibium*, *Heronem Alexandrinum*, *Athenaeum*, *Philonem Byzantium*, *Apollodorum*, alios, quorum quae supersunt scripta, Mechanicae in *arte militari* usum potissimum docentia, a *Thevenoto* e codd. mss. primum Graece edita, cum H. Valesii et I. B. Cotelerii interpretatione latina, prodierunt in corpore *Veterum Mathematicorum* etc. Parisiis 1693 fol. — Sic *Bitonis*, qui circa Ol. CXXXV. a. Ch. 240 vixisse videtur, exstat libellus: *Κατασκευαὶ πολεμικῶν ὀργάνων καὶ καταπελτικῶν, Constructiones bellicarum machinarum et catapultarum.* — *Ctesibii*, mechanici Alexandrini clarissimi (v. Vitruv. I. c. 1. in praef. lib. VII. IX. c. 9. X. c. 12.) sub Ptolemaei Euergetae II. sive Physconis, 146—116. a. Ch. n. principatu (Vid. Athen. Deipnosoph. p. 174. ed. Casaub.), complurium machinarum, in primis *Hydraulidis* et *organorum hydraulicorum* inventoris, scripta quidem opera interiere: sed machinarum quas laudavimus descriptionem reliquit discipulus eius *Hero Alexandrinus* in libro suo cum aliis *) supersite, *Pneumatica* s. *Spiritalia* inscripto **). At Heronis huius, mathematici post Archimedem olim celeberrimi, centum circiter annis a. Ch. florentis, gravissimum opus, *Mechanicae institutiones*, (*Εἰςαγωγαὶ μηχανικαί*) pluribus libris dispertitum, quod plenissimam Mechanices veterum theoriam continebat, intercidit, praeter excerpta quae *Pappus* Collect. mathem. suarum libro octavo servavit. cf. *Reimer* ad Bossut T. I. p. 153 sqq. et p. 380. *Catoptrica*, aliud Heronis opus deperditum, excerpsit *Heliodorus* La-

*) Vt *de automatorum*, *de telorum fabrica*, *de manubalistae constructione* v. Fabric. B. Gr. T. IV. p. 234 sqq. Harles.

**) Cf. Vitruv. X. 12. Cf. *Fr. von Drieberg*, *Die pneumatischen Erfindungen der Griechen.* Mit Kupf. Berolini 1822 4 mai.

rissaeus; saeculi VIti p. Ch. mathematicus, in *libris II. de Opticis* (*Κεφαλαῖα τῶν ὀπτικῶν*) Gr. et Lat. cum animadverss. *Erasmi Bartholini.* Parisiis 1657. 4. *). Denique sub Heronis huius, vel *Philonis Alexandrini* nomine fertur opus ineditum *περὶ διοπτρας* in tribus codd. mss. qui Parisiis, Argentorati (de quo egit *Schweighäuserus* in progr. acad. 1789 edito), et Vindobonae asservantur. Duobus prioribus usus *Giambatista Venturius* libellum *Italice* vertit et edidit in *Memorie del Istituto Nazion. Ital.* T. I. P. II. Agitur autem in opusculo hoc *de angulorum mensura*, eiusque ad varia problemata Geometriae practicae applicatione. — Cf. Comitis *Fortiae Urbani Explication du Système métrique de Heron d'Alexandrie* etc. quae inserta est commentatio *Wolfii Analectis Litter.* T. II. p. 205—225.

Athenaeus Mechanicus (circa Olymp. CXLII. 1. a. Ch. 212) librum suum *de machinis bellicis* superstitem ad M. Marcellum, Syracusarum expugnatorem, scripsit. — De *Philonis Byzantii* (circa Ol. CLVI. 4. a. Ch. 151) *Mechanicis* liber *quartus* et *quintus* in Corpore illo *Veterum Mathematicorum a Thevenoto editorum* Graece et Latine leguntur. Ad eumdem vulgo, sed perperam, refertur libellus *περὶ τῶν ἑπτὰ θεαμάτων De VII orbis spectaculis*, quem primus ex cod. Vaticano vulgavit Graece cum interpret. Latina *Leo Allatius* Romae 1640. 8. et Thesauro suo AA. GG. T. VII. et VIII. inseruit *Gronovius*; nuper autem cum nonnullis additamentis edidit *Orellius*, hoc iudice: *Philonis Byz. libellus de VII orbis*

*) *Heronem* hunc cave confundas cum aliis duobus eiusdem nominis Mathematicis, *Herone Secundo*, Procli philosophi magistro, *quinti* saeculi p. Ch. initio florente, ideoque quingentis amplius annis Herone illo Alexandrino iuniore, quocum tamen illum confuderunt *Burignius* in *Histoire de l'Acad. des Inscr.* T. XXXI. p. 139., et *Montucla* in Hist. des Mathemat. T. I. p. 268. — tum cum *Herone iuniore*, quem saec. VII. vixisse, cum Fabricio censet Fortia Urbanus p. 211 sqq., *Idelerus* autem, non ante saec. X. fuisse, idoneis argumentis demonstravit. Cf. *Wolfium* in Analect. Litt. T. II. p. 226. Huius Heronis exstant quoque libri nonnulli Graece scripti, ad Poliorceticen et Geometriam pertinentes, de quorum indicibus et editionibus infra dixi, et conf. Harlesius in Introd. T. II. p. 441.

Spectaculis, *Graece c. vers. Lat. duplici Dionysii Salvagnii*, *Boessii et Leonis Allatii. Textum recognovit*, *notas Leonis Allatii*, *F. I. Bastii aliorumque et suas*, *aliorum scriptorum veterum de iisdem VII Spectaculis testimonia*, *Fragmenta Callinici et Adriani Tyrii atque Indicem Graecitatis adiecit Io. Conr. Orellius cum figg. aen.* Lipsiae 1816. 8 mai.

In iisdem Veterum Mathematicorum operibus insunt *Apollodori*, architecti sub Traiani et Hadriani principatu celebris, *Poliorcetica* sive *De machinis obsidionalibus*, ad Hadrianum scripta: — et *Excerpta* quaedam in capita LXXVII distincta *de re potissimum militari*, rebusque variis et inventis ad eam felicius gerendam repertis, tum ex opere *Iulii Africani* Chronographi circa an. p. Ch. 221. (v. §. 150) quod *Κεστοί* i. e. *Zonae acu pictae et variegatae*, inscripserat, libris IX., propter argumenti varietatem ex variis scriptoribus medicis, physicis, geoponicis collecti; cf. *Vossium* ad Catulli Carm. p. 30. tum ex *Aeneae Tactici* libris, aliisque. v. Fabric. B. Gr. T. IV. p. 240 sqq. *Cestorum* Africani excerpta haec *Gallice* vertit *Ch. Guichard* in Memoires crit. et hist. sur plusieurs points d'antiquités militaires T. III. Berol. 1774. Cf. *Poliorcétique des Anciens*, ou de l'Attaque et de la Défense des places avant l'invention de la Poudre, par *Dureau de la Malle*, Paris. 1819. 8.

§. 169.

Tacticam veterum, praeter *Polybium*, cuius excerpta ex historiarum libro VI. huc spectantia viri docti aliquot separatim explicuere (v. supra §. 130), illustravit *Onosander*, patriae incertae, Claudii Caesaris temporibus, qui *Λόγον στρατηγικόν* i. e. *de Imperatoris institutione* librum reliquit haud ineleganter scriptum, ex quo qui successerunt tactici auctores Graeci et Romani multum profecere, quemque *Graece* primum e codd. edidit cum interpret. Lat. et notis *Nic. Rigaltius*, Parisiis 1599. 4. Contextum denuo recensuit et emendavit doctoque commentario illustravit *N. Schwebel*, Norimb. 1762 fol. Ios. Scaligeri et Is. Vossii notis ineditis usus. Cui novissimae editioni, fi-

guris aeri incisis instructae, subiecta est Onosandri *interpretatio Gallica* auctore *L. B. de Zur-Lauben*, quae prodiit Parisiis 1757 fol. — *Latine* e cod. ms. olim verterant Strategicum Onosandri *Nic. Saguntinus* et *Ioach. Camerarius*. *Germanica* versio exstat studio *A. H. Baumgärtneri* in: *Vollstaendige Sammlung aller Kriegsschriftsteller der Griechen*, Manhem. 1777. tum seorsum ibid. 1786. 4. cum figg. aen. Libelli epitomen accuratam dedit *Ch. Guichard* in Mem. milit. sur les Gr. et les R. T. II.

Ad Hadrianum *Tactica* sua, sive *de acie instruenda* librum scripsit *Aelianus*, gente Graecus, a cognomine historico, centum circiter annis iuniore ac Praenestino (v. §. 141. extr.) bene distinguendus. Graece primum edita sunt a *Fr. Robortello* Venetiis 1552. 4. — cum iunioris Aeliani scriptis a *Conr. Gesnero* Tiguri 1556 fol.; deinde a *Sixto Arcerio* cum nova interpret. Lat. et animadverss. Lugd. Bat. 1613. 4. editio admodum vitiosa, teste *Chr. G. Müllero* in Notitiae et Recensionis codd. mss., qui in bibl. Numb. Cizensi adservantur, Particula sexta. Lipsiae 1815. 8. *Germanice* vertit, ac primo cum Onosandro, tum seorsum 1786 edidit *Baumgaertner*.

Flavii etiam *Arriani*, historici et philosophi insignis iisdem temporibus florentis, de quo egimus §. 136., hic commemoretur deperditi operis fragmentum, quod *Instructio aciei adversus Alanos* inscribitur, tum eiusdem *Τακτικὸς λόγος* sive *Τέχνη τακτική* i. e. *de acie instruenda* liber, in quo de exercitationibus Romanorum equestribus egit accurate, editus a. *Io. Scheffero* cum interpretat. Lat. et notis, Vpsaliae 1664. 8. et cum aliis Arriani scriptis a *Nic. Blancardo*, Amstelod. 1683. 8.

Denique *Polyaeni*, gente Macedonis, Rhetoris et actoris causarum sub M. Aurelii Anton. principatu p. Ch. 165. supersunt *Στρατηγηματικὰ βιβλία ὀκτώ*, *Strategematum lib. VIII.*, quorum sextus et septimus mutili; opusculum e veterum scriptorum historiis collectum, quod Graece et Latine primus edidit *Is. Casaubonus* cum notis et *Vulteii* interpretat. Lat. Lugduni 1589. 12. — emendatius *P. Masvicius*, Lugd. Bat. 1690. 8. et huius vestigia legens *Sam. Mursinna*,

Berolini 1756. 8. nuper denuo recensuit *Corayus* V. Cl. in *Παρέργων Ἑλληνικῆς βιβλιοθήκης* Tomo I. Parisiis 1809. 8. *Gallice* vertit *Lobineau* et edidit *Desmolets*, Paris. 1739. II Voll. 12. *Anglice Shepherd*, Londini 1793. 4. *Germanice I. C. Kind*, Lips. 1750. 8. et *Ch. D. Seybold*, Francof. ad M. 1793. 8.

§. 170.

Postremo *Astronomia* inde a Thalete usque ad Eudoxum multis observationibus et inventis aucta (§. 102. T. I. p. 212), Ptolemaeorum auspiciis, clarissimorumque virorum studiis in schola Alexandrina novo vigore effloruit, partamque sibi laudem usque ad saeculi quarti p. Ch. extrema obsolescere vetuit. Verbo tantum memoramus *Aristylli* et *Timarchis* (circa Ol. CXXIV. a. Ch. 284.) observationes astronomicas errantium aeque ac inerrantium stellarum, parum quidem accuratas, sed quibus tamen posthac usi sunt Hipparchus et Ptolemaeus; *Cononem Samium*, a quo Berenices coma inter sidera relata, Callimacho eiusdem aetatis poëtae carminis elegiaci dedit materiem (v. §. 112), quique septem de Astrologia libros reliquisse dicitur Probo ad eclogam III Virgilii. — *Aratum* (§. 113), *Eratosthenem* (§. 142), *Posidonium* Apameensem, habitatione Rhodium, Panaetii Stoici discipulum (§. 130. et 143), qui, teste Cleomede, post Eratosthenem telluris ambitum ex astronomicis rationibus definire conatus est, cuiusque *sphaeram artificiosam* laudat Cicero, eius auditor lib. II. de nat. Deor. c. 34. — *Geminum Rhodium* (§. 167), Posidonio paulo iuniorem *), cuius elementa *Meteorologica* in epitomen redegisse dicitur Simplicio ad Aristot. Physica II. p. 64., opus aeque deperditum, atque illa, quae de Geometria et Mathematicarum disciplinarum ordine confecerat, a Pappo (Coll. Math. VIII. p. 448.) et Proclo ad Euclid. Elem. lib. I. saepius laudata. Sed exstat Gemini huius *Εἰσαγωγὴ εἰς τὰ φαινόμενα* sive *Elementa*

*) De Gemini Rhodii et Posidonii eetate vide *Saxium* in Onom. T. I. p. 146 sq.

Astronomiae, optime edita a *Dionys. Petavio* cum interpretat. Lat. et notis in *Vranologio* suo, Paris. 1630 et Amstel. 1703 fol. et nuper ab *Halma*, Graece (partim ex ms. bibl. Reg. Paris.), cum Gallica interpret. in *Claudii Ptolemaei Canone regnorum* Parisiis 1819. 4. — *Sosigenem* Aegyptium, secta Peripateticum, quem ad anni emendationem adhibuit Iulius Caesar ab V. C. 708. vid. Dio Cass. XLIII. 26. pag. 359 sq. ed. Reimeri. — *Theodosium* Tripolitanum et *Menelaum* Alexandrinum circa Traiani tempora, quorum supra inter Geometras mentionem fecimus §. 167. — *Cleomedem*, incertae aetatis astronomum, cuius libri *duo* supersunt *cyclicae considerationis meteororum* (*Κυκλικῆς θεωρίας μετεώρων βιβλία δύο*), in quibus de sphaera, de errantium stellarum periodis, distantiis et magnitudine, de Solis Lunaeque defectibus aliisque rebus astronomicis, ad Pythagorae, Eratosthenis, Hipparchi et Posidonii placita, praecipit. Editi sunt *Graece* Parisiis 1539. 4. — Gr. et Lat. cum Procli Sphaera, Arato et Dionysii Periegesi a *M. Hoppero*, Basil. 1547. 1561. et 1585. 8. cum commentario *Alb. Balforei*, Burdigalae 1605. 4. cf. Fabricius T. IV. p. 38 sq. Nuperrime autem a *Bakio*, hoc indice: *Cleomedis circularis doctrinae de sublimibus libri duo*; Recensuit, interpretatione Latina instruxit, commentarium *Rob. Balforei suasque* animadversiones addidit *Janus Bake*. Lugduni Batav. 1820. — Adde *C. Chr. G. Schmidtii* prolusio scholast. De rerum mathematicarum studio, adolescentibus his temporibus maxime commendando. Addita sunt pauca de *Cleomedis, mathematici Graeci, libris denuo edendis*. Schleusingae 1816. 4.

§. 171.

Sed horum omnium clarissimi, quibusque astrorum scientia inter Graecos plurima debuit incrementa, sine ulla dubitatione fuere *Aristarchus Samius*, *Hipparchus* et *Ptolemaeus*. Quorum primus, *Aristarchus*, a Cleanthe Stoico, aequali suo, qui Zenoni successit Ol. CXXIX. a. Ch. 264., impietatis accusatus esse dicitur, quod *terram circa solem moveri* docuisset, (for-

tasse in libro deperdito *πρὸς Ἀρίσταρχον*, qui Diogeni Laertio laudatur VII. 174., quae coniectura est Ideleri, Viri doctissimi, pag. 428 not. disputationis insertae *Museó Antiquit. Wolfio-Buttmanniano* T. II. p. 423 sqq. *Ueber das Verhältniss des Copernicus zum Alterthum.*) testibus Archimede in Arenario, et Plutarcho T. II. p. 922. F. Sed vid. Schaubachii Hist. Astron. gr. p. 469 sqq. Reimer ad Bossut T. I. p. 233 not. et Ephemer. litter. Viln. 1806. T. I. p. 336 sq. maxime *Idelerum* in disput. modo laudata. Aristarchi hypothesin de motu terrae circa Solem et axem propriam, suam fecisse, et demonstrasse dicitur *Seleucus* quidam Plutarcho in Quaest. Plat. p. 1006 C., haud dubie *Babylonius*, quem laudat Strabo I. p. 6 ed. Cas. et Hipparcho, qui eius auctoritate utitur, vel aequalem, vel aetate paullo superiorem. cf. Plut. de plac. philos. III. 17. II. 1. Stobaeum Ecl. Phys. c. 22. qui Seleucum hunc *Erythraeum* vocat. Vide *Idelerum* l. l. p. 435 not. Ab eodem Aristarcho factam solstitii aestivi observationem Ol. CXXV. 2. a. Ch. 279. memorat Hipparchus apud Ptolemaeum III. 1. p. 60. Exstat autem liber eius *περὶ μεγεθῶν καὶ ἀποστημάτων* sive *de magnitudinibus et distantiis* solis et lunae, in quo primus e rationibus geometricis utriusque sideris a tellure distantiam et magnitudinem deducere tentavit. Latine primum prodiit, *Georg. Valla* interprete, Venetiis 1488 fol.; deinde a *Feder. Commandino* cum eiusdem notis, Pisauri 1572. 4. Denique *Graece* editus est ab *Io. Wallisio*, addita Commandini interpretatione et notis, Oxoniae 1688. 8., repet. in Wallisii operibus, t. III. ibid. 1699 fol.

Hipparchi, Nicaeni e Bithynia, centum circiter annis Aristarcho iunioris, qui intra Ol. CLIV-CLXIII. a. Ch. 164—128. primo Rhodi, dein Alexandriae floruit, viri de Astronomia immortaliter meriti, inventa et observationes gravissimas, quibus illa de lento stellarum inerrantium versus orientem motu, deque anni siderei a tropico discrimine praecipue annumeranda, succincte persequitur *Bossut* l. c. T. I. p. 235—244. interpret. Germ.; scripta quae reliquit opera, decem numero, cuncta fere astronomica, si librum *contra Eratosthenis geographiam*, a Strabone saepe com-

memoratum, forte excipias, recensuit Fabricius in B. Gr. T. IV. p. 27 sqq. Ex quibus *duo* supersunt: *Asterismi*, libri inscripti, *περὶ τῶν ἀπλανῶν ἀναγραφαί*, *Inerrantium stellarum indices*, ut videtur, fragmentum, quod fere ad verbum in Ptolemaei legitur Syntaxi VII. 5. p. 172 sq. — et *Commentarii* seu potius *Censurae in Eudoxi et Arati Apparentia* libri III. *Τῶν Ἀράτου καὶ Εὐδόξου φαινομένων, ἐξηγήσεων βιβλία γ'.* Vtrumque e cod. Florent. primus cum *Achillis Tatii* in Aratum prolegomenis, aliisque Graece edidit *Petr. Victorius* Florentiae 1567 fol. — dein solos in Eudemum et Aratum commentarios, omissa Asterismorum expositione, Graece et Latine *Petavius* inseruit *Vranologio*, sive appendici ad opus suum de doctrina temporum, Paris. 1630 et Amstelod. 1703 fol.

Tertius est *Claudius Ptolemaeus*, veterum astronomorum aeque ac geographorum (§. 146) princeps, Hadriani et Antonini Pii temporibus, cuius praeter cetera praecipuum opus, *Μεγάλη σύνταξις τῆς ἀστρονομίας* s. *magnae constructionis Astronomiae* libri XIII, inscriptum, et ab Arabibus communiter *Almagesti* nomine appellatum, plenissimam veteris Astronomiae doctrinam continet, in qua universae sphaerae caelestis rationem ad antiquiorum, Hipparchi maxime, inventa observationesque, a se recognitas et insigniter auctas, accomodatam explicuit astronomus Alexandrinus. *Graece* totus liber semel tantum editus erat e codice Norimb. Bessarionis, cum *Theonis* Alexandrini commentariorum libris XI. Basileae 1538 fol. Sed in alias linguas saepe conversus legitur, Latine quidem e codice Graeco ms. a *Georgio Trapezuntio*, cuius interpretationis plures exstant editiones; in epitomen vero redactus a *Georg. Purbachio* et *Io. Regiomontano*, Venetiis 1496 fol. rec. Basil. 1543. et Norimb. 1550 fol. Septimi libri prima quatuor capita *Gallice* vertit, et cum Graeco contextu edidit *Montignot* hoc indice: *Etat des étoiles fixes au second siècle par Cl. Ptolemée* etc. Argentor. 1787. 4. et *Germanice Bode* V. Cel. in *Ptolemaeus Beobachtung. u. Beschreibung der Gestirne* etc. Berolini 1795. 8. Nostro demum saeculo nova universi operis recensio et interpretatio Gallica prodiit hoc indice: *Κλ. Πτολ.*

Μαθηματικὴ Σύνταξις. Composition Mathématique de Claude Ptolemée ou Astronomie ancienne, traduite pour la première fois du Grec en Français sur les mss. originaux de la Bibl. Imper. de Paris (avec le texte Grec à coté du Français et les Variantes des mss.) par M. l'abbé Holma, et suivie des Notes de Mr. Delambre. T. I. 1813. T. II. 1816. Parisiis. 4 mai. — E reliquis Ptolemaei operibus, maximam partem astronomicis, quae supersunt, et quorum censum vide ap. Fabricium in B. Gr. T. V. p. 284 sqq. *quinque* commemorare iuvat: 1) *librum de Gnomonibus Veterum*, accurate scriptum, et *Analemma* dictum. Vide *Delambre* in *Millini Magazin Encyclop.* 1814. T. V. p. 367 sqq. 2) *Opticam*, quae nuper *ex interpretatione Latina ms.*, ex *Arabico sermone* facta, et *Ammirato Eugenio* adscripta, in bibliotheca Parisina innotuit, et ex qua brevem epitomen dedit *Giambat. Venturius* in *Memorie del Istituto Nazion. Ital.* T. I. Part. II. 1813. 3) *Elementorum Harmonicorum libros III.*, quos integros ex undecim codd. mss. Graece cum interpretat. Latina et notis vulgavit *Io. Wallisius*, Oxonii 1682. 4. rec. in tomo III. Opp. Wallisii, ibid. 1699 fol. 4) *Κανόνα βασιλειῶν* sive *Recensum chronologicum regnorum*, de chronologia veteri scriptis praecipuis (§. 149.) annumerandum, quem Graece et Latine edidere *Ios. Scaliger* in *Isagoge Canonum*, *Sethus Calvisius* in Isag. chronolog., *Dion. Petavius* ad calcem *Rationarii temporum* (editi a Perizonio Lugd. Bat. 1745. 8.), *Henr. Dodwellus*, supplementi instar ad *Dissertatt. Cyprianicas*, Oxoniae 1684. 8., nuper denique *Halma*, vir doctissimus, cum eiusdem Ptolemaei libro qui inscribitur *Φάσεις ἀπλανῶν ἀστέρων καὶ ἐπισημασίαι*, *Gemini Εἰςαγωγὴ εἰς τὰ Φαινόμενα* sive *Elementis Astronomiae*, aliisque excerptis ex *Cleomedis* libris et *Aristotelis libro de Caelo*, in *ΚΛ. ΠΤΟΛ. ΚΑΝΩΝ ΒΑΣΙΛΕΙΩΝ* etc. *Table chronologique des regnes, prolongée jusqu'à la prise de Constantinople par les Turcs: apparitions des fixes, de Cl. Ptolémée, Théon* etc. *et introduction de Geminus aux phénomènes célestes, traduites pour la première fois du Grec en François,*

sur les Mss. de la Bibl. du Roi; suivies des recherches historiques sur les observations astronomiques des anciens, trad. de l'Allemand de M. Ideler, et précédées d'un discours préliminaire, et de deux dissertations sur la reduction des années et des mois des anciens à la forme actuelle des nôtres, par M. l'abbé Halma, pour servir à l'intelligenee de son edition Greçque et Française de l'Almageste Parisiis 1819. 4. — Cf. *Freret* in Mémoires de l'Acad. des Inscr. T. XXVII. p. 121.—5) *Hypotheses Planetarum*, quas primum Gr. et Lat. edidit formisque mathematicis illustravit *Io. Bainbridge*, Londini 1620. 4. nuperrime autem una cum *Procli Lycii Hypotyposibus* et *Inscriptione Canopea Ptolemaei*, *Graece* et *Gallice*, ex duobus codd. mss. bibl. Reg. Parisinae vulgavit *Halma*, hoc indice: *Hypothéses* et époques des *planètes de Cl. Ptolémée et Hypotyposes de Proclus Diadochus, traduites pour la prémiere fois du Grec en Français sur les manuscrits de la bibliothèque du Roi, suivies de trois Mémoires traduits de l'allemand de M. Ideler, sur les connoissances astronomiques des Chaldéens, sur le cycle de Meton, et sur l'ère Persique, et précédées d'un discours préliminaire et de deux dissertations sur les mois Macedoniens, et sur le Calendrier Iudaique, par M. l'abbé Halma.* Parisiis 1820. 4. *Procli Hypotyposes astronomicarum positionum* semel tantum Graece editae erant Basileae 1553. (ap. Harlesium in Brev. Notit. p. 509 pr. 1540. 4.) *latine* versae a *Georgio Valla*. Longe autem praeferendae sunt Procli libro *de Sphaera*: et Syntaxi Ptolemaei explicandae pariter inserviunt ac *Theonis Cammentarii*. Cf. Ephemerides Litterar. Gotting. 1823. nr. 89. 90. p. 881—894.

Ideler Histor. Unters. über d. astronom. Beobacht. d. Alten, Berol. 1806. 8. *Eiusd.* Untersuch. über d. Ursprung u. d. Bedeut. d. Sternnahmen. ibid. 1809. 8. — *Delambre* Histoire de l'astronomie ancienne T. II.

§. 172.

Post Ptolemaeum, Graecorum astronomorum pauci nominis quamdam celebritatem consecuti sunt. *Hypsi-*

clis Alexandrini, Isidori Mathematici discipuli, qui sub M. Aurelii et L. Veri principatu vixisse dicitur, exstat liber *de ascensionibus signorum caelestium* sive *Ἀναφορικός*, quem e codd. mss. Graece et Latine cum *Opticis Heliodori* §. 168. p. 133. edidit *Erasmus Bartholinus*, Parisiis 1657. 4. Eidem librum XIV et XV. Elementorum Euclidis tribui, supra vidimus §. 164. Sunt tamen qui duos huius nominis mathematicos, patrem et filium, distinguant, et elementorum Euclideorum quos diximus libros ad filium referant auctorem. v. Reimer ad Bossut T. I. p. 387. — Serius vixit *Achilles Tatius*, incertae aetatis scriptor eroticus, qui librum *de sphaera* reliquit, cuius pars servata est hoc indice: *Ἐκ τοῦ Ἀχιλλέως πρὸς εἰσαγωγὴν εἰς τὰ Ἀράτου φαινόμενα* h. e. *Ex Achillis introductione ad Arati Apparentia*, primum Graece edita cum Hipparcho aliisque a *Petro Victorio*, Florentiae 1567 fol., deinde Gr. et Lat. a *Dion. Petavio* in Vranologio. — Sub saeculi IVti exitum floruit *Theon* Alexandrinus, Mathematicus, Pappi aequalis et pater *Hypatiae*, mulieris nobilissimae, cuius vitam copiose exposuit *Io. Chr. Wernsdorfius* in IV Dissertatt. *de Hypatia, philosopha Alexandrina*. Witeberg. 1747 sq. 4. cf. Harlesii Brevior Notitia Litteraturae Graecae p. 489 sq. Theoni huic *Euclidis Elementorum recensionem*, et *commentarios in Ptolemaei magnam Syntaxin, regumque Canonem*, tum *Fastos Graecos*, a Dodwello in appendice ad dissertt. Cyprianic. editos debemus. At commentarios eius in *Arati* carmen genuinos, aliosque in libros *parvo Astronomo* comprehensos, tempus delevit. — Restat *Proclus*, saeculi Vti philosophus, mathematicus et grammaticus, de cuius scriptorum reliquiis infra dicemus.

§. 173.

Dolendum tamen est, astronomiae studia haec incitatiora haud impedimento fuisse, quin futilissimam *de viribus et effectis astrorum* doctrinam, cum *divinandi ex astris arte* coniunctam, sive *Astrologiam iudiciariam* et *apotelesmaticam* excolere pergerent. Quam quidem a Babyloniis et Aegyptiis fortasse ac-

ceptam, post simpliciora praecepta, quibus de tempestate coniecturam ex astris capere docemur, quum ab *Hesiodo* in Ἔργοις et Ἡμέραις suis, tum multo serius ab *Arato* in Prognosticis sive *Διοσημείοις* tradita, ab eo imprimis tempore, quo Neoplatonicorum somnia miseris hominum mentibus turpiter illuderent, plures Graecos scriptores et vincta et soluta oratione explicuisse constat. Quo pertinent *Apotelesmatica*, *Manethonis* nomen mentita, (§. 129 sub fin.) — *Maximi*, qui Iulianum imp. instituit, carmen didacticum περὶ καταρχῶν, heroico versu scriptum, cuius reliquias e cod. Mediceo huius carminis, qui adhuc innotuit, unico, primus Graece et Lat. edidit *Fabricius* in Bibl. Gr. Vol. VIII. p. 414 sqq. vet. ed. Vol. IX. p. 322. ed. Harles. Cf. *Bandinium* in Catal. Codd. Graec. Laurent. T. II. p. 61.; nuperrime autem denuo recensuit notisque criticis instruxit *Ed. Gerhardius* Lipsiae 1820. 8. — scripta astrologica *Apollonii Tyanensis*; *Claudii Ptolemaei* nomen vulgo prae se ferens *Tetrabiblus* de apotelesmatibus et iudiciis astrorum, Gr. et Lat. editus a *Ioach. Camerario* et *Phil. Melanchthone*, Basil. 1553. 8. — *Paulli Alexandrini.* (Saec. IV. extr.) *Introductio in doctrinam de viribus et effectis astrorum*, Graece edita cum interpret. Lat. *Andr. Schatonis* ab *H. Ranzovio* Witebergae 1586. 8. — aliorumque libri, quos collegit, et, praefixo Astrologorum indice, edidit *Ioach. Camerarius*, Norimb. 1532. 4. Longe plura autem huius farinae scripta vel deperdita, vel in mss. codd. adhuc latentia enumeravit Fabricius in B. Gr. T. IV. p. 147. 167. Harles.

§. 174.

Longe deterior disciplinarum status erat, quae *in rerum naturae observatione et discriptione* versantur. Licet enim ad summas studiorum horum utilitates accederet opportunitas, e peregrinationibus in longinquas terras susceptis, e commerciorum et mercaturae finibus propagatis, e regumque liberalitate orta: post Aristotelem tamen et Theophrastum, qui tam praeclara naturae studii fundamenta iecerant, non modo

nulla illius incrementa conspiciuntur, sed etiam superstitiones rerumque insolitarum ac mirabilium amor in hominum mentibus tam altas radices egerant, ut bonis scientiae auctibus vehementer nocerent. Sic *Antigonus Carystius*, Ptolemaeo Philadelpho regnante, circa Ol. CXXVII. 1. a. Ch. 272. scripsit *Ἱστοριῶν παραδόξων συναγωγήν* i. e. *congeriem historiarum mirabilium*, quas partim ex spurio Aristotelis libro *de mirabilibus auscultationibus*, partim ex Callimachi, Timaei aliorumque scriptis deperditis congessit. Primus illam e cod. Palatino cum Antonino Liberali aliisque Graece et Lat. edidit *Guil. Xylander*, Basil. 1568. 8. deinde seorsum cum notis emendatius *Io. Meursius*, Lugd. Bat. 1619. 4. novissime cum variorum notis suisque *Io. Beckmann*, Lipsiae 1791. 4.

Similem libelli farraginem sub *Apollonii Dyscoli* nomine, eiusdem, cuius inter Grammaticos Alexandrinos supra (§. 126. p. 43.) mentionem iniecimus, fors fortuna servavit. Inscribitur *Ἱστοριῶν θαυμασίων βιβλίον* vel *περὶ κατεψευσμένης ἱστορίας* i. e. *Mirabilium historiarum liber*, sive *de historia commentitia*, et continet excerpta, quae partim ad historiam naturalem pertinent, ex Aristotele, Theophrasto, aliis, satis ieiuna, cum narrationibusque de spectris atque portentis mixta, quae, post *Xylandrum* in edit. Basil. laud. 1568. 8., *Meursius* edidit Gr. et Lat. cum notis et Syntagmate de Apolloniis, Lugd. Bat. 1620. 4. Quam Meursii edit. repetendam curavit *L. H. Teucherus* Lipsiae 1792. 8.

Sub idem tempus *Phlegon*, de patria *Trallianus* dictus, Hadriani imp. libertus, librum conscripsit *περὶ θαυμασίων* s. *de. mirabilibus*, absurdis narrationibus de spectris, monstris, prodigiis, ostentis, refertum; idem, cuius libellum *περὶ μακροβίων* s. *de longaevis* habemus, quique historico-chronologicum opus *de Olympiadibus* libris XVI. reliquit, ex quo non nisi fragmentum servatum est. Opuscula haec primum Graece edita sunt a *Guil. Xylandro* cum Antigono Carystio, Basil. 1568. 8. tum seorsum ab *Io. Meursio* cum notis, Lugd. Bat. 1620. 4. denique e Meursii recensione, cum interpretat. Lat. et ani-

madverss. ab *I. G F. Franzio*, Halae Saxon. 1775. 8. Fragmentum *de Olympiis* etiam cum Pindaro editum est Oxoniae 1697. fol. Ceterum a Phlegonte hoc alia duo opuscula Graeca profecta esse haud citra probabilitatem coniiciunt viri docti, alterum *de mirabilibus aquarum*, quod sub *Sotionis* nomine vulgavit *H. Stephanus*; alterum, *Anonymi de mulieribus quae bello claruerunt* tractatum, quem ex cod. Escurial. cum annexis nonnullis primus vulgavit *Heerenius* V. Cl. in Ineditis Bibl. Litt. et AA. Vett. T. VI et VII.

Claudii Aeliani, saeculi IIItii scriptoris, *historiam Animalium*, ex Aristotelis libris maximam partem congestam, supra laudavimus §. 141.

Commemorandi etiam hoc loco sunt *scriptores* aliquot *physiognomiae veteres*, quos Graece et Latine cum animadversionibus iunctim edidit *I. G. F. Franzius*, Altenburgi 1780. 8. *) In corpore hoc insunt, praeter *Aristotelis* librum *de physiognomia*, *Melampodis* medici, temporibus Ptol. Philadelphi florentis, libellus: *Μαντικὴ περὶ παλμῶν* s. *Divinatio ex palpitationibus*; et fragmentum opusculi *de naevis oleaceis* in corpore humano; — tum *Polemonis* et *Adamantii Physiognomica*; de quibus auctoribus vide Franzium in praefat. ad edit. suam. *Gallice* vertit Adamantii et Melampodis opuscula *Henr. de Boyvin*, Parisiis 1636. 8. Scriptis his addi nunc potest *brevis libellus physiognomicus*, e cod. ms. primum editus a *Boissonadio*, Viro eruditissimo, in *Notis suis ad Marini Vitam Procli philosophi.*

Denique *Artemidorus* Ephesius, sive *Daldianus* (ita cognominatus de Daldia, Lydiae oppido, matris eius loco natali), qui Hadriani et Antonini Pii temporibus vixisse se ipse docere videtur I. 28. *quinque* libros reliquit *Ὀνειροκριτικῶν* sive *divinationis e somniis* eorumque interpretationis, vanis superstitionibus repletos, sed propter multa quae de ritibus antiquis admiscuit, lectu dignos, quos graece primus edidit *Aldus* Venetiis 1518. 8. deinde Gr. et Lat. cum

*) Primum Graece prodierunt Romae 1545. 4. deinde Fr. Sylburgius eos t. V. Opp. Aristot. adiunxit Francof. 1587. 4.

aliis similis argumenti scriptis *Nic. Rigaltius*, Lutetiae 1603. 4. et nuper ad duorum codd. mss. Venet. fidem recensitos et emendatos, cum Rigaltii, Reiskii suisque animadverss. *I. G. Reiffius*, Lipsiae 1805. II Voll. 8. In praefat. vitam Artemidori enarrat, eiusque aetatem Marci Aurelii Anton. temporibus assignat.

§. 175.

Sanandi tamen *ars* Alexandriae, Ptolemaeorum beneficio, magnis auctibus crescere debuit, maxime ex *Anatomiae corporis humani* studio, quod Ptolemaeorum primo regnante insigniter perfecerunt *Herophilus* Chalcedonius, Praxagorae discipulus, et Ceus *Erasistratus*, Seleuci Nicatoris quondam medicus nobilissimus, uterque *scholae* conditor *medicorum*, qui tamen non magis fama quam meritis praeceptores suos aequarunt. Interea et *dogmaticorum* (§. 99.) inter se dissidia, et Pyrrhonismi paullo ante excitata studia, *empicorum* medicorum sectae ortum dedere, cuius primus auctor *Philinus* Cous fuisse videtur, Herophili discipulus (circa Ol. CXXIII. 1. a. Ch. 288.), etsi mox *Serapion* Alexandrinus ab illo inchoata magis perfecisse dicendus sit, post quos *Heraclides* Tarentinus, materiae medicae accuratius tradendae imprimis intentus, scholam hanc maxime nobilitavit.

Novam et philosophandi de re medica rationem, et morbos sanandi viam, paullo post ingressus est *Asclepiades* Bithynus, Cleophanti empirici discipulus, qui Alexandriae et Athenis aliquantum commoratus, Romam venit Luculli, Pompeii et Ciceronis temporibus; ubi quum doctrinae, quam prae se ferebat, novitate, tum curationum felici eventu, ad magnam hominum famam profluxit et existimationem. Neque tamen scriptis clarissimi viri tempus pepercit, a Celso, Plinio, Galeno, Coelio Aureliano, frequenter laudatis, quorum auctorum testimoniis usus nuper *Ch. G. Gumpertus*, Asclepiadis Bithyni fragmenta digessit ediditque Vimariae 1794. 8. — Inter medicos autem disciplinae eius addictos nemo magis eminet *Themisone* Laodiceno, *Methodicorum* sectae, a dogmaticorum

non magis quam empiricorum ratione recedentis, vero auctore, quem pariter atque Asclepiadem exscripsit *Celsus*, Augusti et Tiberii aetate florens, in libris suis de medicina. Eiusdem scholae medicis annumerantur: *Xenocrates* Aphrodisiensis, qui sub Tiberii principatu *) floruit, cuiusque exstat opusculum ab *Oribasio* servatum, *περὶ τῆς ἀπὸ τῶν ἐνύδρων τροφῆς* s. *de alimento ex aquatilibus*, historiae naturalis subtiliorem doctrinam anquirentibus commendandum, quod post *Conr. Gesnerum*, Tiguri 1559. 8. et *I. Fabricium* in Bibl. Gr. T. IX. p. 454. vet. ed., vulgaverunt *I. G. F. Franzius* Francof. et Lips. 1774. iterumque 1794. 8. *Cai. de Ancora* Neapoli 1794; *Matthaei* in Oribasii editione Mosquae 1808; *Corayus* in *Παρέργων Ἑλλ. βιβλιοθήκης* Tomo IIItio hoc indice: *Ξενοκράτους καὶ Γαληνοῦ περὶ τῆς ἀπὸ τῶν ἐνύδρων τροφῆς, οἷς προςτίθενται σημειώσεις, καὶ τὰ περὶ τῆς ἐκδόσεως προλεγόμενα*, Parisiis 1814. 8. — Porro *Herennius Philo Tarsensis*, auctor *Ἰατρικῶν*, Stephano Byz. in *Δυῤῥάχιον*, *Κύρτος* et pluries laudatus, nobilis medicamenti mitigantis inventor, cui hinc *Philonii* nomen inditum est, cuiusque compositionem ipse *versibus elegiacis* descripsit. Vide *Sprengelium* in Hist. Med. T. II. p. 70. sec. ed. 1800. 8. — Tum *Andromachi* Cretenses, pater et filius, Neronis imp. medici, prior dictus *Archiater*, et ex pluribus compositi medicamenti inventor, quod *Theriacam* appellavit, cuiusque laudes *elegiaco carmine* ipse persecutus est, servato a Galeno in libro I. de Antidotis. Seorsum editum est cum commentario a *Fr. Tidicaeo*, Thorunii 1607. et ab Anonymo, Norimb. 1754. 4.

Eisdem fere temporibus, ante Plinium certe maiorem, vixisse videtur *Pedanius* vel *Pedacius Dioscorides*, Cilix, cui plenissimum opus *de materia medica* (*περὶ ὕλης ἰατρικῆς*), *quinque* libros complectens, debemus, quod, etsi parum accurate, nec ad scientiae praecepta descriptum, diu tamen, post Theophrasti libros, princeps habitum est, ex quo rei

*) Vir doctus in Ephemer. Litter. Lips. 1817. Nr. 40. pag. 317. Xenocratis aetatem 40—60 annis aerae Christ. initium antecessisse ponit.

herbariae et materiae medicae cognitio capi posset. De codd. mss. Dioscoridis, praecipue de antiquissimo illo Vindobonensi cum plantarum iconibus antiquis v. Fabric. B. Gr. T. IV. p. 683 sqq. Praeterimus alia quae scripsisse fertur, minoris momenti illa, et de quorum fide dubitatur. *Graece* Dioscordis opera cum Nicandro primum edita sunt ab *Aldo* 1499 fol. Emendatiores habentur editiones Graeco-Latinae cum castigationibus *Iac. Goupyli* et interpret. *Ruellii*, Parisiis 1549. 8. — tum quae cura cum notisque criticis *I. Antonii Saraceni* prodiit Francofurti 1598 fol. Interpretationum Latinarum Dioscoridis optima auctorem habet *Io. Ruellium* Paris. 1516 fol., correcta et emendata ab *Andr. Matthiolo*, rei herbariae et philologiae peritissimo, Venetiis 1554 fol. et pluries deinceps repetita, cum plantarum figuris, etiam in Matthioli operibus, Francof. 1598. et 1674 fol. Dioscoridis vestigia legerunt, Plinius maior, Galenus, Oribasius aliique deinceps.

Denique methodicorum scholam maxime illustrarunt *Rufus* et *Soranus* Ephesii. *Ille*, Suida auctore, sub Traiano Imp. florens, et a Galeno frequenter laudatus, multa medici argumenti scripta reliquit, quorum non nisi fragmenta aut indices servati sunt, alia in bibliothecis mss. ad huc latent. Supersunt tamen *tres* libri, sed duo mutili, de quorum argumento et praestantia legendus est *Ackermannus* in Fabricii B. Gr. Harles. Vol. IVto p. 715 sqq. et Sprengelius in Versuch e. Gesch. d. Arzneikunde T. II. p. 63 vet. ed. *Graece* editi sunt primum a *Iac. Goupylo* ap. A. Turnebum Parisiis 1554. 8. Graece et Latine a *Guil. Clinchio*, Londini 1726. 4. nuper autem e Mosquensi et Augustano codd. *Rufi Ephesii Opuscula et Fragmenta novis accessionibus quadruplo auctiora Graece edidit et notationes subiecit Chr. Fr. de Matthaei*, Mosquae 1806. 8. — Alter, *Soranus*, primum Alexandriae, dein Romae sub Traiani et Hadriani principatu artem medicam exercuisse dicitur, pluriumque librorum auctor habetur haud contemnendus, quorum unus, *de fracturarum signis*, Graece editus cum interpret. Lat. ab *Ant. Cocchio* in *Veterum Medicorum Graecorum Chirurgicis*, Florentiae 1754 fol. —

Cum *Sorano* vixisse videtur *Moschion*, cuius exstat liber Graece scriptus *περὶ τῶν γυναικείων παθῶν de mulierum morbis*, quem primum in *Gynaeciorum* corpore editum et illustratum a *Conr. Gesnero* Basil. 1556., e cod. ms. Vindob. multo pleniorem cum interpret. Latina edidit *F. O. Dewez*, Viennae 1793. 8., libelli huius auctorem quinto demum saeculo vixisse autumans.

Empiricorum, pneumaticorum et methodicorum placita medicorum conciliare studuerunt *Eclectici*, quorum celeberrimi sectatores fuere *Archigenes* Apameensis, et *Aretaeus* Cappadox, uterque Traiani, ut videtur, temporibus in exercenda arte salutari laudatus. Aretaeum vero ex scriptis quoque egregiis quae reliquit, naturae, post Hyppocratem, optimum indagatorem cognovimus. Supersunt enim eius *de acutorum et chronicorum morborum causis signisque* lib. IV. *περὶ αἰτιῶν καὶ σημείων ὀξέων καὶ χρονίων παθῶν*, et totidem *de curatione acutorum et diuturnorum morborum*, *περὶ θεραπείας ὀξέων καὶ χρονίων παθῶν*. Alii vero, quos *de re pharmaceutica* scripsisse se testatur, deleti sunt. Princeps editio Aretaei cura *Iac. Goupyli* prodiit Parisiis 1554. 8. Praestantissimae sunt *Io. Wiganii*, cum interpret. Lat., dissertatt., var. lect. notis et emendationibus, Oxonii 1723 fol. — et *Herm. Boerhavii*, cum commentariis integris P. Petiti, Wiganii notis et D. W. Trilleri obss. Lugd. Bat. 1731 et 1735 fol. Wiganii *interpretatio latina* seorsum prodiit Vindobonae 1790. 8. Alia, sed minus laudata, ab *Hallero*, cura *Ph. Rud. Vicatii*, vulgata est in tom. V. *Principum artis Medicae*, cum Wiganii praefat. Lausan. 1772. ed II. et emendata ibid. 1787. 8. — *Germanice* vertit Aretaeum *F. O. Dewez*, Vindob. 1790—1802. II Voll. 8.

Archigenis medici Fragmenta, cum aliorum viginti medicorum variis opusculis ex cod. Oribasii Mosquensi a *Chr. Frider. de Matthaeio* primum *Graece* edita Mosquae 1808, 4., cum aliis eiusdem Archigenis fragmentis apud Aëtium aucta, denuo recensenda suscepit *Chr. Frid. Harlesius* V. Cl. edita haud pridem prolusione, hoc indice: *Analecta historico-critica de Archigene Medico et de Apollo-*

niis Medicis eorumque scriptis et fragmentis. Acc. *Apollonii Erasistratei de scarificatione. Fragmentum Graecum.* Lipsiae 1816. 4.

Eiusdem aetatis (quamquam alii, ut Saxius, Harlesius, Augusti et Tiberii temporibus eum admovent) fuit *Cassius Felix* cognomine *Iatrosophista* dictus, cuius *Problemata* Graece primum prodierunt Parisiis 1541. 8. emendatiora cum Lat. interpret. et Scholiis *Conr. Gesneri*, Tiguri 1562. 8. postremo Gr. et Lat. cura *Andr. Rivini* Lips. 1653. 4. De nova Cassii editione, quam *Io. Steph. Bernardus*, Medicus olim doctissimus, a se paratam necdum typis impressam, moriens reliquit, vide *Schneiderum* apud *Chardon de la Rochette* in Mélanges de Crit. et de Philol. T. II. p. 359.

Aretaeus, A. Trallès u. C. Aurelianus Systeme der Medicin dargestellt von *K. Lutheritz*. Neue Ausgabe 1818. 8.

§. 176.

In hoc sectarum diversarum quasi conflictu, ad naturae observationem, a magni inde Coi temporibus fere neglectam ac posthabitam, medicos sui temporis reduxit *Claudius Galenus*, Pergami natus anno 131. p. Ch., Hadriano regnante, vitaque, post varios casus, crebramque locorum et habitationis mutationem, sub Septimii Severi principatu, septuagenario maior fortasse defunctus. Is, medicorum post Hippocratem facile princeps, nulli sectae addictus videri voluit, et, quamquam a dogmaticorum partibus stetit, Hippocraticus tamen medicus dici maluit, ac permultos Hippocratis libros egregiis commentariis, quum *criticis*, tum ad interpretationem scriptis, qui hodieque supersunt, illustravit. Nullam vero medicinae, qualis tum erat, partem intactam eum reliquisse, testantur ingeniosissimi atque eruditissimi viri scripta, quae magno supersunt numero. (Praeter *commentarios Hippocrateos* enim, *duo* et *octoginta* genuina exstant, quorum censum vide apud Fabric. Harles. T. V. p. 398—441., ut taceam de suspectae fidei illis, de manifeste spuriis, et de deperditis, de quibus omnibus v. ibidem p. 441 sqq.) Quorum magnam librorum partem ipse Galenus recenset, simulque ordinem, quo a tironibus legi debeant, indicat *in libello de libris*

propriis, περὶ τῶν ἰδίων βιβλίων γραφή. Longe tamen abest, ut omnes ad solam spectent medicinam. Nam quum philosophiae etiam curricula emensus esset Galenus, ac Platonis potissimum et Aristotelis placita partim inter se, partim cum Hippocratis decretis conciliare studeret: multa scripta reliquit, ad scientiam hanc eiusque historiam referenda, ut librum περὶ αἱρέσεων, *de Sectis*; περὶ τῶν Ἱπποκράτους καὶ Πλάτωνος δογμάτων βιβλία θ', *de Hipocratis et Platonis decretis libros IX*; περὶ ἀρίστης διδασκαλίας, *de optima doctrina*; quem librum nuper *C. G. Kühnius*, vir doctissimus, tamquam novae Medicorum Graecorum omnium editionis specimen, edidit Lips. 1818. 8. — ὅτι ἄριστος ἰατρὸς καὶ φιλόσοφος, *de optimo medico philosopho*, Graece et Latine editum a *Curtio Sprengel*, Halae 1788. 8. ὅτι τὰ τῆς ψυχῆς ἤθη ταῖς τοῦ σώματος κράσεσιν ἕπεται, *Animi mores corporis sequi temperamenta*; προτρεπτικὸν λόγον ἐπὶ τὰς τέχνας, *admonitionem ad litteras addiscendas*, Latine versum libellum ab *Erasmo Roterod.* Basileae 1526. 8. Graece vero separatim, sed pessime, editum a *I. G. G. Köhlero*, Lipsiae 1778. 8.; nuper autem ab *Abr. Willet*, Wyttenbachii discipulo, cum sua adnotatione et Latina interpretatione D. Erasmi, Lugd. Bat. 1812. 8. — πότερον ἰατρικῆς ἢ γυμναστικῆς τὸ ὑγιεινόν, *utrum medicinae sit an gymnastices hygiene.* Liber *de historia philosophica* (περὶ φιλοσόφου ἱστορίας) *spuriis* annumeratur, quod fere nihil contineat, quod non insit simili scripto, Plutarchi nomen itidem mentito, *de physicis philosophorum decretis.* Medicorum autem Galeni librorum nullus maiorem celebritatem nactus est quam Τέχνη eius ἰατρική s. *Ars medica*, qua artis salutaris praecepta ex mente et ratione Galeni traduntur.

Codicum mss. Galeni et edd. quum Graecar. tum Latinarum notitiam uberrimam in docta dissertatione de medici huius vita scriptisque dedit *C. G. Ackermann* V. Cl. apud Fabric. B. Gr. T. V. p. 378—500. *Graece* primum edita sunt opera Galeni Venetiis in aedibus Aldi 1525. V Voll. fol. Locupletior et emendatior editio est *Basileensis* 1538. V Voll. fol. Splendida cum Hippocrate, opera *Renati Chartierii*, Pa-

risiis 1679. vol. X—XIII. fol. Quibus nuper accessit nova, non editio solum, sed etiam recognitio omnium *operum Galeni* cura *Car. G. Kühnii*, praestantissimi viri, in arduo hoc negotio *Schaeferi*, viri incomparabilis, doctrina et officio adiuti, in *Medicorum Graecorum Operibus quae exstant*, T. I—V. Lips. 1821 sqq. 8 mai. — *Selecta Opuscula* Galeni Gr. et Lat. edidit *Theod. Goulston*, Londini 1640. 4. — De reliquis quum editionibus, tum interpretationibus et commentariis v. *Ackermannum* l. c. et *Harlesium* in Introd. etc. T. II. p. 170 sqq. — Quod cum *Xenocratis* opusculo *de alimento ex aquatilibus*, similis argumenti scriptum *Galeni* in Bibliothecae Hellen. Parergorum tomo III. iunctim cum annotatt. critis et zoologicis edidisse *Corayum* paullo ante meminimus, id ex Galeni operis *περὶ τροφῶν δυνάμεως* libro tertio excerptum esse scies.

Kurt. Sprengel Briefe über Galen's philosophisches System in Beyträgen z. Gesch. d. Medicin Part. I. p. 117 sqq. — *Eiusd.* Versuch einer pragmat. Geschichte der Arzneikunde T. II. p. 127—166. vet. ed.

§. 177.

Sophistarum *) tandem et *Rhetorum* scholae floruerunt Alexandriae, imprimis Hadriani temporibus, „e quibus ingenii suavitate et doctrinae elegantia insignes homines prodiere numero plures.“ Etenim a rebus agendis et a republica dudum ad umbram et otium oratorum studia erant revocata **). Quos inter aetatem tulere: *Lesbonax*, sub Tiberii principatu, cuius *duae* exstant *declamationes* in *causis fictis*, Graece editae in *Oratorum Graecorum operibus* (v. T. I. p. 181.) et nuper seorsum, hoc indice: *Lesbonactis Sophistae Declamationes II.* quae supersunt, Graece et Latine, recognovit, annotationes Canteri, H. Stephani, Reiskii, Fr. Iacobsii aliorumque et suas, no-

---

*) H. e. scriptorum qui veterum sermonis Atticorum elegantiam affectabant, pigmentisque oratoriis quodvis scriptionis argumentum exornabant.

**) Heyne Op. Acad. T. I. p. 90 sq.

titiam litterariam et indicem verborum adiecit *I. Conr. Orellius*, Lips. 1820. 8 mai. *). — Porro *Dio* Prusensis, ob eloquentiam dictus *Chrysostomus*, Domitiani, Nervae et Traiani, cuius gratia maxime floruit, temporibus clarus, p. Ch. 94—117. Reliquit *octoginta declamationes* atque *dissertationes* (λόγους seu διατριβάς) argumenti ethici, politici et philosophici, in quibus multa veterum poëtarum Graecorum fragmenta servata, pluraque mythologiae et antiquitatis capita exposita sunt. Praeter *principem* editionem Graecam, (Venetiis 1551. 8), notandae sunt *Fed. Morelli* editio Graeco-Latina cum Is. Casauboni diatriba, Parisiis 1604 et 1623 fol. — et *I. I. Reiskii* cum eiusdem aliorumque animadversionibus, Lipsiae 1784 et 1798. II Voll. 8. — Dionis huius *Epistolas quinque* breviores nuper e cod. ms. primus vulgavit *Boissonadius* in notis ad *Marini vitam Procli*.

Favorini, Dionis discipuli, rhetoris et philosophi circa Traiani et Hadriani tempora, scripta, quae interierunt, praeter alios, frequenter laudavit Aulus Gellius.

Iisdem temporibus vixit *Antonius Polemo* e Phrygia Laodicensis, Museo Alexandrino ab Hadriano imp. adscriptus, qui Alexandriae et Smyrnae dicendi artem docuit in magna audientium celebritate. Non supersunt tamen nisi *duae* Polemonis *declamationes* sive *Λόγοι ἐπιτάφιοι Laudationes funebres* in Cynaegirum et Callimachum Athenienses, in pugna Marathonia interemtos, Graece editae cum *Himerii* declamationibus ab *H. Stephano* 1567 fol. min. scorsum Gr. et Lat. a *Petro Possino*, Tolosae 1637. 8. nuper cum paraphrasi Lat. Petri Possini, eiusdemque et H. Stephani notis, suisque et Io. Casp. Orellii animadversionibus, ab *Io. Conr. Orellio* Lipsiae 1819. 8 mai. Acc. incerti scriptoris Graeci (Diodori Siculi) Certamen inter Cleonnin et Aristomenem de virtutis principatu.

Clarissimo viro, *Herodi Attico*, apud Hadrianum

---

*) A Lesbonacte hoc distinguendus est *eiusdem nominis Grammaticus*, cuius *de figuris* (περὶ σχημάτων) libellum primus edidit cum *Ammonii Lexico* Valckenarius.

et Antoninos principes in primis gratioso et eloquentiae laude florenti, *una* tribuitur *declamatio* superstes *περὶ πολιτείας* s. *de republica*, edita in Orator. Graecor. Opp., etiam a *Reiskio* cum notis in Vol. VIIIvo Lipsiae 1773. 8. Monumentorum vero, quae in sui et *Regillae* uxoris memoriam, in *Triopio* suo, sive parte fundi, quem ad tertium ab urbe (Roma) lapidem in via Appia possedit, exstrui iusserat Herodes, *inscriptiones quatuor* servatae sunt, illustratae partim a *F. Morello*, ab *Is. Casaubono*, a *Claud. Salmasio* (una cum Simmiae, Dosiadae et Theocriti lusibus, Parisiis 1619. 4.), a *Brunckio* et *Iacobsio* in Analectis Gr., optime vero et plenissime ab *Ennio Quirino Viscontio* in *Iscrizioni Greche Triopee con versioni ed osservazioni*, Romae 1794. 4. cum tabb. aen. Post quem et has reliquias, et declamationem supra laudatam nuper vulgavit *R. Fiorillo*: Herodis Attici quae supersunt. Praefixa est epistola *C. G. Heynii*, Lips. 1801. 8. cf. *De Burigny* in Mem. de l'Acad. des Inser. T. XXX. *Eichstadius* ad Fabricii B. Gr. T. VI. princ.

Herodis huius et Polemonis discipuli fuere 1) *Adrianus Tyrius*, (§. 183.) M. Aurelio Antonino Imp. acceptus, ex cuius declamationibus *Excerpta* cum interpretatione Latina edidit *Leo Allatius* in Excerptis variis Graecor. Sophistar. et Rhetorum Romae 1641. 8. et nuper *Io. Conr. Orellius* ad calcem *Philonis Byzantii* lib. de VII. orbis Spectaculis. cf. §. 168. p. 133. 2) *Aelius Aristides* Bithynus, a Smyrnaeis, de quibus, post eorum urbem terrae motu eversam a. 178. p. Ch., praeclare meritus erat, statuae aeneae honore et sacerdotis Aesculapii munere donatus. Cuius supersunt *quinque* et *quinquaginta* declamationes dissertationesque et exercitationes rhetoricae (*Μελεται*), ex quibus *Panathenaicum* ad Isocratis, orationem adversus *Leptinem* ad Demosthenis imitationem, scriptam; *Hymnos* sive sermones in deorum laudem habitos, et *Romae encomium* memorare iuvat. Praeter *principem* editionem *Florentinam* 1517 fol. notamus novissimam cura *Sam. Jebbii*, Oxoniae 1722 sqq. II Voll. 4. Cf. Harlesii Brev. Notit. Litt. Gr. p. 406. Orationem adv. Leptinem e cod. Veneto primus vulgavit una cum *Libanii* declamatione pro Socrate et *Aristoxeni*

Rhythmicorum Elementorum Fragmentis *Morelli* V. Cel. cum aliis aliorum scriptis, Venetiis 1785. 8. post quem *Fr. A. Wolfius* eam Leptineae Demosthenis editioni suae subiecit, Halae 1789. 8. v. supra T. I. p. 193.

Birgeri Thorlacii prolusio Academ. *de Somniis Serapicis*, praecipue ex Aristidis ἱεροῖς λόγοις delineatis, Hafniae 1813. 4. cf. *Millini* Magazin Encyclop. 1814. T. V. p. 443 sqq.

§. 178.

Inter ceteros autem aetatis huius Sophistas, ingenii acumine et sollertia, dicendi copia, Attici sermonis elegantia, urbanitate, lepore, facetiis, denique varia et multiplici doctrina, maxime eminet *Lucianus*, e Syria Samosatensis, qui sub Antoninorum principatu floruit, omnis arrogantiae, superstitionis, affectationis, morum corruptelae, vitiorum cuiuscumque hominum ordinis, potentiorum, divitum, philosophorum, rhetorum, historicorum, vulgi, salsissimus exagitator, cuius plurima scripta aetatem tulere, in quibus praecipua sunt: *Somnium*, *Nigrinus*, *Alexander*, *Demonax*, *Peregrinus*, *Hermotimus*, *Contemplantes*, *Iupiter tragoedus*, *Iupiter confutatus*, *Timon*, *Vitarum* seu sectarum philosophicarum *auctio*, *De mercede conductis*, *Verae historiae*, *Lucius*, *Lexiphanes*, *Dialogi deorum et mortuorum.* Perutilis etiam et studiose legendus est liber eius: *Quomodo historia conscribenda sit*, et alius *de saltatione* sive de pantomimis. De aliorum fide dubitatur, ut de libello qui inscribitur *De dea Syria. Fr. Iacobsius*, vir eruditissimus, in *Appendice ad Rich. Porsoni Adversaria*, Lipsiae 1814. (in Obss. in Lucianum) a Luciano abiudicat primo e *Dialogis mortuorum*, Dial. XXVI. XXVII. XXVIII., deinde *Necromantiam*, libellum *de Sacrificiis*, *Icaromenippum* et *Deorum Concilium.*

Codicum mss. Luciani censum egit Harlesius ad Fabric. B. Gr. T. V. p. 346. *Editionum* princeps est Florentina 1496 fol. — Dein *Aldinae* cum Philostrato 1503 et 1522 fol. — *Bourdelotii*, Paris. 1615 fol. — Praestantissimam inchoaverat *Tib. Hemsterhusius*,

quam, sed invita Minerva, continuavit et ad finem perduxit *I. F. Reitzius*, Amstelod. et Trai. ad Rhen. 1743 sqq. IV Voll. 4. Hanc sequitur *Bipontina* 1789 sqq. X Voll. 8. Nuperrima, a *Lehmanno* coepta, Lipsiae prodiit hoc indice: *Luc. Sam. Opera, Gr. et Lat., post Tib. Hemsterhusium et Reitzium, denuo castigata, cum varietate lectionis, Scholiis Graecis, viror. doctor. suisque adnotationibus et indicibus nova opera confectis edidit I. Th. Lehmann* T. I—IV. Lipsiae 1822 sq. 8 mai. E singulis libellis Lucianeis *Dialogi mortuorum* editi sunt a *Seyboldio*, *Carpzovio*, *Haasio*, *Bremero*, *Martinio*, *Matthiaeo* et nuperrime (1813. 8.) ab *I. Th. Lehmanno*, qui paullo ante (1811.) *Charontem* Luciani, quadriennio post *Dialogos Deorum* et *Marinos* cum criticis contextus castigationibus, singulor. dialogor. concisis argumentis et annotationibus grammat. mytholog. et aesthet. cumque Scholiis codd. Voss. et Graev. Lipsiae 1815. 8. denique libellum *de Somnio s. Vitam Luciani* in usum scholarum cum annotatt. Scholiis et indicibus Lipsiae 1818. 8. edidit. — Adde: *Lucian's Göttergespräche, Griechisch, mit erklärenden u. kritischen Anmerkungen* von *I. Ch. Bremer. Zweite berichtigte Ausgabe von E. F. Poppo.* Lips. 1817. 8. — Luciani Dialogi ad lectionum usum delecti (curante *Fr. A. Wolfio*) Halae Sax. 1791 8. min. — *Interpretationes* operum Luciani potiores sunt *Latina I. M. Gesneri*, a Reitzio et Bipontinis recepta; *Anglicae Thom. Franklini*. 1780. II Voll. 4. et *Carrii*, Londini 1786 sqq. V Voll. 8.; *Gallicae* cura *Massieu*, Paris. 1781. VI Voll. 12. et longe praestantior studio *Belini de Ballu*, ibid. 1786 sqq. VI Voll. 8.; *Germanica* eximia, cum notis et commentariis *Wielandi*, Lipsiae 1788 sqq. VI Voll. 8.

Fr. Iacobsii Observationes in Lucianum v. supra. — *C. L. Struvii* Critische u. grammatische Bemerkungen über Lucian's Hermotimus. Königsb. 1814. 8. *T. F. Benedicti* De quibusdam Luciani locis Observationes, Lipsiae 1814. 4. — *Eichstadii* Progr. *Lucianus num scriptis suis adiuvare religionem Christianam voluerit*, Ienae. 1820. 4.

§. 179.

De *Maximi Tyrii*, huic etiam scriptorum ordini adscribendi, *Sermonibus* supra egi §. 153. p. 104.

Sequuntur *Philostrati* Lemnii duo, maior natu *Flavius*, qui primo Athenis, deinde Romae sub Septimii Severi eiusque successorum principatu floruit saec. III. et reliquit 1) *Vitam Apollonii Tyanensis*, famosi, Domitiano regnante, praestigiatoris, libris VIII. 2) *Τὰ Ἡρωϊκὰ* sive *Encomia XXI heroum*, qui bello Troiano interfuerunt, dialogi forma, 3) *Εἰκόνας* sive *Imagines* II libris, tabularum pictarum LXVI in porticu Neapolitana descriptionem, sophistarum more calamistris inustam. 4) *Vitas Sophistarum* lib. II. opusculum inter historiae litterariae Graecorum fontes numerandum. 5) *Epistolas.* — Alterius *Philostrati*, prioris ex sorore filii, *liber singularis Imaginum* et *quaedam epistolae* exstant. Vtriusque opera Graece et Latine prodiere apud *Aldum* Venetiis 1501. 8. 1503 et 1522 fol. — cura *Fed. Morelli*, Paris. 1608 fol. — cum interpret. Lat. et notis *G. Olearii*, Lipsiae 1709 fol. *Heroica* maioris Philostrati ad fidem codd. mss. novem nuper recensuit, Scholia Graeca, adnotationes *Viscontii* et suas adiecit *I. F. Boissonade*, Parisiis 1806. 8. — Bis terve, ut propediem proditura, hoc indice nunciata editio: *Philostratorum Imagines et Callistrati Statuae. Textum ad fidem codd. mss. recensuit, notasque quum suas, tum Fr. Theoph. Welckeri adiecit Fr. Iacobs.* Lipsiae, oct. mai., quod sciam, lucem nondum vidit. *Vitam Apollonii Gallice* vertit *B. de Vigenere*, Paris. 1611. 4. *Anglice Ch. Blount*, Londini 1680 fol. — *Imagines* utriusque Phil. idem *de Vigenere*, Paris. 1637 fol. — In *Germanicum* sermonem Philostrati opera transtulit *D. C. Seybold*, Lemgoviae 1776. II Voll. 8.

Torkilli Baden de arte ac iudicio Fl. Philostrati in describendis imaginibus, Hafniae 1792. 4. — *C. de Caylus* in Mem. de l'Acad. des Inscr. T. XXIX. — *C. G. Heynii* Programmata X ad Philostratorum Imaginum illustrationem in Opusc. Acad. T. V. Gottingae 1802. 8. — *F. Iacobsii* Animadversiones criticae in Callistrati Statuas et Philostratorum Imagines. Acc. Descriptio nondum edita anaglyphorum in templo Apolloniadis, sive Exercitationum in scriptores veteres T. II*dus*. Lipsiae 1797 8 mai. *Eiusdem* Obss. in Aeliani hist. animal. et Philostrati vitam Apollonii, Ienae 1804. 8. — *Böttiger* in Museo Archaeol. Vimariae 1801. 8. p. 19. *Henr. Arentii Hamakeri* Lectiones Philostrateae. Fasc. I. continens Obss. in quatuor libros priores et Excursum in librum quartum de vita Apollonii Lugd. Bat.

1816. 8. — Specimen Varr. Lectt. et Obss. in Philostrati vitae Apollonii lib. I. Edidit et Scholiastam Graecum Msc. ad septem libros priores adiecit *G. I. Bekker*. Acc. *Fr. Creuzeri* annotationes, Heidelb. 1818. 8 mai.

Cum Philostrato vulgo eduntur *Callistrati* itidem Sophistae, sed aetate paullo iunioris, *Ἐκφράσεις* sive *XIV statuarum descriptiones*, orationis fuco ac pigmentis etiam magis oneratae, in quas virorum doctissimorum, quos modo laudavi, *Heynii* et *Iacobsii*, exstant commentarii. Saepe editae sunt cum *Philostratorum* operibus ut apud Iuntam, Venetiis 1535. 8., a *Fed. Morello*, Pariis 1608 fol. etiam cum *Luciano* Venetiis ex Aldina offic. 1503 et 1522 fol.

§. 180.

Athenaeus Naucrâtita Aegyptius, Grammaticus et Sophista, post Commodum imp. *Saxio* vixisse, finemque operi suo circa a. 228. p. Ch., Alexandro Severo imperante, imposuisse videtur nuperrimo Athenaei editori. Grammaticus fuit ea ratione, qua apud Graecos olim nomine isto appellabantur viri, qui, praeterquam quod recte loquendi scribendique praecepta et quidquid ad verborum universique sermonis rationem pertinet, accurate tenerent, poëtarum veterum et aliorum quorumque praestantissimorum scriptorum lectione ita essent innutriti, ut omnis doctrinae copia et omnis praesertim antiquitatis cognitione praestarent. Ceterum de vita eius nihil compertum habemus. Scripsisse se ipse profitetur *de Syriae regibus*, opus deperditum; sed praecipui doctrinae monumenti, quod reliquit, index est *Δειπνοσοφισταί* i. e. *Eruditi viri coenantes* vel *Convivales doctorum virorum sermones* libris XV. qui satis integri servati sunt, si excipias *duos libros priores* cum *tertii initio* qui solum exstant in *Epitome* huius operis, a Grammatico quodam Constantinopolitano olim confecta, et *lacunam in libro ultimo* sub operis finem. Continentur immensae lectionis et eruditionis adversariis his sermones a doctis quibusdam convivis, quos finxit auctor, ipso convivii tempore habiti de universo coenae apparatu, de cibis, vinis, poculis, ludis, unguentis,

coronis, et eiusmodi aliis rebus innumeris, quae ad totius antiquitatis, rei herbariae, medicinae, historiae politicae et naturalis, eloquentiae, poëseos, philologiae, vitae privatae Graecorum, morum et consuetudinum notitiam faciant fructuossimam et iucundissimam; qua data occasione fragmenta ex auctoribus circiter octingentis in medium proferuntur. Minus tamen commendatur auctor ab ingenii vel iudicii acumine, operisque forma, dictione et ordine quo doctrinae suae copias exposuit. — Princeps Athenaei multisque vitiis inquinata editio est *Aldina*, Graece, Venetiis 1514 fol. curante *Musuro*; altera *Basileensis* 1535 fol. Hanc sequitur *interpretatio Latina* studio *Dalecampii*, Lugduni 1583 fol. tum *tres* editiones ex recens. et cum commentario *Is. Casauboni*, prima Genevae 1597 et Lugduni 1600 fol. tertia multo post magni viri obitum, Lugduni 1657 et 1664 fol. Novissimam, ex optimis codd. mss. emendatam et suppletam, cum nova Lat. interpret. et animadversionibus Casauboni paene integris aliorumque et suis curavit V. Cel. *Schweighäuserus*, Argentorati 1801 sqq. XIV Voll. 8. cui accesserunt *Fr. Iacobsii Additamenta animadversionum in Athenaei* Deipnosophistas, in quibus et multa Athenaei et plurima aliorum scriptorum loca tractantur, Ienae 1809. — In *Galkicum* sermonem Athenaeum convertit et notis illustravit *Le Febvre de Villebrune*: *Banquet des Savans par Athenée*, Parisiis 1788 sq. IV Voll. 4.

R. Fiorillo Observationes criticae in Athenaeum. Gottingae 1803. 8. — *C. G. A. Erfurdtii* Observationum criticarum, maxime in Athenaei Deipnosophistas Particula I. II. Regiomonti 1812. 8. — *Aug. Meineke* Curae criticae in Comicorum Fragmenta ab Athenaeo servata, Berolini 1814 8 mai.

§. 181.

In eadem scriptorum classe ponendi *Callinicus* Sophista, *Libanius*, *Himerius*, *Themistius* et *Iulianus* imperator, quamquam quatuor extremi Constantini M. aetate, qua temporis circuitum, in quo versamur, finivimus, paullo inferiores vixere. *Callinici* quidem, a Syria, vel Arabia oriundi, et circa 230

aerae Chr. Romae docentis, inter alia scripta exstitit *Encomium Romae* περὶ τῆς Ῥωμαίων ἀνανεώσεως, cuius *fragmenta* tantum edita sunt a *Leone Allatio* in *Excerptis variis Graecor. Sophistar. et rhetorum* p. 256. et nuper ab *Io. Conr. Orellio* ad calcem *Philonis Byzantii libelli de VII orbis Spectaculis*, Lips. 1816 8 mai.

Libanii autem Antiocheni, qui natus 314., vita decessit 386. p. Ch., praeter *Progymnasmata* s. exercitationes dicendi in tironum usum compositas, exstant *declamationes*, *orationes* in veris causis habitae, et *epistolae*. Orationum, quae propter temporum rerumque memoriam lectu digniores habentur, sunt Ἀντιοχικός, sive *laudes Antiochiae* ad Orontem, Syriae flumen, sitae, et Λόγος ἐπιτάφιος seu *parentalia in Iulianum*. — *Progymnasmata* cum *Theonis* cognomine libello Gr. et Lat. vulgavit *Ioach. Camerarius*, Basileae 1541. 8. — *Declamationes* et *Orationes* Graece cum interpret. Lat. et notis editae sunt a *F. Morello*, Paris. 1606 et 1627. II Voll. fol. — plenissime, ad codd. mss. fidem, a *Reiskio*, cum perpetua annotatione, editionem curante docta Reiskii coniuge, Altenburgi 1784. T. I. 4. iterumque octonis 1791 sqq. IV Vol. — Libanii declamationem *pro Socrate*, una cum Aristidis Leptinea, e cod. Veneto primus edidit, latine vertit et docte illustravit *Iac. Morelli*, Venetiis 1785. 8. In Socratis hanc apologiam notas criticas scripsit *Fr. Iacobsius*, quae leguntur in *Thierschii Actis philologor. Monacensium* T. II. p. 435—468 et p. 471—488. — *Epistolarum*, quum exercitationis causa, tum vere scriptarum, plenissimam editionem curavit *I. C. Wolfius*, primo Lipsiae 1711. 8. tum in *Anecdotis Graecis* T. II. et III. Hamburgi 1722 sq. postremo Amstelod. 1738 fol. Quibus, quae nondum lucem viderant, e mss. codd. nonnullas adiecit *Villoisonius* in *Anecdotis Graecis*, Venetiis 1781. II Voll. 4. *Excerpta e codice Bibl. Reg. Haun. ad nonnullas Libanii epistolas pertinentia*, cum duabus ineditis epistolis Libanii ab *O. D. Blochio* inserta sunt *Münteri* V. Cel. Miscellaneor. Hafniensium T. I. Fasc. II. pag. 139—152.

Fl. Claudius Iulianus Imp. Ro. 360—363., dictus

vulgo *Apostata*, bellica pariter atque ingenii et doctrinae laude floruit insigni, superstitionibus tamen et theurgicis Neoplatonicorum artibus nimis deditus. Supersunt eius *Orationes* ex epidictico maxime genere, *Epistolae* et *Satirae*. His annumerandus liber qui *Caesares* inscribitur, quo imperatorum Ro. qui ante eum regnaverant vitia salse perstringit, et *Antiochicus* sive *Misopogon*, contra Antiochenses scriptus, a quibus ob barbam derisus fuerat. *Epistolae* exstant LXIII., non omnes genuinae, partim ad Libanium sophistam scriptae, quem magni faciebat Iulianus, cuiusque scripta diligenter lectitabat. Princeps editio Graeco-Latina omnium operum Iuliani prodiit Parisiis 1583. 8. Dehinc *Dion. Petavius* ea edidit ibid. 1630. 4. optime vero *Ez. Spanhemius*, una cum *Cyrilli Alexandrini* contra Iulianum libris X. Lipsiae 1696. II Voll. fol. Idem *Spanheim* Iuliani Caesares *Gallice* vertit et cum doctis notis multisque numorum iconibus in aes incisis edidit Heidelb. 1660. 8. Auctior huius interpretationis editio prodiit Parisiis 1683. 4. elegantissima, Amstelod. 1728. 4. — Posthac Caesares Iuliani cum integris annotatt. aliquot doctorum viror. et selectis Spanhemii, interpretat. item Latina et Gallica, recensuit *I. M. Heusingerus*, Gothae 1741. 8. et *Th. C. Harlesius*, Erlang. 1785. 8. — Commendanda etiam orationis Iuliani in Constantii laudem editio, quam Gr. et Lat. cum animadverss. *Dan. Wyttenbachii*, eiusdemque *Epist. crit.* ad *Dav. Ruhnkenium*, suisque notis criticis instructam curavit vir doctissimus *G. H. Schäfer*, Lipsiae 1802. 8. Adde: *Dan. Wyttenbachii* Animadversiones in Iuliani Orationem primam. Pars. I. II. in Bibl. Criticae Parte IX. p. 33—75. et Parte X. p. 1—75. — Caesares et Misopogona in *Germanicum* serm. conversos cum contextu Graeco edidit *H. I. Lasius* 1770. 8. Nonnulla Iuliani opuscula *Gallice* vertit *Phil. René de la Bletterie* in *Vie de l'Emp. Julien*, Paris. 1734. Part. I. II. 12. emendat. et auct. ibidem 1746. et 1776. 12. — Plenior interpretatio est, inscripta: *Oeuvres complettes de l'empereur Julien*, traduites pour la première fois du Grec en François, accompagnées d'argumens et des Notes, et précédées d'un Abrégé

historique et critique de sa vie, par *R. Tourlet*, Paris. 1821. III Voll. 8. — Cf. *Hegewisch* historische und litterarische Aufsätze nr. VI. Kielon. 1801. 8. *Wiggersii* Diss. de Juliano Apostata, religionis Christianae et Christianorum persecutore, Rostochii 1811. 4. — *Aug. Neander* Ueber den Kaiser Julianus u. sein Zeitalter, Lips. 1812. 8. — *Dan. Wyttenbachii* Epistola Critica super nonnullis locis Iuliani Imp. Accedunt Animadversiones in Eunapium et Aristaenetum ad Dav. Ruhnkenium. Gottingae 1769. 8.

Himerii, Libanio aequalis, Prusensis e Bithynia, Sophistae et Grammatici, vitam enarravit *G. Wernsdorfius* in Prolegomenis ad edit. suam Himerii. Artem dicendi docuit Athenis, et reliquit declamationes circiter LXXV., ex quibus XXXIV fere integrae supersunt, reliquarum excerpta dedit *Photius* cod. CLXV. Utrasque e codd. mss. et apographis diligenter congestas, primus recensuit, emendavit, Latina interpretatione et commentario illustravit *G. Wernsdorfius*, professor olim Gedanensis, post cuius mortem demum, fratris eius *Io. Chr. Wernsdorfii* cura, prodiit editio Gottingae 1790. 8. Iam antea tamen *Himerii orationem, qua laudes Constantinopoleos et Iuliani Augusti celebrantur*, cum *G. Wernsdorfii* animadversionibus, ex maiore illius commentario delibatis, ediderat *G. Chr. Harlesius*, Erlangae 1784. 8 min.

Eisdem temporibus, usque ad saeculi IVti finem, Constantinopoli vixit *Themistius* e Paphlagonia; ob eloquentiam qua, ut illa aetate, excelluit *Euphrades* dictus, pueritiae Arcadii Caesaris educator. Servatae sunt *Orationes* eius et *Paraphrases librorum quorumdam Aristotelis*. Illarum, post *Dion. Petavii* editionem Parisiis 1618 4., locupletissimam (nam XXXIII orationes continet) curavit *Io. Harduinus*, Paris. 1684 fol. Accessit nuper *quarta et tricesima*, a viro eruditissimo, *Angelo Maio* in cod. Mediolan. detecta, et primum edita hoc indice: *Themistii Philosophi Oratio in eos, a quibus ob praefecturam susceptam fuerat vituperatus, Graece cum Latina editoris interpretatione, adnotationibus et praevia dissertatione.* Acc. *Eiusdem Themistii Prooemium ineditum orationis funebris in patrem cum brevibus lacunarum supple-*

mentis. Mediolani 1816. 4 et 8. Praeter argumentum modo descriptum, ab orationis XVIImae dudum editae illo haud diversum, oratio haec continet etiam laudes Theodosii M. Cf. *Ephemerides litterar. Ienenses* a. 1816. Nr. 125 sq. ubi multa et Graeci contextus et interpretationis Latinae loca egregie emendantur. — *Paraphrases librorum Aristotelis* Graece edidit *Victor Trincavellus* ap. Aldum, Venetiis 1534 fol.

Variae Lectiones in Themistii orationibus quibusdam ex cod. Monacensi *excerptae a Fr. Iacobsio* leguntur in *Fr. Goelleri* editione libri *Dionysii Halic. de compositione verborum.* Eiusdem *Iacobsii* cura repetita *orationis de praefectura*, ab *A. Maio* primum vulgatae, editio, quae in Catal. Nundin. Lipsiensium a. 1819 et sqq. inter libros propediem edendos nunciatur, an lucem viderit, incompertum habeo.

§. 182.

Epistolarum Graecarum magnus quidem numerus ad nos pervenit: sed minima earum pars, maxime antiquiorum, ab iis auctoribus profecta est, quorum prae se ferunt nomina. Cf. *Wyttenbachium* in Bibl. Crit. P. II. p. 64 sq. Pleraeque omnes commentitiae, umbratilem sophistarum et rhetorum diligentiam sapiunt, qui modo ipsi in lucubrationibus his ingenii et eloquentiae laudem quaererent, modo exercitationis causa discipulis suis iniungerent, ut clarorum virorum qui olim floruissent nomen mentiti, epistolas conscriberent, personis temporibusque, ad quae referrentur, accommodatas. Cuius generis procul dubio habendae sunt epistolae quae sub *Phalaridis*, *Anacharsidis*, *Themistoclis*, *Socratis*, *Chionis*, aliorum, nomine feruntur. Alias philosophorum scholis deberi probaliter conieceris, quum, qui disciplinae suae praecepta tradere vellent, epistolarum saepe forma uterentur, quibus, auctoritatis adiungendae causa, scholae conditorum suae nomina prafigerent. Cuius generis esse puta *Pythagorae* et *Pythagoreorum*, *Antisthenis*, *Diogenis*, et similium, quae habentur, epistolas. Collegerunt eas typisque excudendas curaverunt *Aldus Manutius* Venetiis 1499. 4. *Iac. Cuiacius* Aureliae Allobr. 1606 fol. *Lubinus* Heidelb. 1601. 8. et 1609. 4. *Leo Allatius* Paris. 1637. 4. et nuper *Io. Conr. Orel-*

lius. Vide T. I. p. 112 sq. — De universis his litteraturae Graecae reliquiis erudite disputavit *Rich. Bentleius* in dissert. *de Phalaridis epistolis*, Anglico sermone scripta ad G. Wottonum, Londini 1697. 8. et in *Apologia adversus C. Boyleum*, qui *Phalaridis epp.* Graece et Latine cum annotationibus ediderat Oxoniae 1695. 8. Quam editionem, sed commentario doctissimo auctam, cum *Bentleii* epistolis in Latinum conversis sermonem, denuo repetendam curavit *I. D. a Lennep*, operique finem imposuit *L. C. Valckenaer*, Groningae 1777. II Voll. 4. Editionem alteram correctiorem, notisque additis auctiorem nuperrime curavit *G. I. Schäferus* Lipsiae 1823. 8 mai. Tomus posterior, qui *Rich. Bentleii Dissertationem* de Phalaridis, Themistoclis, Socratis, Euripidis, aliorumque Epistolis et de Fabulis Aesopi; tum *Eiusdem Responsum* quo Dissertationem suam de Epistolis Phalaridis vindicat a censura Car. Boyle, continet, addita *Bentleii Epistola critica ad Millium*, Lipsiae 1781 recusus est octonis hoc indice: *R. Bentleii Opuscula Philologica* etc. — Sub *Chionis*, Platoni familiaris, qui a patriae suae, Heracleae, tyranno oppressus fuit, nomine XIII feruntur *Epistolae* a posteriore quodam Platonico, ut videtur, philosopho compositae, quas ad codd. Mediceos recensuit, castigavit, cum notisque edidit *I. Th. Coberus*, Dresdae et Lips. 1765. 8. Cf. *A. G. Hofmanni Prolegomena ad futuram editionem Chionis*, in Beckii Comm. Soc. Philolog. Lipsiae Vol. III. Part. II. p. 234—273. Easdem nuper, cum interpretatione Latina Io. Caselii, Graece edidit *Io. Conr. Orellius* ad calcem *Memnonis* Historiarum Heracleae Ponti, subiecta *Io. Casp. Orellii* Epistola critica in Epistolas Socraticas et Pythagoricas. Lipsiae 1816. 8 mai. cf. §. 138. — De aliarum epistolarum, ut quae sub *Platonis*, *Isocratis*, *Demosthenis* nomine feruntur, fide disceptatur.

Praeterea sophistarum aliquot, qui IVto et insequentibus saeculis floruerunt, *Epistolae* servatae sunt, ex quibus hoc loco commemoramus *Alciphronis* et *Aristaeneti* illas, ob argumenti varietatem et dictionis elegantiam commendandas. *Alciphronem* docte illustratum *Stephanus Berglerus* edidit Lipsiae 1715.

8. et *I. A. Wagnerus* cum Bergleri commentario integro, ibidem 1798. II Voll. 8. *Germanice* vertit *I. F. Herel*, Altenb. 1767. 8. *Gallice*, *de Richard*, Paris. 1785. III Voll. 12. — *Aristaeneti*, ex Bithynia rhetoris et Libanii familiaris, *Epistolas amatorias* libris II plenissime edidit *F. L. Abreschius*, cum emendatt. et coniecturis Ios. Merceri, I. C. de Pauw, d'Orvillii, Valckenarii et aliorum, Zwollae 1749. 8. supplementique instar subinde vulgavit *Lectionum Aristaenetearum* lib. II. ibid. eod. a. et *Viror. aliquot eruditor. in A. Epp. coniecturas*, *cum notis suis*, Amstelod. 1752. 8. *Novae editionis Ar. specimen* dedit doctissimus *Bastius* Vindobonae 1796. 8. idem, cuius haud multo post epistola Gallice scripta prodiit Parisiis: *Lettre critique à M. Boissonade* sur Antoninus Liberalis, Parthenius et Aristénète 1805. 8. quam Latine factam cum auctoris emendatt. et additamentis nuper edidere *Wiedeburgius* et *Schaeferus*, Lipsiae 1809. 8. cf. supra p. 101. Spes, praematura Bastii morte intercepta, ne irrita fieret, providit *Boissonadius*, vir clarissimus, cuius studio nuperrime Graece et Latine editae sunt *Aristaeneti Epistolae. Ad fidem cod. Vindobon. recensuit*, *Merceri*, *Pauwii*, *aliorum*, *notis suisque instruxit I. F. B.* Parisiis 1823. 8. mai. *Interpretationes* Aristaeneti notamus *Gallicas:* Lettres d'Aristénète, auxquelles on a ajouté les lettres choisies d'Alciphron, traduites du Grec, Londini 1739. 12. et: *L'Aristénète François* par *F. Nogaret*. Paris. 1807. III Voll. 18. — tum *Germanicam Herelii*, Altenb. 1770. 8.

Schönheyder in *Neue Bibliothek d. schönen Wissenschaften* T. V. p. 292.

§. 183.

Ad sophistarum et rhetorum huius aetatis lucubrationes referendae etiam sunt *fictae historiae*, ab earum argumento potiore *eroticae* dictae sive amatoriae, quarum primum vestigium deprehenditur in *Clearchi Solensis*, Peripatetici nobilis (§§. 118. 157.), qui Ptolemaei Lagi sive Soteris temporibus floruit, libello, *Ἐρωτικά* inscripto, quem *Athenaeus* passim laudavit

ut XII. 12. XIII. 2. 4. 6. 7.; deinde in *Fabulis Milesiis* (Τὰ Μιλησιακά) *Aristidi* cuidam *Milesio*, de cuius vita et aetate nil certi cognosci vel definiri potest, tributis. Ad *Milesiaca* haec fortasse respexisse *Ovidium* dicas his verbis (Trist. II. 443 sq.):

Vertit Aristidem Sisenna: nec obfuit illi
Historiae turpes inseruisse iocos.

Ex quo loco discimus, Aristidis librum Latinum factum esse a *L. Cornelio Sisenna*, historico et oratore Romano Syllae temporibus, de quo v. Cic. in Bruto 64. coll. *Schneidero* in Ep. crit. ad Land. p. 41. qui interpretationis huius loca nonnulla a Grammaticis, *Charisio Servio*que, laudari perhibet. Fuisse autem videtur opusculum soluta oratione compositum, quod unam vel plures historiolas amatorias contineret, in quibus *Mileti* res ageretur maxime, Ioniae quippe urbe luxu et voluptatibus diffluente. Unde narrationibus, quae in simili argumento versarentur, *fabularum Milesiarum* nomen haesisse colligas: plures enim earum auctores laudat *Photius* in Myriobiblo Cod. CLXVI. Horum autem exemplum secuti esse videntur Sophistae aliquot a secundo inde p. Ch. saeculo (maxime III—V.), ab ingenio parum felices, qui historiolas amatorias oratione rhetorice exornata, ad veterumque praestantiorum scriptorum sermonem diligenter elaborata, componerent, quae partim interciderunt, partim aetatem tulere, aliae in lucem editae, aliae in codicibus mss. hodieque latentes. Sic *Iamblichi* cuiusdam, gente Syri, a philosopho cognomine diversi, quem M. Aurelio imperante vixisse perhibent, *Babylonica* sive *Amores Rhodanis* et *Sinonis* libris XVI (secundum Suidam, XXXIX) olim exstitere, quorum *Summarium* servavit *Photius* Cod. XCIV., quod Gallice vertit et doctis notis illustratum, cum notitia litteraria de Iamblicho, edidit *Chardon de la Rochette* in *Mélanges de Critique et de Philologie* T. I. p. 18—52. p. 72—87., subiunctis ibidem minutis Babylonicorum fragmentis, quae in Lexico Suidae dispersa diligenter collegit, et quantum coniectura assequi potuit, suo quodque loco reponere conatus est. Longius quoddam Fragmentum περὶ προόδου τοῦ Βαβυλωνίων βασιλέως, quod ab Is. Vossio e cod. Florent. descriptum, sub *Adriani Tyrii*

rhetoris (§. 177. p. 164.) nomine edidit *Leo Allatius* in libro perraro: *Excerpta varia Graecorum Sophistarum*, Romae 1641. 8., nihil continere, ex quo, Babylonicorum Iamblichi, ut inscriptio in codice Florent. fert, particulam illud habendum esse, colligi possit; iudicat *Rochettius* l. l. p. 32. qui illud notis suis in Iamblichi Summarium Photianum, appendicis loco, Graece cum interpretatione Gallica subiecit p. 88—91. consentiente *I. Conr. Orellio* in *Fragmentis Adriani Tyrii* ad calcem *Philonis Byzant.* de Septem Orbis spectaculis p. 204. — Cf. *Le Beau sur un Roman Grec, intitulé les Babyloniques* in Hist. de l'Acad. des Inscr. T. XXXIV. p. 57 sqq.

Simile opus *de rebus incredibilibus quae ultra Thulen visuntur* (*Τὰ ὑπὲρ Θούλην ἄπιστα*) in XXIV libros descriptum, et *Diniae* ac *Dercyllidis* amores continens, composuerat *Antonius Diogenes*, Saec. IIItii initio probabiliter admovendus scriptor, cuius item *Summarium* legitur apud *Photium* Cod. CLXVI., cum Iamblichi illo *Gallice* versum et notis explanatum a *Chardon de la Rochette* l. l. T. I. pag. 6—17 et p. 53—71. Quae in opere hoc Diogeniano, miris narrationibus refertissimo, *de Pythagorae vita et disciplina* ex *Nicomachi Geraseni* scriptis (§. 167), ut Meinersius censet, petita, fusius relata legebantur, *Porphyrius* et *Iamblichus* in suos de Pythagorae vita libros saepe ad verbum expressa receperunt. Vide *Meiners.* Gesch. d. Wiss. T. I. p. 253 sqq. 276—281. *Chardon de la Rochette* l. l. T. I. p. 54 sqq.

Integra vero et typis expressa sunt *Heliodori Emeseni Aethiopica* sive de amoribus *Theagenis* et *Charicleae* lib. X.; *Xenophontis Ephesiaca* s. *de amoribus Anthiae et Abrocomae* lib. V.; *Achillis Tatii* (§§. 113. 172) de amoribus *Clitophontis* et *Leucippes* lib. VIII.; *Longi Pastoralia de Daphnide et Chloë* lib. IV.; *Charitonis de Chaerea et Callirrhoë* amatoriarum narrationum l. VIII.; *Eustathii* sive *Eumathii de Ismeniae et Ismenes amoribus* l. XI.; *Theodori Prodromi*, saec. XIImi scriptoris, *de Rhodanthes* et *Dosiclis* amoribus l. IX. versibus iambicis scriptum carmen inficetum; *Nicetae Eugeniani*, qui Saec. XII. vixit, carmen *de Amoribus Chariclis* et *Drosillae* in

novem cantus divisum, versuum omnino 3538 metro iambico-politico, ad imitationem Theodori Prodromi compositum, quod e codd. Bibl. Reg. Paris. et S. Marci Veneti primus nuper edidit, interpretationeque et notis instruxit vir eruditissimus *I. F. Boissonade*, Londini 1819. II Voll. 8. Eiusdem libelli plura loca iam *Villoisonius* in Animadverss. suis ad Longi Pastoralia p. 38. citaverat, Nicetam hunc *Graeculum* appellans *loquacem et inepte verbosum*, *librumque eius absurdum*, *neque dignum qui lucem videat*. Nec mutavit sententiam in *Epistola ad Chardonum de la Rochette* aliquanto post data, cuius, ut aliarum eiusdem ad familiarissimum amicum scriptarum, excerpta vulgavit *F. A. Wolfius* in Anal. Litterar. T. I. p. 408 sq.— Cf. Notices et Extraits des mss. de la Bibl. du Roi. Vol. VI. p. 223 sqq. — Nicetae Eugeniani carmen in editione *Boissonadii* modo laudata excipiunt *Fragmenta* similis opusculi a *Constantino Manasse* Chronographo Byzantino, eiusdem cum Niceta aetatis, confecti, quae in Excerptis Macarii Chrysocephali servata sunt.

Plurimorum quidem Scriptorum, quos modo excitavimus, et aetas incerta est, et vitae ratio ignoratur: sed propitia fortuna evenit, ut viri aliquot Graece doctissimi, sermonis dulcedine quadam allecti, opuscula haec, tum ab argumento tum a rerum compositione parum probanda, frequenter ederent, emendarent, doctissimis commentariis illustrarent, ac, quasi aliud agentes, ex reconditioris doctrinae scientiaeque penu multa depromerent, ad linguae et litterarum Graecarum interiorem cognitionem perquam utilia. Notemus, praeter laudatas, *Helidori* editionem quam curavit *Corayius*, Parisiis 1804. II Voll. 8. — *Achillis Tatii*, studio *Cl. Salmasii*, Lugd. Batav. 1640. 12. et *Fr. Iacobsii*, Lipsiae 1821. 8 mai. — *Longi Pastoralium*, opera *Villoisonii* Paris. 1778. II Voll. 8. *G. H. Schäferi*, Lipsiae 1803. 16. et *Courierii*, Romae 1810. 8. exemplis dumtaxat LII. impressis, cum *supplemento insignis lacunae*, in Pastoralium libri I. capite sexto dudum observatae, quod in cod. ms. coenobii M. Cassini Florentino a se primo detectum, Courierius tum editioni suae Romanae inde a pag. 19. usque ad pag. 29.

inserendum curavit, tum *interpretationi Gallicae Amyoti* denuo a se editae: *Daphnis et Chloé. Traduction complète d'après le Msc. de l'Abbaye de Florence*, Florence 1810. 8. interposuit. Ex qua *Millinus* illud recepit in Horreum Encyclop. Octobr. 1810. p. 462 sqq. Idem Fragmentum seorsum Romae 1810 impressum VII plagulis octuplicatis, cum interpretat. Latina *Amatii*, postea doctae commentationi suae *de amatoriis Narrationibus Graecorum* (*Notice sur les Romans Grecs venus jusqu'à nous*), criticis annotationibus in contextum Graecum ditatum, subiecit *Chardon de la Rochette* in *Mélanges de Critique et de Philologie* T. II. p. 107—116. — *Graece* typis etiam expressum legitur in *Intelligenzblatt der Ienaischen A. L. Z.* 1810. nr. 82. Cf. *Neue Leipziger Lit. Zeitung* 1810. p. 1418. et in *Eichstadii* V. Cel. progr. acad. *Supplementum Longi Pastoralium ex cod. Florentino nuper vulgatum, nunc diligentius editum* Ienae 1811 fol. Eodem anno prodiit *Germanico* sermone: *Longos des Sophisten Daphnis und Chloë*, Griechisch u. Deutsch, *durch Franz Passow*, Lipsiae 1811. 12. — *Xenophontis Ephesii* cura *Locellae*, Vindobonae 1796. 4. et ex recens. *P. H. Peerlcampii* Harlem, 1818. 4. — *Charitonis*, cura *D'Orvillii* Amstelod. 1750. II Voll. 4. quam editionem, suis et aliorum annotationibus auctam, recudendam curavit *C. D. Beckius*, Lipsiae 1783. 8 mai. — *Eustathium* sive *Eumathium* et *Theodorum Prodromum* Graece edidit cum interpretat. Latina notisque *Gilbertus Gaulminus*, priorem Parisiis 1618. 8. repet. a *Teuchero*, Lipsiae 1792. 8, alterum Parisiis 1625. 8. Coniunctim *Scriptores Erotici Graeci*, nempe Achill. Tat. Heliodor. Longus et Xenoph. Ephes. Gr. et Lat. editi sunt studiis Soc. Bipontinae, editionem curante *C. G. Mitscherlichio*, Argentor. ex typogr. Bipontina 1792 sqq. IV Voll. 8. — Nec defuere qui historiolas has in recentiores linguas converterent. *Gallicae* interpretationes potiores, ut *Amyoti, Larcheri*, al. collectae sunt in *Bibliothéque des Romans Grecs, traduits en Français.* Paris. 1797. XII Voll. 16. *Italicae* vero in *Biblioteca de Romanzieri Greci tradotti in Italiano.* — *Germanice* verterunt Heliodorum *I. N. Meinhard.* Lips.

1766. II Voll. 8. Achillem Tatium *Seybold*, Lemgov. 1772. 8. et *Astius* Lips. 1802. Longum (quem *Villoisonius* etiam *Gallicum* fecit, Paris. 1787. 4.) *Passovius* et *I. G. Krabinger*, Landshut 1810. 8. Idem Xenophontem Ephesium in Germanicum transtulit sermonem, Monachii 1820. 8. — Heliodori et Achillis Tatii historias amatorias inter se contendit *Michael Psellus iunior*, suae aetatis (Saec. XI.) vir litteratissimus; cuius *Iudicium de Heliod. et Ach. Tat. fabb. amat.* ex cod. Vossiano Bibliothecae Lugdunobatavae primo editum est in *Miscellan. Obss. crit. in auctores vett. et recent.* Vol. VII. T. III. p. 367 sqq. cum notis, atque hinc denuo a *Corayio* in Heliodori editione p. 78 (οη'). — Sub *Heliodori* huius nomine fertur etiam *carmen* aliquod *chemicum*, Theodosio M. inscriptum, versibus iambicis 269. quod ex apographo codicis ms. bibl. Reg. Paris. edidit *Fabricius* in B. Gr. Vol. VIII. p. 119 sqq. Harles. *Περὶ τῆς τῶν φιλοσόφων μυστικῆς τέχνης.* Sed ipsa carminis indoles atque stylus, de *Corayi* et *Rochettii* *) sententia, docet, Heliodoro Aethiopicorum auctori falso illud tribui.

P. D. Huetii liber de origine fabular. Romanensium, Hagae Com. 1682. 8. — *Paciaudi* proloquium de libris eroticis veterum, praemissum splendidae Longi editioni Parmensi typis *Bodonii*, et Lipsiensi cura Schäferi. — (*Blankenburg*) Versuch über den Roman, Lips. 1774. 8. — *Manso* über die griechischen Romane in: *Vermischte Schriften* T. II. Lips. 1801. 8. — *Chardon de la Rochette Melanges* etc. Paris. 1812. III Voll. 8. T. I. Extraits des Romans Grecs d'Antoine Diogène et de Iamblique, données par Photius dans sa Bibliothéque, et traduits du Grec, avec des Notes p. 1—91. T. II. Notice sur les Romans Grecs, venus jusqu'à nous. — *C. G. Göttlingii* Animadversiones criticae in Callimachi Epigrammata et Achillem Tatium, Ienae 1811. 8. — *P. H. Peerlkampii* oratio de Xenophonte Ephesio,

*) En huius verba in Miscellaneis crit. et philolog. T. II. p. 19. „On attribue à Héliodore un assez mauvais poëme sur la Chymie ou plutôt l'alchymie que Fabricius a publié dans sa Bibl. Graeca; mais il suffit d'en lire quelques vers pour se convaincre que le jour et la nuit ne diffèrent pas plus, que le style élégant et pûr d'Héliodore et le style rocailleux, et, comme l'appelle le docteur *Coray*, trois fois barbare, *τρισβάρβαρον*, de ce poëme."

cum Obss. criticarum in eumdem Specimine, Harlem 1806. 8. — *Io. Theoph. Kreyssigii* Obss. ad Longi Pastoralium lib. I. Fragmentum in cod. Florentino repertum Schneebergae 1813. 8.

§. 184.

Sophistarum indicem *rhetorum Graecorum* excipiet notitia: quo nomine eos hoc loco intelligi volumus, qui *dicendi scribendique artem* scriptis explicuerunt. Quorum opera quae supersunt, partim collecta, iunctim ediderunt *Aldus Manutius*, Venetiis 1508. II Voll. fol. *Leo Allatius*, Romae 1641. 8. *Thom. Galeus*, Oxoniae 1676. 8. *I. F. Fischerus*, Lipsiae 1773. 8. In his principem locum suo iure tuentur *Aristotelis de Rhetorica* libri III. quos supra laudavi §. 68. T. I. p. 126. et 129. *Rhetorica enim ad Alexandrum*, quae vulgo sub Aristotelis nomine fertur, *Anaximenem Lampsacenum*, historicum (§§. 129 et 149), Aristotelis aequalem et gratiae apud regem aemulum, habet auctorem. Vide *Spaldingium* ad Quintil. III. 4. 9. T. I. p. 455 sqq. et *Buhlium* in praefat. ad Aristotel. T. V. p. IV sqq. *). — Secundus ab Aristotele sit *Dionysius Halicarnasseus*, de cuius scriptis rhetoricis criticisque supra dixi — Neque, sive sententiarum subtilitatem spectes, sive iudicii acumen, sive exemplorum delectum, non probandus videtur auctor libelli *περὶ ἑρμηνείας* s. *de elocutione*, quem vulgo *Demetrium* quidem edunt *Phalereum* (de quo v. §§. 96. 149.), sed multis de causis inferiori assignandum esse aetati demonstrarunt critici, *Demetrium* potius *Alexandrinum* suspicati, sub M. Aurelii principatu sophistam, quem artis rhetoricae auctorem perhibet Diogenes Laërt. V. 84. Libellum hunc, rhetorum Graecor. ab Aldo, Galeo, Fischero, vulgatis operibus insertum, cum Lat. interpret. et commentario seorsum edidit *Pet. Victorius*, Florentiae 1552 et 1561 fol. *G. Morellus*, Paris. 1555. 8. *Stan. Ilovius*, Basil. 1557. 8. *Io. Caselius*, Rostoch. 1582. 8. et novissime, cum notis criticis et

*) *Philodemi* Epicurei, Ciceroni aequalis, *libros* de *Rhetorica* superstites commemoravi §. 159.

philologicis, doctaque de libelli auctore eiusque editionibus praecipuis commentatione, *I. G. Schneiderus*, Altenb. 1779. 8. cf. Bibl. Philol. T. II. Lips. 1780. 8. pag. 197 sqq.

In idem tempus, M. Aurelio imperante, incidit *Hermogenes* Tarsensis e Cilicia, scriptor eruditus et criticus sagacissimus, praecocibus annumerandus ingeniis, qui *de arte oratoria* librum bonae frugis plenissimum reliquit, in *quinque* partes, indicibus diversis, dispertitum, quarum *quatuor* inter *Rhetores Aldi*, et seorsum prodiere Gr. et Lat. cum *Io. Sturmii* scholiis, Argentor. 1570. 8. cura *Casp. Laurentii*, Genevae 1614. 8. et cum *Athanasii Parii* supplementis, Venetiis 1799. 4.; — *quinta*, quae *Progymnasmata* sive *Praeexercitamenta rhetorices* continet, inter antiquos rhetores celebratissima, a *Prisciano* autem Grammatico saec. VIti Latine versa, et *Aphthonii* commentariis illustrata, diu in deperditis libris numerabatur, donec e codice Taurinensi *) ea primus Graece edidit *Heerenius* V. Cl. in *Ineditis* Bibl. Litteraturae et artis antiq. P. VIII. IX. Gottingae 1791 sq. 8. viginti annis post recognita et Heerenii suisque notis illustrata a *Georg. Veesenmeyero* Norimb. 1812. 8., nuper denique cum Heerenii notis denuo Graece et Lat. impressa in *Prisciani Caesariensis Grammatici Operibus, ab Aug. Krehlio*, viro doctissimo, vulgatis Lipsiae 1819 sq. T. II. p. 419—459. Ceterum e quatuor illis partibus, propter oratorum deperditorum fragmenta quae continet, praeter ceteras praecipua habenda est ea quae inscribitur περὶ εὑρέσεων sive de *inventione oratoria* lib. IV. — Exstat *Scholiastes in Hermogenem* typis impressus inter Aldi Rhetores Graecos Vol. II. item *Scholia inedita Ioannis Siceliotae*, quae a Ruhnkenio Parisiis ex C. Falconeti codice descripta, et saepe posthac ab eodem citata sunt. Cf. Wolfium in Anal. Litterar. T. II. p. 521.

Praetereo *Alexandrum Numenium*, *Minucianum*, *Phoebammonem*, *Apsinem*, *Menandrum rhetorem*

*) Progymnasmata Hermogenis insunt quoque in codice Matritensi, teste Iriarte p. 154. et in codice Neapolitano.

(cuius librum *De Encomiis* Graece edidit notisque illustravit *Heerenius*, Gottingae 1785. 8), secundi et tertii saeculi omnes, quorum scripta in *Aldina rhetorum editione* reperiuntur, partim quoque (trium nempe quos primo loco posui) Gr. et Lat. edita sunt a *Laur. Normanno*, Upsaliae 1690. 8.

Quos autem rhetorum libros sub *Tiberii* rhetoris et *Anonymi* indice olim *Galeus* in *Rhetorum Selectorum* singulare volumen receptos edidit Oxoniae 1676. 8. (recusos Lipsiae 1773. 8. cura *I. F. Fischeri*); ii coniunctim nuper e codice Vaticano editi sunt hoc indice: *Tiberii Rhetoris Σχήματα sive liber de Figuris, altera parte auctior, una cum Rufi arte rhetorica.* Edidit *Io. Fr. Boissonade* Londini 1815. 8. Tiberii opusculum, quod vulgo, etiam apud Galeum, *περὶ τῶν παρὰ Δημοσθένει σχημάτων* inscribitur, in cod. Vatic. 483 autem indicem *περὶ σχημάτων ῥητορικῶν* prae se fert, in Londinensi hac editione duplo auctius prodiit. Nam apud Galeum et Fischerum *Figuras* tantum *sententiarum* XXII capitibus complectitur, caret vero altera parte, quae est *de Figuris elocutionis*, quam nunc a cap. XXIII usque ad XLVIII. e codice Vaticano, notis suis illustratam primus vulgavit *Boissonadius*. Idem, eiusdem codicis auctoritate, alteri libello *περὶ ῥητορικῆς*, apud Galeum l. l. (p. 198—213.) *Anonymi*, verum scriptoris et operis nomen, *Rufi Τέχνη ῥητορική*, praeposuit, melioresque aliquot lectiones in Graecum contextum intulit.

§. 185.

Cunctis his celebrior multo fuit *Longinus*, vel, quemadmodum pleniore dicitur nomine, *Dionysius Cassius Longinus*, natus circiter 213. p. Ch., patriae incertae, qui Alexandriae litteras et philosophiam, *Ammonio Sacca* praeceptore (§. 154.), edoctus, Athenis philosophiam artemque dicendi docuit, et *Porphyrii* fuit magister. Aetate iam provectior, in Asiam profectus, apud *Zenobiam*, Palmyrae dominam (267 p. Ch.), gratia floruit, sed, paucis annis post, ab eadem *Aureliano* imperatori, qui Palmyram ceperat, proditus, ultimum supplicium imperterrito subiit ani-

mo (p. Ch. 273.). Scripta eius philosophica, rhetorica, grammatica, historica, quae multa passim laudantur (v. Fabric. B. Gr. T. VI. p. 89 sqq.), praeter pauca fragmenta, tantum non omnia tempus delevit. Erat in his grandius quoddam criticum opus, *οἱ φιλόλογοι* i. e. *variae eruditionis studiosi*, sive *φιλόλογοι ὁμιλίαι sermones eruditi*, inscriptum, et libris certe XXI. constans, cuius, quum ingeniorum et scriptorum quamdam censuram in eo egisse videatur Longinus, iacturam fecimus non mediocrem. Atqui exstat *libri maioris pars quaedam* egregia, sed ne haec quidem integra, in qua locum *de sublimitate, περὶ τοῦ ὕψους*, a *Caecilio* Siculo, rhetore Graeco Augusti temporibus, expositum, libelli huius auctor retractat, praeceptisque et exemplis sublimitatis in poësi et eloquentia naturam et indolem subtilius ac disertius explicat ipse, ita tamen ut in orationis nimis quaesitae forma sophistarum cincinnos fucumque facile deprehendas. Opusculum hoc sive potius fragmentum, etsi a scriptorum veterum nullo excitatur, sola primorum editorum auctoritate, Longino nostro communi quodam litteratorum hominum consensu tributum esse constat. At nuper, codicibus mss. accuratius inspectis, primo *Vaticano*, altero eodem antiquissimo *Parisino*, in quibus auctoris nomen dubitanter appositum legitur sic: *Διονυσίου ἢ Λογγίνου*, *Dionysii aut Longini*; tertio denique *Florentino*, in quo indicis loco scriptum reperitur: *Ἀνωνύμου περὶ ὕψους*, *Anonymi de sublimitate*; de vero libelli auctore dubitari coeptum est ab *Hier. Amatio* et *B. Weiskio*, illumque *Dionysium* potius, sive nobilissimum *Halicarnasseum*, sive *Pergamenum*, minus quidem notum scriptorem, sed Apollodori discipulum et Caecilii aequalem, cuius, tamquam rhetorices magistri eximii Strabo meminit XIII. 4. 3., habendum esse, viri doctissimi coniecerunt: quibus haud assensus est novissimae Longini editionis infra memorandae censor Ienensis *), ipse paucis e vestigiis nova colligens coniectura, fragmentum illud *de subli-*

*) V. Ienaische A. L. Zeitung 1810. T. I. p. 554 sq.

mitate ex operis Longini supra laudati, *φιλολόγων ὁμιλιῶν*, libro XXImo probabiliter desumtum, atque hinc pristino auctori vindicandum esse. Subortas duumviris modo laudatis dubitationes infirmare etiam conatus est *C. D. Beckius* in Actis Soc. philolog. Lips. Vol. I. 1811. p. 336 sqq. et suspicionis illatae veritatem amplius inquirendam esse censuit *F. A. Wolfius* in Anal. Litter. T. II. p. 525 sq.

Princeps Graeci libelli editio prodiit Basileae 1554. 4. cura *Fr. Robortelli.* — Potiores sunt: *Iac. Tollii*, cum Latina interpret. et *Gallica Boilavii*, eiusdemque ac *Dacierii* et editoris notis, Traiecti ad Rhen. 1694. 4. — *Io. Hudsoni*, Gr. et Lat. cum notis, Oxonii 1710. 8. rec. 1718 et 1730. 8. — *Zach. Pearcii*, cum interpret. Lat. et notis, Londini 1724. 4. iterumque ibidem 1732. 8 et pluries. — *S. F. N. Mori*, cum nova interpret. Latina et notis, Lipsiae 1769. 8. ad quam accessit doctissimi editoris *Libellus animadversionum ad Longinum*, Lipsiae 1773. 8. — *Oxoniensis* cura *Io. Toupii* cum emendatt. *Dav. Ruhnkenii* eiusdemque *Dissertatione de vita et scriptis Longini* 1778. 4. et 8. quae dissertatio Lipsiensi etiam editioni mox commemorandae et *Ruhnkenii Opusculis* ed. Lugd. Bat. 1807. et Lipsiensis inserta legitur — nuperrime tandem ex recensione *Benj. Weiskii*, Gr. et Lat. cum animadverss. viror. doctor., dissertatione critica de libro *περὶ ὕψους* et *C. A. Böttigeri* Epistola, Lipsiae 1809. 8. — *Boilavii* interpretationem *Gallicam* laudavimus. *Germanicam* fecit *I. G. Schlosser* cum notis et dissertatione de Sublimi, Lipsiae 1781. 8. In *Rossicam* linguam transtulit Longinum *Martinow* Vir Illustr. in *Polonicam* nuperrime eximia spe adolescens *Iosephus Kowalewski*, Vilnae 1823. 8 min. — Sed, quum alia multa Longini scripta deperdita paullo ante tetigerim, hoc loco brevissime dicendum est de *Ruhnkenii* reperto quod, post *Wyttenbachium* in *Vita Ruhnkenii*, Lugd. Bat. 1809. recusa in *Wyttenbachii Opusculis varii argumenti*, ibid. et Lipsiae 1821. 8. T. I. p. 640 sq. cum Additamento p. 793. et *Weiskium* in praefat. ad Longinum, copiose exposuit *Fr. Aug. Wolfius* in Anal. Litter. T. II. p. 515—526. Quae enim apud *Commen-*

tatorem Hermogenis inter Aldi Rhetores Graecos T. II. p. 380., tamquam *Longini* opus, citatur Τέχνη ῥητορική, eam, initio tantum mutilam, in *Apsinis* rhetoris simili libello, qui in Aldinae rhetorum Graecor. editionis T. I. p. 682—726. legitur, inde a verbis pag. 709. περὶ ἐλέους usque ad verba οὐκ ἐφ' ἡμῖν pag. 720. detexisse sibi visus est acutissimus *Ruhnkenius*, eiusque reperti notitiam, ab Hemsterhusio monitus, in Diario Gallico, *Bibliothéque des Sciences et des beaux Arts*, à la Haye Vol. XXIV. P. I. a. 1765. p. 273. prodidit, libellumque recens detectum cum scriptis codicibus contulit, emendavit et ad editionem fere paratum reliquit moriens. Nondum tamen, his patefactis, rem ipsam plane confectam esse, animadvertit *Wolfius* l. l. p. 515 sq. et p. 525., et in chartis Ruhnkenianis vindiciarum omnino nihil et notarum fere nihil se reperisse testatus est *Wyttenbachius* a Weiskio ea de re interrogatus. Vide Wolfium l. l. p. 518.

Gerardi van Capelle Disp. *de Zenobia Palmyrenorum Augusta* Trai. ad Rhen. 1817. 8.

Post Longinum, incertum quo tempore, vixerunt *Aphthonius* Antiochenus et *Theon* Alexandrinus, uterque *Progymnasmatum* scriptor. *Aphthonii* Praeexercitamenta, ad *Hermogenis* opusculum cognomine illustrandum scripta, quum in scholis rhetoricis olim praecipuus liber haberetur, quo duce frequentibus prolusionibus ad praelia praepararent se iuvenes, quum Graece, tum Latine edita sunt, primum ab *Aldo* inter Rhetores Gr. T. I. 1508 fol., melius a *Dan. Heinsio* Gr. et Lat. Lugd. Bat. 1626. 8. et ab *Io. Scheffero*, cum notis brevibus, Upsaliae 1670. 8. adiectis *Theonis* Progymnasmatis, quae antea *Ioach. Camerarius* Gr. et Lat. vulgaverat Basileae 1541. 8. — De *Fabulis Aphthonii* XL., editis cum Progymn. apud Commelinum 1597. 8. et Parisiis 1627. 8. quid statuendum sit, significavi T. I. p. 83.

G. I. Vossii de Rhetorices natura ac constitutione et antiquis rhetoribus, sophistis et oratoribus. Lugd. Bat. 1622. 8. — *I. Hardion* Sur l'origine et les progrés de la Rhétorique dans la Grèce, in Mem. de l'Acad. des Inscr. T. XXIII—XXXVI. — *A. H. L.*

Heeren De Menandri rhetoris vita et scriptis, simulque universe de Graecorum rhetorica, dissertatio praemissa Menandri editioni supra laud. — *F. A. Wiedeburgii* Praecepta rhetorica e libris Aristotelis, Ciceronis, Quintiliani, Demetrii, Longini et aliorum, excerpta et disposita. Brunsvici 1786. 8. — *I. Ch. Th. Ernesti* Lexicon technologiae Graecorum rhetoricae cum animadverss. Lipsiae 1795. 8.

§. 186.

Quod superest, cognoscendi etiam sunt de *Graecis scriptoribus ecclesiasticis* ii, qui philosophia Graecorum, maxime Platonica, litterisque elegantioribus imbuti, vel sermonis Graeci quo usi sunt puritate et elegantia inter ceteros excellunt, vel in operibus suis, aliud agentes, antiquitatis Graecae plura capita illustrarunt, vel denique fragmentorum, quae ex scriptis deperditis servarunt, copia, litterarum Graecarum studiosis commendandi videntur. In quorum numero reponimus

1) religionis Christianae defensores: *Iustinum Martyrem*, e Syria Palaestinae, Crescentii Cynici philosophi calumniis oppressum, et M. Aurelii Antonini iussu securi percussum 165. p. Ch. — *Athenagoram* Atheniensem, philosophum Platonicum et theologum Christianum, *Legationis* (*πρεσβείας*) sive Apologiae pro Christianis, M. Aurelio Ant. et L. Vero a. 166 p. Ch. oblatae, et libri *de resurrectione mortuorum* auctorem, utriusque optime editi ab *Eduardo Dechairio*, Oxonii 1706. 8. — *Tatianum* Syrum, rhetorem et philosophum, artibus et disciplinis Graecorum diligenter excultum, S. Iustini Martyris discipulum. Quo ad supplicium rapto, Syriam repetiit, et in Mesopotamia circa a. 172. p. Ch. novam, eamque perversam, condidit sectam *τῶν Ἐγκρατιτῶν*. Eius *Oratio ad Graecos* (*Λόγος πρὸς Ἕλληνας*) pluries, cum aliis apologiis edita est a *Prudentio Marano*, Hagae Com. 1742 fol. Denique *Hermiam*, philosophum Christianum, saeculo II. exeunte florentem, cuius *Irrisio gentilium philosophorum* (*Διασυρμὸς τῶν ἔξω φιλοσόφων*) Gr. et Lat. saepe edita est, praecipue cum Tatiano cura *Guil. Worthii*, Oxonii 1700. 8. et cum aliis Apologiis a *Prudentio Marano* Hagae Com. 1742 fol.

2) *S. Irenaeum*, ortu Graecum, S. Polycarpi Smyrnae discipulum, atque ab anno 178 episcopum Lugdunensem; gravem et moderatum purioris doctrinae Christianae vindicem, et insectatorem haereseos Valentinianae: ex cuius *libris quinque contra haereses* scriptis *Graece* liber *primus*, et *reliquorum* non nisi *fragmenta* exstant, quae cum *Latina omnium librorum interpretatione*, antiquissima quidem, sed semibarbara, parum fida, nec ab ipso Irenaeo, ut videtur, confecta, ediderunt *Erasmus Roterod.* Basileae 1526 fol. *Nicol. Gallasius*, Genevae 1570 fol. *I. E. Grabius*, Oxoniae 1702 fol. et *Ren. Massuetius*, Parisiis 1710 fol. Adde *Irenaei Fragmenta anecdota* ex cod. Taurinensi eruta, Latine versa, et evulgata a *Chr. M. Pfaffio*, Hagae Com. 1715. 8. rec. Lugd. Bat. 1743. II Voll. 8.

3) *T. Flavium Clementem* presbyterum *Alexandrinum*, saec. IIdo et IIItii initio, patrum ecclesiae doctissimum, qui ex doctrina scriptisque veterum auctorum argumenta pro veritate doctrinae Christianae diligenter collegit. Ex libris, quos confecit, praecipue memorandi sunt *Protrepticus*, *Paedagogus* et *Stromatum* i. e. *Miscellaneorum* libri VII. varia eruditione repleti. Opera Clementis primum Graece edita Florentiae, curante *P. Victorio*, 1550 fol. Optime ab *Io. Pottero*, Oxoniae 1715 fol. rec. Venetiis 1757. II Voll. fol. Nuper prodiit *Κλήμεντος Ἀλεξανδρέως λόγος τίς ὁ σωζόμενος πλούσιος Clementis Alex.* liber *quis dives salutem consequi possit*, perpetuo commentario illustratus a *Car. Segaario*, Ultrai. ad Rhen. et Londini 1816. 8 mai.

4) *Origenem* Alexandrinum, Clementis Alex. et Ammonii Saccae discipulum (185—253, p. Ch.), cuius *Hexapla* i. e. Variarum S. Scripturae Vet. Foed. interpretationum recensionem, et *libros octo contra Celsum*, philosophum Epicureum memorare sufficit; *illa* optime odita a *B. de Montfaucon*, Parisiis 1714. II Voll. fol. *hos*, primum Gr. et Lat. a *D. Hoeschelio*, Augustae Vindel. 1605. 4. deinde a *G. Spencero*, Cantabrig. 1658 et 1677. 4. *Opera Omnia* Gr. et Lat. studio *Car. Delarue*, Parisiis 1733—1759. IV Voll. fol.

recusa, sed sine commentariis, cura *Oberthürii*, Würzburgi 1785 sqq. XV Voll. 8.

5. et 6) *S. Basilium Magnum*, et singularem amicum eius, *S. Gregorium Nazianzenum*, ex Cappadocia utrumque, oratores et poëtas Christianos insignes saeculi IV. quorum opera, prioris, studio *Iul. Garnieri*, Paris. 1721 sqq. III Voll. fol., posterioris, ex interpret. *Fed. Morelli*, Paris. 1630. II Voll. fol. et interprete *Iac. Billio*, Venetiis 1753. II Voll. fol. optime edita sunt. E multis, quas *S. Basilius* scripsit, *homiliis* praecipue laudem meruit oratio XXIV. *Πρὸς τοὺς νέους ὅπως ἂν ἐξ Ἑλληνικῶν ὠφελοῖντο λόγων. Ad adolescentes de Graecorum libris cum fructu legendis*, seorsum frequenter edita (cf. Harlesii Brevior Notitia Litteraturae Graecae p. 728 not.) novissime a *Fr. Guil. Sturzio*, Gerae 1791. 8. — De *Gregorii Nazianz.* dramate Christiano quod *Χριστὸς πάσχων* inscribitur, num Gregorio Naz. tribuendum sit, post *Valckenarii* censuram in praef. ad Euripidis Hippolytum p. XI. quaestionem proposuit *Eichstadius* in progr. Acad. Ienae 1816. 4. vulgato.

7) *Ioannem Chrysostomum*, Antiochiae in Coelesyria natum 354 p. Ch. et a *Libanio* arte dicendi eruditum, eiusdem saeculi oratorem Christianum celeberrimum, cuius opera omnia edidit *B. de Monfaucon* Paris. 1718—1738. XII Voll. fol. — Venetiis 1780. XIV Voll. 4.

8) Denique *Nemesium* episcopum *Emesenum* in Phoenicia circa a. 370. cuius librum *de natura hominis*, post edit. Antverp. (1565) et Oxoniensem (1671.), ex VII. codd. mss. denuo et multo emendatius Gr. et Lat. edidit, et animadversiones adiecit *C. F. Matthaei*, Halae 1802. 8. In *Germanicum* sermonem primus vertit, cum multis annotationibus et commentariis, *Osterhammer*, Salzburgi 1819. 8 mai.

TABVLA

SCRIPTORVM GRAECORVM.

Qui a CONSTANTINI M. *inde temporibus* VSQVE AD IMPERII BYZANTINI FINEM *innotuerunt.*

324—1453 AERAE CHRISTIANAE.

§. 187.

I. HISTORICI.

Post Aelianum (§. 141) scriptores aliquot res gestas litteris mandarunt, de quorum operibus *fragmenta* solum exstant apud *Photium* et in *Excerptis de legationibus* quae edidit *Dav. Hoeschelius*, Aug. Vindel. 1603. 4. et *Phil. Labbeus* inseruit *Protreptico* suo *de Byzantinae historiae scriptoribus*, Parisiis, 1648 fol. *Herennium* dico *Dexippum*, aetatis tertiae historicis annumerandum; nam sub Claudii Gothici (268—270 p. Ch.) principatu vixit, e cuius *Chronicis* reliquiae nonnullae in Excerptis quae diximus servatae sunt. — *Eunapium*, saec. Vti initio, Sardianum e Lydia, sophistam Neoplatonicorum superstionibus imbutum et Christianis inimicissimum, qui *Dexippi* historias continuavit usque ad Honorii et Arcadii tempora (c. 400 p. Ch); cuius operis fragmenta itidem in *Excerptis de legationibus* leguntur; eumdem auctorem libri non contemnendi, *de vitis philosophorum et sophistarum* illius temporis, quem primum Gr. et Lat. edidit *Hadr. Iunius*, Antverp. 1568. 8. pleniorem vero et emenda-

tiorem *H. Commelinus*, Heidelbergae 1596. 8. quae editio, sed admodum vitiose, repetita est Genevae 1616. 8. Nova a Wyttenbachio iam nunciata (Bibl. Crit. P. XII. 1808. p. 106 sq.), superiore anno prodiit hoc indice: Eunapii Sardiani Vitae Sophistarum et Fragmenta historiarum ex recensione *I. Fr. Boissonade*. Acc. Annotatio *Dan. Wyttenbachii*. Editio nova. Berolini 1822. 8 mai. cf. D. Wyttenbachii Epist. Crit. ad Ruhnkenium in Eius Opusculis T. I. p. 42—52.

Tertius est *Olympiodorus* Thebanus, circa a. Ch. 425. "Ὕλης historicae lib. XXII. ab Honorii et Theodosii II. regno (407. p. Ch.) usque ad Valentinianum III. (425.), auctorem, cuius excerpta a *Photio* cod. LXXX. servata, Graece cum interpret. Lat. et notis primum edidit *Frid. Sylburgius* in *Scriptoribus historiae Rom. minoribus* T. III. p. 853. dein Gr. et Lat. interprete *Andr. Schotto*, *Phil. Labbeus* in Eclogis historicorum de rebus Byzantinis. — Eodem saeculo historias scripsere *Priscus*, sophista et rhetor, eiusque continuator *Malchus*; saeculo *sexto* autem *Petrus* gente Illyrius, *Menander*, *Theophanes Byzantius*, hisque paullo superior aetate *Hesychius Milesius* sive *Illustris*, sub Iustini et Iustiniani principatu, scriptor *Chronicorum* a Beli Assyrii temporibus usque ad Anastasii imp. mortem (518 p. Ch.), ex quibus fragmentum *de originibus et rebus patriis Constantinopoleos* servavit *Georgius Codinus*, infimae aetatis scriptor Byzantinus. Eidem Hesychio debemus libellum *περὶ τῶν ἐν παιδείᾳ διαλαμψάντων σοφῶν* sive *de viris doctrina claris*, e Diogenis Laërtii vitis philosophorum maxime excerptum, qui primum Gr. et Lat. vulgatus est Antverpiae 1572. 8. dein cum animadverss. *H. Stephani* ad calcem Diog. Laërtii 1594 et 1615. 8. tum a *Meursio* in *Hesychii Opusculis* Gr. et Lat. Lugd. Bat. 1613. 8. et in I. Meursii Operibus ed. Florent. T. VII. p. 201. Utrumque libellum ab Io. Conr. Orellio denuo recognitum nuper accepimus, hoc indice: *Hesychii Milesii* Opuscula duo quae supersunt, I. De hominibus doctrina et eruditione claris. II. De originibus urbis Constantinopoleos; Et Card. *Bessarionis* Epistola de educandis filiis Ioannis Palaeologi lingua Graeca vulgari scripta. Graece et Latine. Recognovit,

notis Hadr. Iunii, H. Stephani, Iac. Meursii, Petri Lambecii, Gis. Cuperi, F. I. Bastii, aliorumque et suis illustravit *Io. Conr. Orellius*. Acc. Anonymi scriptoris Latini Topographia urbis Constantinopolitanae cum notis Guidonis Pancirolli et C. G. Heynii pars Commentationum de antiquitatibus Byzantinis, quae ad Hesychium illustrandum pertinet. Cum Indicibus necessariis. Lipsiae 1820. 8 mai.

Integriores multo exstant *Zosimi*, fisci Comitis sub Theodosio II. medio circiter saeculo V., *historiarum Romanarum libri VI.*, ab Augusti temporibus usque ad a. 410. in quibus Dexippum et Eunapium potissimum secutus est, veritatis studio, iudicii acumine, causarum decrescentis imperii Romani subtili indagatione, denique orationis puritate atque perspicuitate, historicorum meliores aequiparans. Ab ipso auctore bis editum opus hoc videtur: nam quod habemus, *ἡ νέα ἱστορία*, sive, Photio teste, *ἱστορία τῆς νέας ἐκδόσεως* inscripta est. Plura tamen sub finem libri VIti, quae temporum, quibus ipse Zosimus interfuit, historiam complectebantur, excidisse docet *Heynius* in annotatt. Reitemeieri editioni subiectis, nisi auctorem opus imperfectum reliquisse statuere malis. In editione *principe* duo tantum priores libri Gr. et Lat. ab *H. Stephano* editi sunt cum Herodiano 1581. 4. et Lugduni 1611. 8. Quatuor reliqui postea detecti a *Frid. Sylburgio*, una cum I. et II. Graece cum interpret. Lat. Leunclavii vulgati sunt inter *Scriptores historiae Rom. minores* T. III. Francof. 1590 fol. Melior est editio *Christoph. Cellarii* cum Lat. interpr. Leuncl. et notis varior. Cizae 1679. 8. rec. Ienae 1713. 8. cui longe tamen praestat novissima *I. F. Reitemeieri* studio, cum interpret. Lat. notis crit. et commentario, subiectis ad calcem animadverss. nonnullis *C. G. Heynii*, Lipsiae 1784. 8. Premissa est editoris disquisitio erudita in Zosimum eiusque fidem, aetatem, vitam etc.

Denique servata est *Iulii Pollucis* cuiusdam, scriptoris Christiani, aetatis incertae, *historia physica de mundi fabrica ex Genesi et sequentibus chronicis*, ab orbe condito usque ad Valentis imp. principatum (364—377 p. Ch.), nuper demum e codd. mss. in lu-

cem protracta, et Gr. et Lat. edita ab *I. B. Bianconio*, latente auctoris nomine, Bononiae 1779 fol. et hoc adiecto, ab *Ignat. Hardtio*, Monachii et Lips. 1792. 8.

§. 188.

Qui iam sequuntur a saeculo *sexto* inde *scriptores Byzantini*, aut *chronica*, saepe a mundi primordiis usque ad sua tempora condiderunt, aut *imperii Byzantini historias*, tum generaliores, tum certi temporis, reliquerunt; aut *antiquitates Byzantinas*, Urbis memorabilia, aulae munia et officia ritusque aulicos et ecclesiasticos exposuerunt. Quorum omnium scriptorum seriem exhibent *Scriptores historiae Byzantinae* editi cura *Phil. Labbei*, *Claudii Maltraitii*, *Car. Annib. Fabrotii*, *Car. Du Fresne Du Cangii*, *Iac. Goarii*, *Franc. Combefisii*, *Petri Possini*, *D. Petavii*, *Leonis Allatii*, *Ism. Boullialdi*, *Io. Boivini*, *Anselmi Bandurii*, Parisiis 1647—1711. XXXI Voll. fol.; quae editio Parisina, sed serie multo immutata, et minus accurate recusa, sed *Ios. Genesii* (640), *Io. Malelae* (Saec. IX), aliorumque scriptis historicis et topographicis aucta, prodiit Venetiis 1729—1733. XXVIII Voll. fol. Postea accessit *Corporis hist. Byzantinae nova appendix*, Romae 1777 fol.; *Georgii Phranzae* (Saec. XV.) *Chronicon rerum Byzantinarum* studio *Fr. C. Alteri*, Vindobonae 1796 fol.; tum nuperrime *Leonis Diaconi* Historia, de qua paullo post dicam. Cum Parisina editione coniungendum *Phil. Labbei Protrepticon de Byzantinae historiae scriptoribus*, Parisiis 1648 fol. Scriptorum notitiam litterariam exhibent *Mart. Hankii* liber *De Byzantinarum rerum scriptoribus Graecis*, Lipsiae 1677. 4. — *Fabricii* Bibl. Gr. Vol. VII. p. 518 sqq. Harles. et *Meuselii Bibl.* historicae Vol. V. Pars I. p. 108—302. — *Epitomen* Byzantinorum laudabili studio et multo labore confecit *I. G. Stritterus* in libro qui inscribitur: *Memoriae populorum, olim ad Danubium, Pontum Euxinum, paludem Maeotidem, Caucasum, mare Caspium, et inde magis ad septemtriones incolentium, e scriptoribus historiae Byzantinae erutae et digestae*, Pe-

tropoli 1771 sqq. IV Voll. 4. — Scriptorum Byzantinorum praecipuos, ut *Procopium*, *Agathiam*, *Menandrum* cet. *Gallice* vertit *Lud. Cousin*, hoc indice: *Histoire de Constantinople, depuis le regne de Iustin, jusqu'à la fin de l'empire, traduite sur les originaux Grecs*, Paris. 1672—674. VIII Voll. 4. rec. Hagae Com. XV Voll. 12. — Temporis notationem in scriptoribus his expedire conatus est *Phil. Krugius*, vir doctissimus, in libro qui inscribitur: *Kritischer Versuch zur Aufklärung der Byzantinischen Chronologie*, Petropoli 1810. 8.

§. 189.

Praecipui saltem huius ordinis scriptores accuratius cognoscendi sunt. In his ante omnes quum ingenio tum scribendi arte insignis *Procopius*, Caesareae in Palaestina natus, Belisario in expeditionibus comes datus a Iustiniano imp., ab eodem in senatum lectus, et urbi praefectus 562 p. Ch., reliquit: 1) *historiarum sui temporis* lib. VIII., in quibus bella, a Byzantinis imperatoribus contra Persas, Vandalos, Mauros Gothosque intra 482—552 gesta, persequitur. 2) *Κτισματα* sive *de aedificiis* Iustiniani auspicio conditis vel restauratis lib. VI. 3) *Ἀνέκδοτα* sive *historiam arcanam*, ancipitis fidei opus, a nonnullis Procopio abiudicatum, in quo Iustiniani et Belisarii laudes, quibus *Historiae* eius refertae sunt, retractantur, ac Theodorae maxime imperatricis flagitia revelantur. Quae Procopii opera, Gr. et Lat. optime edita notisque illustrata a *Claud. Maltreto*, Parisiis 1662. II Voll. fol., deinde in scriptt. byz. corpus recepta sunt Venetiis 1729 fol. Seorsum *historias* edidit *Dav. Hoeschelius*, Aug. Vindel. 1607 fol. — *Anecdota*, *Io. Eichelius*, Helmstad. 1654. 4. *Germanice versa* cum notis *I. P. Reinhardii*, Erlang. 1753. 8. cf. *Menagiana* T. III. Paris. 1715. 12. pag. 255 sqq.

Historiam universalem usque ad tempora sua condidit *Zonaras* saec. XII. post a. 1118. cuius *Annales*, veterum maxime scriptorum, quos verbo tenus exscripsit, auctoritate pollentes, Gr. et Lat. edidit se-

orsum *Hier. Wolfius*, Basil. 1557 fol. et *Car. du Fresne du Cange*, Paris. 1686. II Voll. fol.

Zonarae chronicon ab a. 1117 usque ad a. 1203 libris XIX. continuavit *Nicetas Acominatus*, post 1206 vita defunctus, cuius historiam edidit idem *Wolfius*, Basil. 1557 fol. et *C. A. Fabrotius*, Paris. 1647 fol. — *Nicephorus Gregoras* saec. XIV. reliquit *historiam Byzantinam* libris XXXVIII. ex quibus quatuor et viginti de rebus gestis ab a. 1204. usque ad a. 1351. in lucem editi sunt ab *Hier. Wolfio*, Basil. 1562 fol. melius ab *Io. Bovino* Paris. 1702. — Denique *Laonicus* sive *Nicolaus Chalcondyles* et *Io. Ducas*, uterque circa 1470. clarus, quorum historias, extrema imperii Byz. tempora complectentes, edidere *Fabrotius* Paris. 1660 fol. et *Ism. Bullialdus* ibid. 1649 fol.

Inter *chronographos* commemorandi *Georgius Syncellus* eiusque continuator *Theophanes*, circa Caroli M. tempora 800 p. Ch. Prioris *Chronographia ab Adamo usque ad Diocletianum* (284 p. Ch.) multa deperditorum scriptorum, ut Berosi, Manethonis, Iulii Africani, Eusebii, excerpta continet, et cum *Nicephori* Patriarchae CPolitani 758. *Breviario chronographico* edita est ab *Iac. Goar*, Paris. 1652 fol. rec. Venetiis 1729 fol. Cf. *Bredowii* ad F. A. Wolfium *Epistola de Georgii Syncelli Chronographia e codd. Paris. supplenda et emendanda* — in *Epistolis Parisiensibus* Lipsiae 1812. 8. p. 153 sqq. — *Iohannes Malelas* circa a. 900. cuius *historia chronica* ab orbe condito usque ad imp. Iustinianum edita est cum interpret. et notis *Edm. Chilmeadi*, *Hodii* dissertatione et *Rich. Bentleii ad Io. Millium epistola*, Oxonii 1691. 8. — *Georgius Cedrenus* circa 1057, qui *Annales* ab O. C. usque ad Isaacum Comnenum (1057.) reliquit, Gr. et Lat. editos a *Guil. Xylandro*, Basil. 1566 fol. — *Michaël Glycas*, incertae aetatis scriptor *Annalium* ab O. C. usque ad a. 1118. qui Gr. et Lat. editi cum notis *Phil. Labbei* Paris. 1660 fol. — His continuo subiungimus *Chronicon paschale* sive *Alexandrinum*, quod etiam *Fastorum Siculorum* nomine laudatur, farraginem historico-chronologicam ex variis scriptoribus collectam a tribus auctoribus ignotis, usque ad a. 1042. Graece illud edidit, latine vertit et

Dionysii Halic., Dionis Cassii aliorumque historiis continens, e *codice Peiresciano* primum vulgatus est ab *Henr. Valesio* cum interpret. Lat. et notis. Paris. 1634. 4. unde mos obtinuit, ut Excerpta haec simpliciter dicantur *Peiresciana* sive *Valesiana*, priora autem, *Hoescheliana*.

Nicephorus Bryennius Caesar, Annae Comnenae, filiae Alexii Comneni Imperatoris, maritus, saec. XIIma ineunte *Comnenorum historiam* ab *Isaaco*, primo ex hac gente imperatore, usque ad *Alexium* socerum suum (1037—1081.) descripsit, editam a *P. Possino* (Poussines) ad calcem *Procopii*, in edit. Paris. Corp. Byzant. Vol. VIII. 1661 fol. rec. Venetiis Vol. VII. T. I. cum *Car. Du Fresne* notis historicis et philolog. in Nicephorum. — *Alexii* autem, parentis sui vitam resque gestas *Anna Comnena*, Bryennii uxor, ingenio et doctrina clarissima, scriptorumque et sibi aequalium et posteriorum facile princeps, cuius *Alexiadem* libris XV. cum *Hoeschelii* notis in Corp. Hist. Byz. Vol. XIII. edidit *P. Possinus*, Paris. 1651 fol. recus. cum *C. Du Fresne* animadverss. in Corp. Script. Byz. Venet. Vol. XI. T. I. 1729 fol. — Ad Annam Comnenam scribendi arte proxime accedit paullo iunior aetate *Iohannes Cinnamus*, qui *Iohannis* et *Manuelis Comnenorum* historiam usque ad a. 1176 libris IV. persecutus est, cum notis vulgatam a *Corn. Tollio*, Trai. ad Rhen. 1652. 4. et a *Car. Du Fresne* Parisiis 1670 fol. rec. in ed. Veneta Corp. Byz. Vol. XI. T. II. 1729 fol. Cf. *Fred. Wilkenii* Commentatio: *Rerum ab Alexio I., Ioanne, Manuele, Alexio II. — gestarum libri IV.* Heidelbergae 1811. 8.

His nuper accessit *Leo Diaconus*, Caloë, urbe ad Tmolum montem in Lydia sita, a parentibus Christianis ortus circiter 950 aerae Christ., et Constantinopoli educatus. Cuius *Historiam rerum Byzantinarum sub Impp. Romano iuniore, Nicephoro Phoca* et *Iohanne Tzimisce* (959—975.) Illustrissimi Comitis *Nicolai a Rumiancow* M. C. I. R. munificentia adiutus, e cod. ms. bibl. Reg. Paris. primus edidit *C. B. Hase*, vir clarissimus, sexto eiusdem historiae libro iam ante a se vulgato in Vol. VIIIvo *Excerptorum* s. Extraits des Mss. de la Biblioth. Imp. et Recueil de

Mémoires sur différens Mss. Grecs. de la Bibl. Imp. — Inscriptus liber est: *Leonis Diaconi Caloënsis Historia Scriptoresque ad res Byzantinas pertinentes. E. Bibl. Regia nunc primum in lucem edidit, versione Latina et notis illustravit Car. Bened. Hase*, Parisiis, Argentorati et Lipsiae 1819. folio. Leonis Historiae addita sunt *tria alia opera*: 1) E quatuor libris mss. *Περὶ παραδρομῆς πολέμου De velitatione bellica*, opusculum antea nondum editum auctoris iguoti, scriptum 976. sub Basilio et Constantino Impp., in quo docetur, quomodo bellum in montanis regionibus Ciliciae gerendum sit. 2) *Fragmentum Historiarum Ioannis Epiphaniensis*, quo narratio de fuga Cosrois ad Mauritium Imp. Byzantium, eiusque restitutione per Narsen continetur, scriptum circa 600. 3) *Theodosii Monachi Epistola Graeca de expugnatione Syracusarum* a. 880.

Denique *de antiquitatibus Constantinopoleos ritibusque tum aulae tum ecclesiasticis*, praeter *Procopium* et *Constantinum* in libris ante laudatis, egit *Georgius Codinus*, Urbis expugnationi (1453) superstes, in libro *De officialibus palatii Constantinopolitani et officiis magnae ecclesiae*, edito cura *P. Iac. Goarii*, Paris. 1648. fol.

§. 191.

Huic aetati etiam suppar fuit *Georgius Gemistus Pletho* Constantinopolitanus, qui decessit a. 1459., et, praeter alia multa opera, scriptam quoque reliquit *historiam Graecorum* a pugnae ad Mantineam temporibus (Olymp. CIV. 2.) usque ad Philippi Macedonum regis mortem (Ol. CX. 4.), ex Plutarchi Vitis Parallelis et Diodori Siculi Bibliotheca maxime compilatam, quam primus vulgavit *Aldus* Venetiis 1503 fol., et nuper *H. G. Reichardus* cum notis, Lips. 1770. 8. Eiusdem *Gemisti* et *Mich. Apostolii* Orationes funebres duas, in quibus *de immortalitate animi* exponitur, e cod. Vratislav. primus edidit *G. G. Füllebornius* Lipsiae 1793. 8. De alio *Georgii Gemisti* libello qui inscribitur *De virtute eiusque partibus*, supra dictum est §. 134. p. 63.

Commemoranda etiam hoc loco *Topographia Chri-*

stiana, i. e. descriptionis universi mundi ex mente Christianorum libri XII. cuius auctor fertur *Cosmas* quidam cognomine *Indicopleustes*, mercator Alexandrinus circa a. 540., qui itineribus in terras longinquas confectis, cosmographiam ad Ptolemaei systema geographicum refellendum scripsit; Graece et Latine editam a *B. Montfauconio* in *Novae Collectionis Patrum Graecorum* T. II., eique inseruit *Monumenti Adulitani*, Ptolemaeo Euergetae I. in Aethiopum civitate maritima *Adule* erecti, descriptionem. Cf. Fabric. B. Gr. Vol. IV. p. 251 sqq. Saxii Onom. T. I. p. 112-116. et *Phil. Buttmanni*, viri doctissimi, commentatio Germanice scripta: *Ueber die Echtheit des Adulitanischen Monuments*, in: *Museum der Alterthums Wissenschaft*, T. II. p. 105—158. Cui dissertationi ipsa monumenti descriptio Graeca, cum tabula in aes incisa, subiecta est p. 159—166. — Ad eumdem *Cosmam* refertur *Plantarum* et *Animalium Indiae descriptio*, quam *N. M. Thevenotus* e cod. Florentino *Graece* cum interpret. *Gallica* edidit in *Relation de divers Voyages curieux* Part. I. Parisiis 1666.

Nec silentio praetereunda sunt *Nicephori Blemmidae* Byzantii, Patriarchae CPolitani designati 1255 *duo opuscula geographica*, de quibus edendis iam olim *Lucas Holstenius* et *Io. Hudsonus*, nuper autem *Bredowius* (v. Epp. Paris. p. 43. et 63.) cogitarunt, quaeque post Bredowii mortem praematuram ex eius apographo codicis Regii Parisiensis Nr. 1414. primus edidit *Spohnius*, hoc indice: *Nicephori Blemmidae Duo Opuscula Geographica. E codice ms. Paris. nunc primum edidit, Varias Observationes et Figuras Geographicas adiecit Frid. Aug. Guil. Spohn.* Acc. *Index in Casp. Barthii libros* CLXV—CLXXX *Adversariorum ineditos* Lipsiae 1818. 4. Iterum edita sunt cum *Dicaearchi* et *Hannonis* reliquiis a *Guil. Manzi*, Romae 1819. 4. Cf. §. 104 extr. T. I. p. 219. Opusculorum autem quae libro hoc continentur *alterum* inscribitur *Γεωγραφία συνοπτική* p. 5—18. fere secundum carmen Dionysii Periegetae, quod tamen saepe non intellexit bonus Nicephorus; *alterum*: *Ἑτέρα ἱστορία περὶ τῆς γῆς ἐν συνόψει — πρός τινα βασιλέα ὀρθόδοξον*, duo fragmenta e Geographia ma-

thematica, a pag. 18—21. De aliis eiusdem Nicephori scriptis editis vide *Harlesium* in Breviori Notitia L. Gr. p. 605.

Henr. Arentii Hamakeri Oratio de Graecis Latinisque Historicis medii aevi ex Orientalium fontibus illustrandis. Leovardiae 1816. 4 mai.

Denique addendi sunt *historiae ecclesiasticae scriptores Graeci*, quorum ordinem ducit *Eusebius* (264-340 p. Ch.). Hunc deinceps exceperunt *Socrates* (nat. 380.), *Sozomenus* et *Theodoretus* saec. V., *Euagrius* saec. VI. Quorum integra opera servata sunt editaque seorsum ab *Henr. Valesio* et *Guil. Readingio*; tum in Corpore Scriptor. hist. eccles. Graece cura *Rob. Stephani*, Paris. 1544 fol. Graece vero et Latine Amstelod. 1695. III Voll. fol. Nova *Patrum Graecorum* editio nuperrime inchoata est, cuius *primo* volumine continentur *Eusebii Pamphili Ecclesiasticae Historiae libri X. nec non Constantini Oratio ad Sanctos et Panegyricus Eusebii, Graece et Latine. Ad fidem optimorum libror. edidit, selectam lectionis varietatem notavit, indices adiecit Ern. Zimmermann.* Francof. ad Moen. 1822. 8 mai. — Aliorum, ut *Philostorgii*, qui a. 425 floruit, et *Theodori*, centum circiter annis iunioris, non nisi *fragmenta* habemus, edita cum *Theodoreti* et *Euagrii* hist. eccles. a *Guil. Readingio*, Cantabrig. 1720 fol.

§. 192.

II. PHILOSOPHI.

Quum a tertio inde p. Ch. saeculo Cynicorum, Epicureorum, Stoicorum et Scepticorum scholae florere desiissent, philosophiae studia a solis *Pythagoreis*, *Platonicis* et *Aristotelicis* celebrata fuere, qui, maxime Pythagorei et Platonici, post *Ammonium Saccam* (§. 154.), ad unam *Neoplatonicorum* scholam confluxerunt. In his, praeter *Iulianum* Imp., de quo ante diximus, maxime eminet *Proclus*, vulgo *Lycius* et *Διάδοχος* i. e. *Successor* dictus, natus Constantinopoli p. Ch. 412. Is, Alexandriae primo litteras

edoctus, Athenis *Syriani*, philosophi Neoplatonici (cuius exstant *Commentarii in Aristotelis Metaphysicorum libros aliquot*, ex interpretat. Latina *H. Bagolini* editi Venetiis 1588. 4. item *Commentarii in Hermogenis rhetoris librum περὶ στάσεων*, in *Rhetorum Graecorum Vol. II.* Venetiis 1509 fol.) discipulus, et in schola, a *Plutarcho*, Nestorii filio, condita, successor, unde *Diadochi* nomen accepit, ibidem vita decessit 485 p. Ch. Librorum quos confecit magnam partem tempus delevit, alii adhuc inediti in codd. mss. latent. Eorum autem, qui lucem viderunt, potiores sunt: 1) *In Platonis theologiam* libri VI. Gr. et Lat. editi ab *Aemilio Porto*, Hamburgi 1618 fol. praemisso *Marini de vita Procli* libello, et addita *Procli Institutione theologica*, quam nuper ex cod. ms. restitutam edidit *Fr. Creuzerus* ad calcem *Procli et Olympiodori Commentariorum in Platonis Alcibiadem I.* Francof. ad Moen. 1819. 8. 2) *In Euclidis Elementorum primum librum Commentariorum* libri IV. Graece editi Basileae 1533 fol. (cf. §. 164) in *Anglicum* sermonem conversi a *Thoma Tayloro*, Londini 1788. II Voll. 4. 3) *Sphaera*, liber ex Gemini Elementis Astronomiae (§. 170. p. 136.) compilatus, editusque saepe cum aliis similis argumenti libellis, ut inter *Astronomos veteres Graecos et Latinos* cura *Aldi*, Venetiis 1499 fol.; cum *Cleomede* (§. 170.) Gr. et Lat. a *M. Hoppero*, Basileae 1561. 8. cum *Ptolemaeo de hypothesibus planetarum*, ab *Io. Bainbridge*, Londini 1620. 4. 4) *Hypotyposes astronomicarum positionum*, Graece editae Basil. 1540. 4. 5) *Paraphrasis in quatuor Ptolemaei libros de siderum effectionibus* Gr., Basil. 1554. 8. cura *Phil. Melanchthonis.* 6) *In Platonis Timaeum Commentariorum libri V.* Graece editi cum *Platone*, Basil. 1534 fol. 7) Excerpta e *Chrestomathiae grammaticae lib. II.*, quae *Photius* servavit cod. 239., seorsum edita. a *Frid. Sylburgio* cum *Apollonii libris de Syntaxi* Francof 1590. 4. et ab *Andr. Schotto*, Hanoviae 1615. 4. sed nunc insigniter aucta ex codd. Escurialensi et Veneto; quae additamenta praeclara, *Heynii* notis illustrata, vulgavit *T. C. Tychsenius* in *Ineditis* Bibl. Litterat. et art. ant. P. I. et nuper *Imm. Bekkerus* cum *Tzetzae Antehomericis* etc. Berolini

1816. 8. 8) *Hymni* hexametris scripti, ab Homericis et Orphicis hactenus diversi, quod preces continent pro mentis purgatione, pro animi corporisque salute et incolumitate, a vitiis et sceleribus puritate, et peccatorum venia; in quibus philosophorum Neoplatonicorum placitis imbutum facile agnoscas. Horum *quatuor*, in *Solem*, *Venerem* et *Musas*, dudum in lucem editi fuerant, primum Graece cum *Orpheo*, Florentiae 1500. 4. deinceps saepe repetiti ab Aldo, Lectio, Oleario, etiam a *Brunckio* in *Analectis* T. II. p. 441 sqq.; *duo*, alter in *Hecaten* et *Ianum*, alter in *Minervam Polymetin*, nostra memoria e codice Matritensi accessere, vulgati ab *Iriarte* in Catal. codd. Gr. bibl. Matrit. T. I. p. 88. et castigatius cum commentario in *Ineditis* Bibl. litterat. et ant. P. I. II. 9) Librorum et Commentariorum Procli antea non editorum nonnulli nuper lucem viderunt, hoc indice: *Procli, philosophi Platonici, Opera. E codd. biblioth. Reg. Paris. nunc primum edidit, lectionis varietate, interpretatione Latina, commentariis illustravit Victor Cousin*, T. I. continens *tria* opuscula, *De Libertate*, *De Providentia* et *De Malo*. T. II. III. *Commentarium Procli in primum Platonis Alcibiadem.* T. IV. *Duo priores libros Commentarii in Platonis Parmenidem* cum interpretatione Latina *A. H. Gogarae*. Parisiis, Argentor. et Lips. 1820 sq. 8. Ex Commentario Procli in Platonis Alcibiadem I. iam antea disputationem περὶ ἑνώσεως καὶ κάλλους s. *De Unitate et Pulchritudine* e cod. Lugdunensi primus vulgaverat *Fr. Creuzerus* ad calcem libri *Plotini De Pulchritudine* p. 73.—126. tum *integrum* commentarium in Alcibiadem I. una cum *Olympiodori* illo Francof. 1819. 8.— Denique *Excerpta ex Procli Scholiis in Cratylum Platonis* e codd. mss. edidit *Io. Fr. Boissonade*, Lipsiae 1820. 8.

Procli vitam enucleate et luculenter enarravit eius discipulus et in schola successor Athenis, *Marinus*, Flavia Neapoli in Palaestina ortus, quam post principem editionem Turicensem 1558. cum interpretatione Latina notisque edidit *I. A. Fabricius*, Hamburgi 1700. 4., nuper vero ad fidem (quinque) codd. mss. denuo recensuit, additis annotationibus *Io. Franc.*

Boissonade, Lipsiae 1814. 8 mai. Contextus est Fabricianus, saepe emendatus. Insunt Fabricii Prolegomena, Interpretatio Latina et Annotationes. Notis suis editor doctissimus inseruit nonnulla *anecdota*: 1) *quinqae epistolas breviores Dionis*. 2) *Secundam orationem Procopii Gazaei*. (Primam continent Villoisonii Anecdota Graeca). 3) *brevem libellum de physiognomia*. 4) *Fragmentum epistolae Diogenis ineditae* ex XXII Epp. eiusdem Diogenis pariter ineditis. — Praeterea *Marini* exstat *Introductio sive Commentarius* in *Data Euclidis*, editus cum *Datis* a *Claudio Hardy*, Paris. 1625. 4.

§. 193.

Sub idem tempus, quamquam aetate paullo superior, floruit *Synesius* Cyrenensis, *Hypatiae* discipulus, philosophus Platonicus, idem orator ac poëta, et Ptolemaïdis episcopus ab a. 410. Multa scripta reliquit. In primis memoranda est cultissima *Oratio de regno*, habita ad Arcadium Imp. a. 399. Porro *Epistolae* CLV. et *Hymni decem* lyrico metro scripti. *Synesii Opera quae exstant omnia* Graece et Latine edidit *Dion. Petavius* Lutetiae 1612 fol. rec. 1631. 1633. et 1640 fol. — Cum Proclo vixit etiam, circa 450, *Hierocles* Alexandrinus, qui Aristotelicae scholae placita cum Platonis decretis coniungere studuit, et, praeter libros nonnullos *de providentia*, *de fato*, alios, quorum *excerpta* servavit *Photius*, et, cum *excerptorum epitome*, ab anonymo quodam facta, fragmentisque apud *Stobaeum*, Graece edidit *Io. Pearson*, Londini 1673. 8., *Commentarium in Aurea Carmina*, Pythagorae vulgo adscripta, reliquit egregium, de quo dixi T. I. p. 74. quemque post *Needhamium*, cum *Bentleii* et *Dawisii* notis edidit *R. Warrens* Londini 1742. 8. *Germanicè* vertit *I. G. Schulthess*, Tiguri 1778. 8. *Anglice W. Rayner*, Londini 1797. 8. — Praeterea *Hieroclis*, nescio cuius, feruntur *Ἀστεῖα* sive *Facetiae*, non admodum facetae, sed satis insulsae narratiunculae, quas, post alios, plenius ediderе notisque illustrarunt *Iac. de Rhoer* in Observatt. philologicis, Groningae 1768. 4. *Io. Ad. Schierius*, Lipsiae 1750. 8. et *I. F. Heynats*, Berolini 1774. 8.

Hieroclis Alexandriae, sub Anastasio, discipulus fuit *Aeneas Gazaeus* circa 490., sophista et rhetor Christianus, cuius exstat *Theophrastus sive de Animarum immortalitate et corporum resurrectione dialogus*, Gr. et Lat. editus cura *Io. Wolfii*, Tiguri 1560 fol. et cum notis *Casp. Barthii*, Lips. 1655. 4. item *Epistolae XX*. Graece editae in Corpore Epp. Aldino et Genevensi. Cf. *Greg. G. Wernsdorfii Disputatio de Aenea Gazaeo*, Naumburgi 1816. 4.

Damascii, qui, philosophis Neoplatonicis ab Iustiniano Imp. expulsis, eorumque schola, quae Athenis erat, sublata, ad Chosroëm, Persarum regem, migravit, et circa 549. floruit, ab aliis, Peripateticis, ab *Iriarteo*, Suida auctore, Stoicis annumeratus, — non nisi *Fragmenta*, e libro περὶ ἀρχῶν; e *vita Isidori*, magistri sui, aliisque scriptis servata sunt, partim edita ab *I. Chr. Wolfio* in *Anecdotis sacris et profanis*, Hamburgi 1722 sqq. IV Voll. T. III. p. 195 sqq. et ab *Iriarteo* in Catal. codd. Gr. Matrit. p. 330 sqq. Cf. Harlesius ad Fabric. B. Gr. T. III. p. 484.

Denique *Olympiodori*, philosophi *Platonici*, saeculo, ut putant, *sexto* clari, exstant *Commentarii in nonnullos Platonis dialogos*, ut in *Phaedonem*, *Philebum*, *Alcibiadem priorem*, de quibus vide §. 191. et T. I. p. 120 sq. *Addenda* p. 225. — et *Vita Platonis*. Cf. T. I. p. 120. — Non miscendus ille cum *Olympiodoro Thebano*, historico, de quo supra dixi §. 187. nec cum *Olympiodoro Alexandrino*, philosopho Peripatetico circa 565. cuius supersunt Commentarii in *Aristotelis libros* IV. *Meteoron*, Graece editi Venetiis 1551 fol.

§. 194.

Aristotelici enim aeque ac Platonici huius temporis aliud fere nihil egerunt, nisi hoc, ut scripta antiquiorum, scholaeque quam ipsi probarent conditorum, interpretarentur, commentariisque satis prolixis enuclearent. Aristotelis philosophiae et operibus operam hanc navasse videmus saeculo IV. primo *Dexippum*, Iamblichi discipulum, circa a. 335., *Quaestionum in Categorias* libris III. auctorem, quae adhuc

tantum *Latine*, *Io. Bern. Feliciano* interprete, prodierunt. *Graeci* operis specimen *Iriarte* edidit in Catalogo Mss. Bibl. Matrit. p. 274 sqq. Cf. Harlesii Brev. Notitia Litterat. Gr. p. 464. — deinde *Themistium Euphradem* (§. 181), tum *Ammonium*, *Hermeae* filium, et Procli discipulum, saeculo V. exeunte clarum, cuius supersunt *Commentarii* Graeci *in Aristotelis Categorias et librum περὶ ἑρμηνείας*, atque in *Isagogen Porphyrii*, de quorum edd. v. Harlesii Introd. T. II. p. 392 sq. et Brev. Notit. p. 517 sq.

Ammonii huius discipuli fuere *Iohannes Philoponus*, grammaticus et philosophus Alexandrinus circa a. 535. *), de cuius *Commentariis in Aristotelis libros* Graece editis v. Harlesium l. l. p. 410 sq. et in Brev. Not. p. 537 sq. — et *Simplicius* Cilix, post a. 549., qui, *Iustiniano* imperante, una cum Damascio praeceptore suo ad Persarum regem confugit, indeque rediit, doctissimus *Aristotelis* et *Epicteti* interpres. *Commentarii* eius in *plures Aristotelis libros* cum ipsis Stagiritae operibus Graece editi sunt in aedibus Aldi, Venetiis 1526 fol. et Basil. 1551 fol. Sed vide nunc *Peyronum* in *Empedoclis et Parmenidis Fragmentis*, Lipsiae 1810. 8. (§. 48. T. I. p. 77.), ubi simul agitur de genuino contextu Graeco *Commentarii Simplicii in Aristotelis de caelo et mundo* librum. Commentarius autem in *Epicteti Enchiridion*, liber praeclarus, primum prodiit Venetiis 1528. 4. deinde cum Lat. interpret. *Hieron Wolfii* et animadverss. *Cl. Salmasii*, Lugd. Bat. 1640. et nuper optime editus est a doctissimo *Schweighäusero*, Lips. 1800. II Voll. 8. (Vide supra §. 159 sub fin.) Cf. *I. Th. Buhlii* Commentatio de Simplicii vita, ingenio et in philosophiam Aristotel. meritis, in Ephemer. Litter. Gotting. 1786. p. 1977.

Post longum temporis intervallum Aristotelicam philosophiam scriptis explicandam sibi sumsit *Michael Psellus iunior*, CPolitanus, cuius aetas in saec. XI. incidit (natus est 1020; obiit post 1105.), et, praeter

*) Alii tamen centum circiter annis post vixisse eum arbitrantur.

alia multa scripta, exstant aliquot libri super rebus philosophicis parum philosophici, quorum indices et editiones, post Fabricium, refert Harlesius in Introd. T. II. p. 491. et in Brev. Notit. p. 582 sqq. Cf. *Leonis Allatii De Psellis et eorum scriptis Diatriba*, inserta Bibl. Gr. Fabricianae Vol. Vto vet. ed. Xmo p. 41—97. ed. Harles. — Post hunc *Eustratius*, metropolita Nicaenus, qui circa a. 1117. floruit, *Commentarium in Ethica Aristotelis* reliquit, qui cum aliis Graece primum editus est a *Paulo Manutio* Venetiis 1536 fol. Cf. Fabricii B. Gr. Vol. III. p. 264 sq.

In aliquo numero etiam habendus *Theodorus Metochita*, magnus Logotheta, sub finem saec. XIII. et ineunte XIV florens Constantinopoli, vir doctus, ut illa aetate, et puriore, quam maxima aequalium pars, usus stylo. E multis, quae reliquit, scriptis, lucem videre 1) Interpretatio Latina *Paraphrasis* eius *aliquot librorum Aristotelis* Graece scriptae. 2) Opus vulgo inscriptum Ὑπομνηματισμοὶ καὶ Σημειώσεις γνωμικαί, cuius primum *aliquot capita* e codd. mss. partim edita fuerant ab *Io. Blochio* cum annotatt. Hafniae 1790. 8., partim ab *Io. Conr. Orellio* ad calcem *Supplementi ad editionem Fragmentorum Nicolai Damasceni*, Lips. 1811. 8. (§. 133.); nuperrime caput CXVItum *de Theopompo historico*, cuius partem *Muretus* (Var. Lectt. VII. 17.) Latinam fecerat, e cod. Cizensi saec. XVI. Graece vulgaverat *Chr. Godofr. Müllerus* in *Notitiae ac Recensionis codd. mss. qui in biblioth. episcop. Naumburgo-Cizensis asservantur* Particula V. Lipsiae 1813. 8. Idem de inscriptionis universi operis, in CXX capita dispertiti, veritate merito dubitans, librum, auctore Reinesio et Fabricio, *Capita philosophica et historica miscellanea*, inscribi mavult. In quo integro edendo occupatus, quum anno 1819., quo minus inceptum perficeret, praematura morte impeditus esset, biennio post prodiit editio hoc indice: *Θεοδώρου τοῦ Μετοχίτου Ὑπομνηματισμοὶ καὶ Σημειώσεις γνωμικαί Th. M. Miscellanea philosophica et historica Graece. Textum e Cod. Cizensi descripsit, lectionisque varietatem ex aliquot aliis codd. enotatam adiecit M. Chr. Godofr. Müllerus. Editio auctoris morte praeventa*, cui praefatus est *M. Theoph.*

Kiessling, Lipsiae 1821. 8. Operis ipsius autem, male scripti, materia varia et multiplex est, cuius quae ex priscis scriptoribus de populorum ac civitatum historia afferuntur loca, tum de Graecis scriptoribus, ut de Platone, Xenophonte, Aristotele, Plutarcho, Iosepho, Philone, iudicia, haud egent commendatione. 3) Praeterea sub Theodori Metochitae nomine fertur *Historiae Romanae a Iulio Caesare ad Constantinum M. liber singularis.* Quem *Io. Meursius* primus vulgavit et in linguam Latinam transtulit, additis notis, Lugd. Bat. 1618. 4. Sed spurium esse, nec nisi *Michaëlis Glycae* (§. 189 sub fin.) *Annalium* libri tertii initium, ab integro operis corpore divulsum, docuit *I. Lamius* in praefat. ad Vol. VIImum Operum Meursii p. IX. Cf. *I. Bodenburgii* Comm. *de Theodori Metochitae scriptis νοθείας insimulatis*, in Miscellaneis Lipsiens. T. XII. p. 20 sqq. — Cum Theodoro hoc coniungendus est *Georgius Pachymeres*, Niceae natus circa 1242, historiae Byzantinae inde ab a. 1258 ad 1308 continuator, cuius item *Paraphrasis in totam Aristotelis philosophiam* in bibliothecis mss. adhuc servatur, partibus nonnullis in lucem editis. Vide *Harlesium* in Notit. brev. Litterat. Gr. p. 609 sq.

§. 193.

III. Neque *poëseos studium* prorsus iacuit. Immo exstitere poëtae nonnulli, ut illis temporibus, satis probabiles, quos Homeridarum praecipue et Cyclicorum lectio assidua ad simile quid tentandum incitaret. Ante alios memoretur *Quintus* (*Κοΐντος*), vulgo *Calaber* dictus, rectius a credita patria *Smyrnaeus* dicendus, cuius *aetas quarto saeculo exeunti vicina* esse videtur; carmen autem historicum, versu heroico compositum, et in XIV libros descriptum, quod reliquit, *Παραλειπόμενα Ὁμήρῳ* i. e. *Praetermissa ab Homero* inscribitur, quo belli Troiani historia, cyclicorum poëtarum studiis olim celebrata (T. I. §. 28.) *ab Hectoris inde interitu*, in quo Ilias substitit, *usque ad reditum Graecorum* pertexitur. De cuius carminis virtutibus et vitiis v. *T. C. Tychsenium* V. Cl. in docta disputatione *De Quinti Smyrnaei Paralipomenis*

Homeri, Gottingae 1783. 8.; idem vir eruditissimus, cui, post *Aldi*, *Rhodomanni* (Francof. 1614. 8.), *Pawii* (Lugd. Bat. 1735. 8.) studia, nuperrimam poëtae huius editionem debemus, Argentor. 1807. 8. Carminis interpretationes nuper prodiere, *Gallica* prosaria *Tourleti*, Paris. 1803. II Voll. 8. *Italica*, versu scripta a *Paulo Tarenghi* Vilnae 1807. II Voll. 8. Idem *Latinae* metricae specimen vulgavit Romae 1800. 8. quam postea Vilnae absolvit totam, sane dignam quae aliquando lucem adspiciat.

Franc. Spitzneri Mantissa Observationum criticarum et grammaticarum in Q. Smyrnaei Posthomericorum libros XIV. — ad calcem libri eiusdem auctoris *De versu Graecorum heroico*, Lipsiae 1816. 8. — *Eiusdem* viri docti Progr. *Observationum criticarum* in Qu. Sm. Posthom. Pars I. II. 1818. — *K. L. Struvii*, viri doctissimi, progr. scholast. *Kritische Bemerkungen zum Qu. Sm.* Königsb. 1816. item 1817. et 1822. 8. — *Chr. Ern. Glasewaldii* Coniectanea in Qu. Sm. Paralip. Homeri. Vitebergae 1817. 8.

Eiusdem aetatis habenda sunt *Argonautica*, Orphei nomen mentita (T. I. p. 10.); carmina astrologica *Maximi* et *Pseudo-Manethonis* quorum mentionem feci §. 129. p. 53. §. 173. p. 143; tum anonymi illud *De viribus herbarum Deo alicui consecratarum*; quod cum *Dioscoridis* scriptis primus Graece edidit *Aldus*, Venetiis 1518. 4. deinde cum interpret. Lat. et notis *Io. Rendtorfii*, *I. A. Fabricius* in Bibl. Gr. Voll. II. p. 629 sqq. vet. ed., cuiusque auctorem, adhuc incertum, Kollarius et Fabricius esse putant *Rufum Ephesium*, de quo dixi §. 175. p. 148. Cf. Harlesius ad Fabric. B. G. T. IV. p. 360. et in Brev. Notit. L. Gr. p. 336 sq.

§. 196.

Successit *Nonnus*, natus Panopoli, Aegypti urbe, quem saeculi *quinti initio* floruisse probabile fit, binorum carminum versu heroico auctor, alterius mythici, libris XLVIII., quod ab argumento potiore *Dionysiaca* sive *De Bacchi rebus gestis* inscripsit, alterius, postquam Christianorum sacris initiatus erat, compositi, quod *paraphrasin poëticam Evangelii S.*

Iohannis exhibet. *Illud*, omnis generis fabularum largissimum fontem, nuper subtiliore iudicio examinavit *Nic. Schowius* in comment. *de indole carminis Nonni eiusdemque argumento*, Hafniae 1807. 4. tum *I. A. Weichertus* in comm. *De Nonno Panopolitano*, Vitebergae 1810. 4. et carminis partem, ab octavo libro usque ad XIII. Graece edidit cum commentario mythologico *G. H. Moserus*, praemissa comm. de Nonni vita, ingenio et scriptis. Heidelb. 1809. 8. Aliam carminis particulam e libro XV. a versu 170—422. vulgavit *Fr. Graefius* V. Cl. hoc indice: *Νόννου τοῦ Πανοπολίτου τὰ κατὰ Ὕμνον καὶ Νίκαιαν Des Nonnos Hymnos u. Nikaia*, Petropoli 1813. 4. Integri poëmatis editio princeps, admodum vitiosa, curata est a *Gerardo Falkenburgio*, Antverpiae 1569. 4. (secundum alios 1579 vel 1597.). recusa, cum interpretat. Latina prosaria *Eilhardi Lubini*, Hanoviae 1605. 8. et, adiectis *Petri Cunaei* animadversionibus, *Dan. Heinsii* diss. de Nonni Dionysiacis, atque *Ios. Scaligeri* Coniectaneis, ibidem 1610. 8. Cf. Fabric. B. Gr. Vol. VIII. p. 601 sqq. Novam instituit *Fr. Graefius*, cuius primum volumen, libros XXIV. priores complectens, iam prodiit Lipsiae 1819. 8 mai. hoc indice: *Nonni Panopolitae Dionysiacorum libri XLVIII. suis et aliorum coniecturis emendavit et illustravit Fr. Graefe. Vol. I. libros I—XXIV complectens*; *secundum*, reliquos XXIV libros exhibiturum, exspectatur. — *Gallicae* interpretationis, quae inscribitur: *Les Dionysiaques ou les voyages, les amours et les conquestes de Bacchus aux Indes; traduites du Grec de Nonnus Panopolitain*, Paris. 1625. 8. auctor est *Boitet*. — *Paraphrasin Evangelii S. Iohannis* optime edidere *Fr. Sylburgius* ap. Commelin. 1596. 8. et *Dan. Heinsius* in libro qui inscribitur *Aristarchus sacer* Lugd. Bat. 1627. 8.

Nonnos von Panopolis der Dichter. Ein Beitrag zur Geschichte der griechischen Poësie von dem *Staatsrath von Uwaroff*, mit Anmerkungen von *Fr. Graefe*. St. Petersburg. 1818. 4.

§. 197.

Nonnum, qui, *Hermanno* iudice *), nova heroici versus forma inventa, epicam poësin, a veteri elegantia aliquantum deflexam, quodammodo instaurasse videtur, secuti et, numerorum certe ratione, imitati sunt: *Naumachius*, cuius *Monita Nuptialia Γαμικὰ παραγγέλματα*, hexametris LXXIII scripta, *Brunckius* inter Gnomicorum poëtarum Graecorum Carmina p. 122. recepit (In edit. Tauchnitz. Lips. 1815. 12. pag. 98—100); alii etiam versiculi *in vituperationem divitiarum* exstant. Vide *Harlesium* ad Fabricii B. Gr. T. I. p. 727. not. ii. — *Proclus Lycius*, *Hymnorum* auctor, cuius paullo ante inter philosophos memini — *Musaeus* vel quicumque auctor fuerit carminis epici *de amoribus Herus et Leandri*, cuius indolem et editiones supra attigi T. I. p. 12 sq. — *Tryphiodorus* et *Coluthus*, uterque ex Aegypto et, uti coniicere licet, saeculo VI. sub Anastasio florens: prior carminis epici *de Troiae excidio* (*Ἰλίου ἅλωσις*) auctor, quod una cum Coluthi et Quinti Smyrnaei illis a *Bessarione*, Constantinopoli Florentiam ad concilium Florentinum iter faciente, Casólis repertum, et cum Coluthi carmine, et separatim Graece et Latine editum notisque illustratum est a *Feder. Iamotio*, Lutetiae 1557. 8. optime vero ab *Iac. Merrickio*, cum interpretat. metrica *Nicod. Frischlini* et selectis notis, Oxonii 1741. 8. et a *Th. Northmore* ibid. 1791. 8. Quibus nuper accessere binae *Lipsienses* editiones, altera splendida et emendatior ap. Tauchnitzium, cura *G. H. Schaeferi* 1808 fol., altera hoc indice: *Tryphiodori Excidium Ilii. Cum Iac. Merrickii et G. H. Schaeferi annotationibus integris, aliorum selectis, suisque maximam partem criticis et grammaticis edidit F. A. Wernicke. 1819. 8 mai.* — Adde *Chr. Fr. Graefii Observationes criticas in Tryphiodorum* Petropoli 1817. 4. — Posterior, *Coluthus*, Tryphiodoro, ut videtur, aequalis, poëmatii *De raptu He-*

*) In Dissert. *de Aetate scriptoris Argonauticorum* p. 689 sq. et in Obss. de Graecae linguae Dialectis I. p. X.

lenae (*Ἑλένης ἁρπαγή*) conditor, quod cum Quinto Smyrnaeo et Tryphiodoro primum Graece editum est apud *Aldum* (1521) octonis, melius vero ab *Io. Dan. a Lennep*, Leovardiae 1747. 8. cum animadversionum eruditarum libris III.; ad quam editionem *Harlesius* adornavit suam (cum Aristophanis Pluto), Norimb. 1776. 8. Idem illustravit carmen hoc IV prolusionibus academ. Erlangae, 1775 sqq. Nuper vero prodiit *Coluthi Raptus Helenae ex recensione Imm. Bekkeri*, Berolini 1816. 8. critica editio, e codice Mutinensi facta, eodem, ex quo *Theognidis ἀνέκδοτα* paullo ante ediderat Bekkerus (Cf. T. I. p. 46.). Qua editione contextus carminis Coluthei valde corruptus et mutilus pluribus in locis restitutus, et novis versibus auctus et suppletus est. Vide Censuram Halensem (A. L. Z.) 1816. Nr. 173. — *Fr. Graefii Coniecturae in Coluthum et Musaeum* Petropoli 1818. 4.

Christodorus, cuius *Statuarum descriptio* hexametris composita in *Anthologia* legitur T. II. p. 456 sqq. ed. Brunckii. — T. III. p. 161 sqq. ed. Iacobsii.

Iohannes Gazaeus, incertae aetatis poëta, cuius *tabulae cosmicae ἔκφρασις* versibus iambicis CXXVI. Graece exstat in *Iani Rutgersii* Var. Lectt. lib. II. c. 7. pag. 95.

Paulus Silentiarius, sub Iustiniani principatu circa 562., *epigrammatum LXXXII* haud inelegantium, et *carminis in thermas Pythicas* auctor, quae in *Anthologia* Iacobsii leguntur T. IV. p. 41 sqq. Carmen hoc olim *Latine* versum est a *Claudio Anchantero* in libro rarissimo qui inscribitur: *Pauli Silentiarii Hemiambia dimetra catalecta in thermas Pythicas Latine facta carmine epico. Accesserunt luculentissimae annotationes, brevis item non minus utilis quam iucunda de Thermis dissertatio et nonnulla poëmata eiusdem authoris.* Venetiis 1586. 12. Cf. *Millini* Annales Encyclopédiques 1817. T. V. p. 263 sq. Nostra autem memoria idem carmen *latinis versibus* reddidit, addita animadversione, *Hieron. de Bosch* in suis Poëmatibus, Trai. ad Rusen. 1803. 4 mai. *Graece* vero e cod. Brunsvic. edidit *G. E. Lessingius* in libro, *Zur Geschichte u. Litteratur* Parte I. p. 135 sqq. Cf. Leipz. Litt. Zeitung 1800. p. 2108. Eiusdem Pauli

Silentiarii *duo* alia carmina exstant in codice Anthologiae Palatino, alterum *Templi S. Sophiae CPolitani* descriptionem exhibens: *Ἔκφρασις τοῦ ναοῦ τῆς ἁγίας σοφίας*, et codicis dicti primas XXXX paginas complens, quod ex apographo Cl. Salmasii edidit *Du Cangius* ad calcem *Ioannis Cinnami* in Corp. hist. Byz. Parisini Vol.. XIII. 1670. p. 497 sqq. (Edit. Venet. Vol. XI. T. II.). Alterum, prioris descriptionis ultima non nisi pars habenda, in codice Palatino cum hac legitur inscriptione: *Τοῦ αὐτοῦ ἔκφρασις τοῦ Ἄμβωνος κ. τ. λ.* Insignem hanc particulam, quae ultra septem codicis paginas implet, seorsum edidit *Imm. Bekkerus* hoc indice: *Pauli Silentiarii Ambo.* Ex cod. Palatino Anthologiae descripsit Imm. B. Berolini 1815. 4. *Utrumque* cum *Ioannis Gazaei Ecphrasi* nuperrime vulgavit *Graefius*, ita inscriptum: *Παύλου Σιλεντιαρίου Ἔκφρασις τῆς μεγάλης ἐκκλησίας καὶ τοῦ Ἄμβωνος καὶ Ἰωάννου γραμματικοῦ Γάζης Ἔκφρασις τοῦ κοσμικοῦ πίνακος. Pauli Sil. Descriptio magnae ecclesiae et Ambonis, et Ioannis Gazaei descriptio tabulae mundi. Ex apographo anthologiae Graecae Gothano recensuit D. Fr. Graefe*, Lips. 1822. 8 mai.

Leontius Scholasticus et *Macedonius*, Pauli Silent. aequales, quorum *epigrammata* satis culta exstant in Anthologia Iacobsii T. IV. p. 73 sqq. et p. 81 sqq.

Georgius Pisides, poëta Christianus circa a. 630., qui praeter *historica opera*, iambicis versibus conscripta editaque in *Appendice nova historiae Byzantinae* cura *P. F. Foggini*, Romae 1777 fol., reliquit *carmina iambica de mundi opificio* et de *vanitate vitae*, Graece et Latine edita a *Feder. Morello*, Lutetiae 1584. 4. rec. Heidelbergae 1596. 8. tum duplex *in templum Deiparae*, insertum Fabricii B. Gr. T. VIII. p. 615. ed. Harles.

§. 198.

Iohannes Tzetzes circa a. 1150. sub Manuelis II. Comneni principatu, versificator et grammaticus, ut illa aetate, litteratissimus, qui magnum librorum vincta et soluta oratione compositorum numerum reliquit, ex quibus lucem adspexerunt 1) *Chiliades* sive

Variarum historiarum libri VI. *versibus politicis*, Graece et Lat. editi ad calcem *Lycophronis*, Basileae 1546 fol., tum in *Lectii* Corp. poëtar. Graecorum, Genevae 1614. T. II. p. 274. 2) *Carmen iambicum de filiorum educatione.* 3) *Scholia in Hesiodi Carmina.* 4) *Scholia in Lycophronem* e veteribus Grammaticis excerpta, quae sub *Isaaci Tzetzae*, fratris eius, nomine vulgata sunt (cf. §. 110. p. 9 sq.). 5) *Allegoriae* mythologicae, physicae et morales, versibus scriptae, editae et notis illustratae a *Feder. Morello*, Paris. 1616. 8. — 6) *Iliaca* sive carmen de rebus Troianis, versu hexametro, in tres partes descriptum, *Antehomerica*, *Homerica* et *Posthomerica*, cuius plenissima editio cum notis *Frid. Iacobsii* prodiit Lipsiae 1793. 8. et nuper ex recensione *Imm. Bekkeri*. Acc. *Excerpta ex Chrestomathia Procli*, Berolini 1816. 8. — 7) *Exegesis in Homeri Iliadem*; quam e cod. ms. primus edidit *Godofr. Hermannus* ad calcem *Draconis Stratonic. libri de Metris*, Lipsiae 1812. 8. Cf. §. 126. p. 45. Ex *ineditis* Tzetzae libris, qui in codd. mss. adhuc latent, memoramus *Scholia* eius in *Oppiani Halieutica* et *Allegorias Homericas* ad Irenen Augustam, Manuelis Comneni uxorem, versibus politicis, spissum opus et ineptum.

Theodori Prodromi, eiusdem aetàtis *) versificatoris, cuius narrationem *de Rhodanthes et Dosiclis* amoribus supra inter eroticorum scriptorum opera commemoravimus (§. 183), etiam alia plura scripta, edita atque inedita, vincta atque soluta oratione, innotuere, ut *Galeomyomachia*, Graece edita cum *Batrachomyomachia*, inter Homerica carmina vulgo relata, ab *H. Ch. Borheckio*, Lemgov. 1789. 8., et ab *Ilgenio* cum Hymnis Homericis, Halae 1796. 8. — *Dialogus de expulsa amicitia*, iambicis versibus, Graece editus, interprete *Conr. Gesnero*, in *Maittairii* Miscellan. Graec. aliquot Scriptt. Carminibus, Londini 1722. 4. pag. 92. — *Poëmatia minora*, Graece, Basil.

*) *Chardon de la Rochette*, in Mélanges de Crit. T. II. p. 93, saeculi XI*mi* initio eum admovet, manifesto errore. Nam Alexium Comnenum, sub cuius imperio eum vixisse ponit, ab a. 1081—1118 regnasse constat.

1536. 8.; Gr. et Lat. cum notis *Ier. Erarti*, Lipsiae 1598. 8. — Alia edidit, quum *Epistolas*, tum *Orationes* et *Carmina*, vir clarissimus *Dutheil* in Notices et Extraits des Mss. de la Bibl. Impér. de Paris Vol. VI. p. 525 sqq. Vol. VII. Part. II. p. 244.

Denique *Manuel Philes*, Ephesius, qui saec. XIV. sub Michaële et Andronicis Palaeologis floruit, et, praeter iambicos versus *de animalium proprietate* (in quibus ex Aeliani Historia Animalium profecisse videtur), saepe editos, novissime ab *Io. Corn. de Paw*, cum animadverss. et Lat. interpretat. *Bersmanni*, Trai. ad Rhen. 1730. 4, plura minora poëmatia composuit, quae partim emendatiora, partim e mss. codd. primus edidit *Gottlieb Wernsdorfius*, praemissa comment. de Philae vita, aetate et scriptis, Lips. 1768. et Gedani 1773. 8. Cf. *Chr. Fr. Matthaei* in Commentar. Soc. philolog. Lips. Vol. I. p. 181. *Camus* in Notices et Extraits des Mss. de la Bibl. Nationale. Paris. T. V. Nr. 37. — Fortasse etiam, ad similitudinem longioris carminis de animalium proprietate, aliud *de plantis* carmen condidisse videtur *Birg. Thorlacio*, propter tria Carmina inedita, quorum primum, *Rosa* inscriptum, primus *Thorlacius* ad calcem libelli sui *De Manuele Phile Iambographo Graeco*, Hafniae 1813. edidit, eique aliad subiunxit, pariter ineditum, sed *satyricum*, quod *Anus lasciva* inscribitur, centum versibus. Vide *Millini* Magazin Encyclop. 1814. T. VI. p. 221.

§. 199.

IV. Cognoscendi saltem sunt *Rhetores* et *Sophistae* aliquot Christiani, ut *Severus Alexandrinus*, rhetor Graecus circa a. 470., *Ethopoeiarum* sive *ethicarum allocutionum* scriptor, quas auctiores edidit vertitque *Leo Allatius* in *Excerptis variis Graecorum Sophistarum et Rhetorum*, Romae 1641. 8., deinde *Thom. Galeus* ad calcem Demetrii Phalerei, Oxoniae 1676. 8. rec. cura *I. F. Fischeri*, Lips. 1773. 8. p. 208. Eiusdem *Severi sex Narrationes* e cod. ms. primus vulgavit *Iriarte* in Bibl. Matrit. Codd. Gr. p. 461 sqq. — porro *Dionysius Antiochenus*, Aeneae Gazaeo ae-

qualis, saec. V*to* exeunte. — *Procopius Gazaeus* circa 520. eiusque discipulus *Choricius*, quorum supersunt *Epistolae* et *Declamationes*. Vide Harlesium in Introduct. T. II. p. 396. 402. et 421. *Procopii Panegyricum in Anastasium Imp.* e cod. ms. biblioth. S. Marci Graece edidit et notis illustravit *Villoisonius* in *Anecdotis Graecis* II. p. 28 sqq. Aliam eiusdem orationem nuper in lucem emisit *I. F. Boissonadius* in *Notis ad Marini Vitam Procli*, Lipsiae 1814. 8 mai. — Denique *Mazarii* cuiusdam (nisi fictum nomen est) qui saeculo XV ineunte vixisse videtur, opusculum satyricum, Necyomantiae Luciani imitatio: *Διάλογος νεκρικός· ἐπιδημία Μάζαρι ἐν ἅδου· ἢ πεῦσις νεκύων ἐνίων περὶ τινῶν τῶν εἰς τὰ βασίλεια συναναστρεφομένων*· cuius argumentum e cod. ms. bibl. Reg. Paris. docte et copiose exposuit *C. B. Hase* in *Notices et Extraits des Mss. de la Bibl. Imp. de Paris*. T. IX. Seconde Partie p. 131—141. — Similem, meliorem tamen Necyomantiae Luciani imitationem auctoris incerti, sed quem saeculo XII. vixisse ex multis indiciis in ipso opusculo dispersis paene apparet, ibidem e codice Vaticano, hoc indice: *Τιμαρίων, ἢ περὶ τῶν κατ᾽ αὐτὸν παθημάτων, Timario, sive de calamitatibus eius*, Graece edidit, Latine vertit, et doctis commentariis et annotationibus illustravit *Hasius* p. 144—254.

§. 200.

V. *Medici* post Galenum (§. 176.), qui scriptis inclaruerunt, sunt: *Oribasius* Pergamenus, saec. IV., Iuliani Imp. archiater, cuius iussu e veterum medicorum operibus *Collectorum* confecit *septuaginta libros*, unde inscriptio operis *Ἑβδομηκοντάβιβλος*. Horum plurimos tempus delevit; pauci *Graece*, plurium *Latina* tantum interpretatio exstat, *Rasarii* et *Vidii* studio confecta. Spissum opus hoc in epitomen ipse auctor redegit, quam *Synopsin*, in IX libros divisam, inscripsit. Haec et alia quaedam Latine edita sunt ab *Io. B. Rasario*, Basileae 1557. III Voll. 8. tum ab *Henr. Stephano*, cuius studio debemus *Medicae Artis principes* post Hippocratem et Galenum, Graecos Latinitate donatos 1567. II Voll. fol. Dein

que *Chr. Fr. Matthaei* ex Oribasii codice Mosquensi Graece edidit *XXI Veterum et clarorum medicorum Graecorum varia opuscula*, interpretationem Latinam *Io. Bapt. Rasarii*, item animadversiones et indicem vocabulorum adiecit cum tab. aenea. Mosquae 1808. 4 mai. — De reliquis edd. tum Graecis, tum Latinis vide *Harlesium* l. l. T. II. pag. 334 sq. et *Fuhrmanni* Handbuch der classischen Litteratur T. III. p. 85 sq.

De *Aëtii* Amideni, saec. VI. medici, *libris medicinalibus XVI.* ex Galeno et Oribasio compilatis, *primi octo* libri Graece vulgati sunt Venetiis 1534 fol. et *noni* aliquot capita ab *I. E. Hebenstreitio* Lipsiae 1757. 4. *Totum* opus vero Latine editum est *Iano Cornario* interprete, Basileae 1549 fol. quam interpretationem recepit *H. Stephanus* in tom. II. editionis modo laudatae. — Haud multo post Aëtium, eodem saeculo, floruit *Alexander*, ob patriam suam *Trallianus* dictus, Graecorum post Galenum medicorum facile princeps, qui *libros XII de dignoscendis et curandis morbis*, et *Epistolam de Lumbricis* reliquit. Haec Graece et Latine exstat in *Hier. Mercurialis Variis Lectionibus*, Venetiis 1570. 4. et 1644 fol. Illorum melior editio est *Basileensis*, interprete *Io. Guintero*, cum *Iac. Goupyli* castigationibus 1556. 8. Interpretatio Latina inserta *Hallerianae* editioni *Principum artis medicae* T. VI.

Qui sequente saeculo VII. medicinam scriptis tradiderunt, sufficit nominasse *Theophilum Protospatarium*, eiusque discipulum *Stephanum Atheniensem*, cuius πρᾶξιν sive *lectionem primam* περὶ χρυσοποιΐας Gr. et Lat. primus edidit cum notis criticis *Chr. Godofr. Grunerus* Ienae, 1777. 4. — tum *Palladium*, Hippocratis commentatorem, cuius *concisam Synopsin de Febribus* Gr. et Lat. cum notis edidit *Io. Steph. Bernardus*. Acc. Glossae chemicae et Excerpta ex poëtis chemicis. Lugd. Bat. 1745. 8. — et *Paulum Aeginetam*, obstetriciae artis peritia apud Arabes florentem. Vid. Harles. l. l. T. II. p. 440 sq. et 448. Quibus subiungas licet *Theophanem Nonnum* saec. Xmi medicum, cuius *Breviarium artis Medicae* sive *Epitomen de curatione morborum*, Constantini Porphyrogenneti iussu confectam, et nuper Gr. et Lat. se-

paratim editam ab *Io. St. Bernardo*, Gothae 1794 sq. II Voll. 8. supra laudavimus §. 190. quo loco etiam *Hippiatrica* sive *Veterinariae Medicinae libros II.*, ab anonymo ex huius disciplinae scriptoribus, qui a VIImo inde saeculo vixerant, eiusdem Principis auctoritate collectos meminimus, quos primus Graece cum Latina *Io. Ruellii* interpretatione edidit *Sim. Grynaeus*, Basileae 1537. 4. — Tum *Michaëlem Psellum* iuniorem (§. 194), auctorem libri *de victus ratione* (*περὶ διαίτης*), ex Latina *Georgii Vallae* interpretatione editi Basileae 1529. 8. et *Syntagmatis de alimentorum viribus*, *utilitate et noxa*, quod tamen alii *Simeoni Setho*, eiusdem aetatis scriptori, tribuunt. Plenius editum est e duobus mss. cum interpret. Lat. et notis a *Martino Bogdano*, Parisiis 1658. 8. *Demetrii Pepagomeni* autem, Michaëlis Palaeologi Imp. (1261—1282) archiatri, liber exstat *de podagra*, quem, post Musurum, H. Stephanum et Morelium, cod. ms. ope denuo recensuit, Graeceque et Latine cum doctis notis edidit *Io. Steph. Bernardus*, Lugd. Bat. 1743. 8. — Eiusdem aetatis fuere *Nicolaus Myrepsus*, de quo vide Harlesium l. l. T. II. p. 526. et *Ioannes* cognomine *Actuarius*, cuius, praeter alia scripta *Latine* tantum edita, *Graece* exstant e Galeno excerpti libri *duo περὶ ἐνεργειῶν καὶ παθῶν τοῦ ψυχικοῦ πνεύματος καὶ τῆς κατ' αὐτὸ διαίτης de actionibus et affectibus spiritus animalis*, *eiusque victu et nutritione*, in lucem emissi *Iac. Goupyli* beneficio Paris. 1557. 8. recusi cura et studio *I. Fr. Fischeri*, Lipsiae 1774. 8. In quod opusculum *Scholia Graeca* ex cod. ms. inserta sunt *Medici Arnhemiensis* (Io. Steph. Bernardi) Reliquiis medico-criticis, a *Ch. Godofr. Grunero* editis Ienae 1795. 8. Cf. *Chardon de la Rochette* Mélanges de crit. et de philol. T. II. p. 349. Harlesii Br. Not. Litt. Gr. p. 606.

Denique commemorandi hoc loco sunt scriptores nonnulli *mineralogici* et *chemici*, quorum opuscula, maximam partem insulsa, et absurdissimis superstitionibus referta, eatenus cognoscenda sunt, quoad aetatis et temporum indolis, quibus debentur, diserta perhibent testimonia. Cuius generis fuere *Theophylacti Simocattae* (§. 190) *Quaestiones physicae*; *Ste-*

phani Atheniensis, paullo ante laudati *Novem πράξεις* sive *Lectiones de arte chemica*, Latine editae cum *Pseudo-Democriti scriptis chemicis*, Patavii 1573. 8.; *Michaëlis Pselli* liber *περὶ χρυσοποιΐας de auri conficiendi ratione*, item una cum Democriti, Synesii, Pelagii et Stephani Athen. chemicis scriptis *Latine* vulgatus Patavii, 1573. 8. *Eiusdemque* libellus *De Lapidum virtutibus*, Graece et Latine editus a *Maussaco*, Tolosae 1615. 8. et cura *Io. Steph. Bernardi*, Lugd. Bat. 1745. 8. — *Heliodori* cuiusdam carmen chemicum *περὶ τῆς τῶν φιλοσόφων μυστικῆς τέχνης* (§. 183. p. 170). Cf. *Sprengel* Versuch e. pragm. Gesch. d. Arzneikunde T. II. p. 209 sqq. ed. II. 1800. 8. — Chemicis his antiquioribus, incertae aut inferioris aetatis fere omnibus, et e schola Alexandrina profectis, quorum scripta maximam partem inedita in bibliothecis librorum mss. adhuc latent, (vide Fabricii B. Gr. Lib. VI. T. XII. vet. ed.) annumerandus etiam *Zosimus* Panopolitanus Aegyptius, librorum huius generis auctor clarissimus, et *ποιητῶν καὶ οἰκουμενικῶν διδασκάλων* illorum, qui artem magnam cupri in argentum aurumque transmutandi acerrimo studio quaerebant, unus. Eius opuscula, *Grunero* iudice, si curatius inspiciuntur, deterso verborum obscurorum fuco, fugato philosophorum fumo, plurima habent Chemiae metallurgicae rudimenta et initia, etiamsi non expressa ea perspicuitate, qua recentiores chemici utuntur. Horum librorum *duo fragmenta* Graece edita sunt, alterum ab *I. G. Schneidero* in Animadverss. ad *Eclogas physicas* p. 95 sqq. *de Persica cupri tinctura*; alterum, *de Zythorum confectione*, a *Grunero*, hoc indice: *Zosimi Panopolitani de Zythorum confectione Fragmentum, nunc primum Graece* (e cod. Gothano) *ac Latine editum. Acc. Historia Zythorum sive cerevisiarum quarum apud veteres mentio fit. Scripsit Chr. Godofr. Gruner.* Sulzbach 1814. 8.

§. 201.

VI. *Mathematicorum* schola *Alexandrina* usque ad urbis per Arabes expugnationem (640 p. Ch.) quidem duravit; sed post *Pappum* (§. 167 extr.), nemi-

nem inde exiisse accepimus, qui novis mathesin inventis ditasse aut perfecisse dici possit. Interea *Athenis* inde a medio saeculo V. Mathesin docuerunt, commentariisque saltem in Euclidis, Archimedis et Apollonii Pergaei opera conditis, historiaeque matheseos cognoscendae aptis, famam sibi pepererunt *Proclus* (§. 192.), *Marinus* (ibid.), *Isidorus Milesius*, Damascii praeceptor, *Eutocius Ascalonites* (§. 165 sq.), Iustiniani Imp. temporibus. Eiusdem aetatis fuit *Anthemius Trallianus*, mechanicus et architectus insignis, cuius opera Imp. Iustinianus a. 532 usus est in construenda aede S. Sophiae. E scriptis eius operibus non editum est nisi Fragmentum libri περὶ παραδόξων μηχανημάτων *de Machinis mirabilibus*, cura *Dupuy* in Mém. de l'Acad. des Inscr. Vol. XXXXII. et separatim cum *Gallica* versione Parisiis. 1777. 4. — Ab hoc inde tempore autem nemo fere innotuit, cuius scripta quidquam praeter scientiae elementa, eaque satis vulgaria, continerent. Quo loco habendus *Michaël Psellus* iunior circa a. 1090. (§. 194), cuius librum *de quatuor mathematicis disciplinis* (Arithm. Geom. Musica, Astronomia) Gr. et Lat. edidit *Guil. Xylander*, Basileae 1556. 8.

Meliora tamen *de re militari* trium Byzantini imperii Principum scripta tenemus, primo *Mauritii* circa a. 582., qui XII libros *de arte militari* reliquit, ad artis huius, quae tunc erat, indolem pariter atque rerum temporumque illorum historiam pernoscendam utilissimos, Graece et Latine editos notisque illustratos ab *Io. Scheffero*, una cum *Arriani Tacticis*, Upsaliae 1664. 8. — Deinde *Leonis VI.* (889—911.) *Sapientis* dicti, Photii discipuli, cuius *Tactica*, Onosandro potissimum duce, ad erudiendos milites suos scripta, plenissime edita sunt in *Io. Meursii* Operibus cura *Io. Lamii*, T. VI. p. 529. Florentiae 1745 fol. — Denique *Constantini VII.* Porphyrogenneti, Leonis filii (905—959), cuius *Tactica* et *Strategicon* itidem a *Meursio* et *Lamio* edita exstant in Meursii Opp. Tomo VI. pag. 921 et 950. — Minus laudandi sunt *Heronis Alexandrini iunioris* (quem plerique, ut Freretus, Fabricius, Fortia Urbanus, saeculi p. Ch. VIImi initio admoverunt, *Idelerus* autem, in egregio

libello *Ueber die Längen-u. Flächenmaasse der Alten* p. 167 et 198. non ante X saeculum fuisse idoneis argumentis demonstravit. Vide *F. A. Wolfium* in Analect. Litterar. T. II. p. 226. Cf. supra p. 133. not.) ex Polybio, Iosepho, Arriano, maximam partem compilati libri *de obsidione repellenda et toleranda* (Graece inter Scriptores Vett. Mathemat. Parisiis 1639 fol. p. 317), *de machinis bellicis*, *et Geodesia*, ex Latina interpret. *Franc. Barocii* cum huius scholiis, Venetiis 1572. 4. *Geodesiae* tamen Graecum contextum in multis libris mss. exstare testatur *Fortia Urbanus* in Wolfii Anal. Litter. I. l. p. 212. *Fragmentum* autem Geodesiae, quod *sub huius Heronis nomine* a Patribus Congreg. S. Mauri (Pougetio, Loppino, Montfauconio) editum est in *Analectis Graecis*, Parisiis 1688. 4. quum in Barocii Latina interpretatione non reperiatur, ad *Heronis Secundi*, saeculi Vti initio florentis, librum quemdam pertinere, idem vir doctus suspicatur l. l. p. 213.

§. 202.

VII. In vulgus nota sunt Graecorum a Theodosii II. inde temporibus *de iure civili Romanorum* redigendo merita. Cuius quidem *Graeca* schola iam quarti saeculi decursu *Beryti*, Phoeniciae urbe, viguit nobilissima. Ut nihil dicam de codice Theodosiano, de Novellis Constitutionibus Theodosii II. et Valentiniani III., de duplice codice Iustinianeo, de Pandectis et Institutionibus, *Latino* quippe sermone exaratis: non tacendae tamen sunt *Authenticae* sive *Novellae Constitutiones*, quae eodem Iustiniano imperante accesserunt, *Graece* scriptae, et in Latinum sermonem conversae (Norimb. 1531 fol. ed. *Gregor. Haloandri*) porro *Basilii Macedonis* Imp. (867—886) *Πρόχειρον τῶν νόμων* s. *Legum delectus compendiarius*, cuius dimidia pars Gr. et Lat. edita a *Marq. Frehero* in *Leunclavii* Iure Graeco-Romano T. II. p. 79 sqq.; eiusdemque et filii *Leonis VI. Sapientis* (889—911.) *Βασιλικαὶ Διατάξεις* sive *Constitutiones Principum* libris LX, *Constantini VII.* Porphyrog. iussu emendatius vulgatae (§. 190) quarum XXXXI. Graece et

Lat. editae ab *Annib. Fabrotio* Paris. 1647 fol. reliquarum epitome ab *Io. Leunclavio* in Synopsi LX librorum *βασιλικῶν*, Basil. 1565 fol., quatuor insuper libri integri a *Guil. Ottone Reizio* in *G. Meermanni Novo Thesauro iuris civ. et canon.*, T. Vto, et sexagesimus a *Iac. Cuiacio*, Lugd. Bat. 1566 fol. — tum solius *Leonis Sapientis Ἐπανορθωτικαὶ καθάρσεις* s. *Emendatae Constitutiones*, editae in *Corpore Iuris Leeuweniano*, Amstelod. 1663 fol. — Accedunt singulorum iurisconsultorum opera, ut *Theophili*, Iustiniani temporibus florentis, eiusdem, ut credere par est, quo Princeps in Institutionibus et Pandectis componendis usus erat, *Paraphrasis Graeca Institutionum*, et *Commentationes ad priores tres Digestorum partes*, quarum fragmenta solum supersunt. Paraphrasis huius, una cum reliquis Fragm. praestantissimam editionem curavit *Guil. Otto Reizius*, Hagae Com. 1751. II Voll. 4. — Supersunt etiam *Thalelaei*, *Theodori*, *Stephani Cyrilli* aliorumque ICtorum Graecorum Commentarii in titulos *Digestorum* etc. quos ex cod. ms. bibl. Lugd. Bat. primus edidit, Latine vertit et castigavit *Dav. Ruhnkenius*, Hagae Com. 1752 fol. et in *Thesauro iuris Meermanniano* T. III. et V. — Deinde *Photii*, Patriarchae CPolitani saec. IX. *Nomocanon* sive *Προχανών*, iuris civilis cum legibus ecclesiasticis ab Imp. Iustiniano sancitis comparationem continens, quem, CLXX circiter annis post (1150), Imp. Manuelis Comneni II. iussu, *Theodorus Balsamon*, Patriarcha Antiochensis, ICturum suae aetatis nobilissimus, commentario illustravit, ipse *Constitutionum Ecclesiasticarum Corporis* libris III. conditor. — Porro *Eustathii* s. *Eustachii*, circa a. 1025, liber *περὶ χρονικῶν διαστημάτων* i. e. de temporum intervallis et praescriptionibus, seu de varia temporum in iure civili observatione, editus a *Sim. Schardio*, una cum legg. nauticis et rusticis, Basileae 1561. 8.; in *Leunclavii* Iure Graeco-Romano T. I. II. Francof. 1596 fol.; novissime Gr. et Lat. cum Scholiis notisque a *L. H. Teuchero*, Lipsiae 1791. 8. — Tum *Michaëlis Pselli* (§. 194.) *Synopsis Legum versibus iambicis et politicis* in usum Michaëlis Ducae Imp., discipuli sui, Gr. et Lat. edita cum docto commen-

tario a *Franc. Bosquet* Paris. 1630. 8. rec. et aucta *Corn. Siebenii* Observationibus, in *Meermanni* Thes. iur. civ. et canon. T. I. p. 37. novissime a *L. H. Teuchero*, Lips. 1789. 8. — Denique *Constantini Harmenopuli*, saec. XIV. *Ἑξάβιβλος* sive *Πρόχειρον νόμων*, *Promtuarium iuris civilis*, in sex libros divisum, optime editum interprete *I. Mercero*, Genev. 1587. 4. — cum Lat. interpret. a *Dav. Ruhnkenio* in Supplem. novi thes. iuris civ. et can. ex collect. et museo Meermann. Hagae Com. 1780 fol.

Io. Aug. Bacchii historia iurisprudentiae Romanae, ed. VI*ta*, novis obss. aucta ab *A. C. Stockmanno* Lips. 1806. 8. — *G. Hugonis* Lehrbuch der Geschichte des R. Rechts. — *Ch. G. Hauboldi* Manuale Basilicorum, Lipsiae 1819. 4.

§. 203.

VIII. In magno *Lexicographorum* et *Grammaticorum* Graecorum numero eos tantummodo commemorabimus, quorum libri editi, virorum doctorum manibus versantur. Reliqui, quorum aliquanto maior copia, ex Fabricianae Bibl. Vol. VIto ed. Harles. cognoscendi sunt.

Ammonius, Alexandrinus grammaticus, a cognomine Aristarcheo (§. 125. p. 40.) diversus, circa a. 389. auctor est libelli elementorum ordine descripti *περὶ ὁμοίων καὶ διαφόρων λέξεων* sive *De affinium vocabulorum differentia*, quem longe emendatiorem, et doctissimo commentario instructum edidit *Valckenarius* Lugd. Bat. 1749. 4., additis *Animadversionum libris III.* in quibus veterum scriptorum loca tentantur et emendantur, ibid. eod. a. Memoranda etiam contractior libelli editio *C. Fr. Ammonii* cum Valckenarii notis et obss. selectis et suis obss. Erlangae 1787. 8. Nuperrime *G. H. Schäferi* studio Valckenarii editio Ammonii una cum additamentis, quae continet, repetita est hoc indice: *Ammonius de differ. affin. vocabb. Acced. Opuscula nondum edita: Eranius Philo* de differ. signif. *Lesbonax* de figuris grammaticis etc. Ammonium ope Ms. prim. edit. Ald. et aliunde emaculatum et notis illustr. Reliqua ex codd. mss. bibl. Lugd. Bat. nunc primum vulg. *L. C. Valckenaer. Nova*

editio correctior et appendice notarum imprimis e schedis L. Kulenkampii depromptarum et Car. Segarii Epistola critica aucta. Lipsiae 1822. 8 mai.

Iisdem fere temporibus, saeculo IV. exeunte, *Hesychium* vixisse coniiciunt, cuius *Lexicon* sive glossarium Graecum ex veterum grammaticorum deperditorum observationibus et glossariis conflatum, sed multis interpolationibus et additamentis oneratum, ex unico codice ms. Veneto saec. XVti, male et valde perplexis litterarum ductibus atque compendiis exarato, admodum vitiose primus edidit et multis in locis temere correxit *Marcus Musurus* apud *Aldum*, Venetiis 1514. Vid. *Villoisonius* in Anecdotis Graecis T. II. p. 254 sqq. et *Nic. Schowius* in Epistolis Criticis ad Heynium et Tychsenium, Romae 1790. 4. quas paullo post excepit *Hesychii editio Lipsiensis* sic inscripta: *Hesychii Lexicon ex cod. ms. bibl. D. Marci restitutum et ab omnibus Musuri correctionibus repurgatum, sive Supplementa ad edit. Hesychii Albertinam, auctore Nic. Schow* 1792. 8. *Alberti* enim Batavus praestantissimam, multisque multorum criticorum notis suisque animadverss. locupletatam lexici huius editionem inchoaverat, quam viginti annis post absolvit, et *auctario observationum egregio* ditavit *Dav. Ruhnkenius*. Lugd. Bat. T. I. 1746. T. II. 1766. II Voll. fol. *Glossas sacras* sive biblicas, quae lexico Hesychiano insunt, quamvis non ab Hesychio profectae, sed postea a Christianis adiectae, ex universo opere in usum interpret. libror. sacr. excerpsit, emendavit notisque illustravit *I. C. G. Ernesti*, Lipsiae 1785. 8. Cf. *I. Toupii Emendationes in Suidam, Hesychium et alios lexicographos*, ex edit. *Th. Burgessii*, Oxonii 1790. IV Vol. 8. — *Gilb. Wakefieldii Observationes in Hesychium* — in eiusdam *Silva critica* P. I—V. Cantabrig. 1789 sqq. 8. — *M. G. Faehsii Obss. criticae* in Plutarchi Opera quae inscribuntur moralia, *et in Hesychii Lexicon*, Lipsiae 1820. 4.

Orion Thebanus, Aegyptius, Suida teste *Florilegii ad Eudociam*, Imp. Theodosii iunioris uxorem, auctor, *quinto* saeculo vixit, et librum *de Etymologiis* lexici forma conscriptum reliquit, ab Etymologici Magni et Gudiani auctoribus, a Suida, Zonara,

Phavorino saepe citatum, et propter accuratam in testimoniis scriptorum, quibus utitur, laudandis diligentiam magni faciendum, quem, diu neglectum, nec nisi superiore demum saeculo Ruhnkenii maxime et Bastii *) auctoritate magis commendatum viris doctis, ex duplice codicis Parisini apographo Larcheriano, Fr. Aug. Wolfii liberalitate concesso, primus Graece nuper edidit *Frid. Guil. Sturzius* hoc indice: *Orionis Thebani Etymologicon, ex Museo F. A. Wolfii primus edidit, annotationes P. H. Larcheri, Eiusdem Wolfii nonnullas et suas Indicesque locupletissimos adiecit F. G. St. Accedunt P. H. Larcheri Obss. criticae in Etymologicum M. et Amed. Peyroni Commentatio in Theodosii Alexandrini Tractatum de Prosodia*, Lipsiae 1820. 4 mai.

Eiusdem *saeculi quinti* posteriori parti *Philemonem* Grammaticum probabili coniectura admovet *Osannus*, alii, ut *Schneiderus* (in Bibl. Philolog. II. 6. p. 523.), et vir doctus in Museo crit. Cantabrig. I., ad Xmum p. Ch. saeculum eum detrudunt. Auctor fuit *Lexici technologici*, ad Antiphanem quemdam scripti et, secundum octo partes orationis, in totidem libros distributi, quorum prima pars *de nominibus* integra, cum secundae *de verbis* (*περὶ ῥημάτων*) initio in cod. Parisino servata est, ex quo, quum multa iam in doctos commentarios suos retulissent tum Ruhnkenius, tum maxime Villoisonius in notis ad Apollonii Lex. Homericum, aliique; quae supersunt integra primus Graece edidit *Car. Burney*, Londini 1812. 8., sed sine ulla seu codicis seu auctoris notitia, nec accurate ad codicis fidem expressa, et omni annotationis praesidio destituta. Haec quidem accessit in *Museo critico Cantabrig*. 1812. I. 5. p. 123 sqq. II. 1813. p. 197-200 auctore R. B. Tum Index Auctorum qui citantur in Lexico Philemonis eodem anno vulgatus in Fasc. XIII. Anglici Diarii *The Classical Journal for* 1813. Londini. Novae tamen editionis desiderium explevit *Osannus*, quae nuper Berolini prodiit, ita inscripta: *Phi-*

*) Partim in *Epistolae criticae appendice*, partim in *Notis ad Gregorii Corinthi de Dialectis libellum* ut p. 459.

lemonis Grammatici quae supersunt, vulgatis et emendatiora et auctiora edidit Fr. O. Accedunt Anecdota nonnulla Graeca. Berol. 1821. 8. In hac, praeter Graecum contextum, multis annotationibus criticis et VV. LL. stipatum, insunt *Prolegomena de Philemone*, eius Lexico, et de nova hac editione, tres Indices, et Anecdota quae sequuntur: 1) Fragmentum codicis Florentini Lexici cuiusdam, fortasse eiusdem, Philemonis, paginis XIV. 2) Epimetrum: *Theodosii Grammaticae Fragmentum*, et *De Philoxeno Grammatico eiusque scriptis.*

Iohannis Philoponi, saec. VI vel VII. grammatici et philosophi (§. 194.), exstant duo libri grammatici, alter, *collectio vocum quae pro diversa significatione accentum diversum accipiunt*, seorsum editus ab *Erasmo Schmidtio*, Vitebergae 1615. 8. alter *de quinque dialectis Graecae linguae*, qui inter *Grammaticos Aldi* in lucem emissus est, et variis Lexicis adhaeret.

§. 204.

Suidas, incertae aetatis grammaticus, quem Saxius anno 975 admovet, alii ad XImi saec. finem et XIImi initium reiiciunt, quum historicum, tum verborum *Lexicon* reliquit, e multis historicorum et grammaticorum libris vel potius excerptis, Scholiisque ad Aristophanem, tragicos poëtas, Apollonium Rhodium, collectum, quo tamen caute utendum, quum propter ἀκρισίαν auctoris ac negligentiam, tum quod a librariis saepe interpolatum et corruptum est. Editio princeps prodiit Mediolani 1499 Graece, cura *Demetrii Chalcondylae*, de cuius opera, in Lexico hoc edendo, emendando, passim etiam interpolando collocata, ipsum consulas in praelocutione disserentem, et *Villoisonium* in Anecdotis Gr. T. II. p. 261. Ut nunc res se habet, ceteris edd. praestat ea quam *Lud. Küsterus* curavit, cum interpretat. Lat. et notis perpetuis, Cantabrig. 1705. III Voll. fol. quacum editione coniungendae sunt *Io. Toupii*, acutissimi critici, *Emendationes in Suidam et Hesychium* paullo ante laudatae, et recusae Lipsiae hoc indice: *Io. Toupii*

Opuscula Critica 1780 sq. II Voll. 8., tum cum novis et *Toupii*, et *Tyrwhitti*, et *Porsoni* additamentis, a *Thoma Burgessio*, Oxoniae 1790. IV Voll. 8. *Suidae* et *Phavorini glossas sacras* Graece, cum spicilegio glossar. sacrar. Hesychii et Etymolog. M. congessit, emendavit et notis illustravit *I. Ch. G. Ernesti*, Lipsiae 1786. 8. Adde *I. F. Schleusneri Auctarium observationum in Suidam et Hesychium et alios Lexicographos Graecos, ratione maxime habita glossarum sacrarum.* Partic. I et II. Vitebergae 1809 sq. 4. — et *Thom. Reinesii Observationes in Suidam.* Enotavit, digessit notisque suis adspersis edidit *Chr. G. Müllerus*, Lipsiae 1819. 8 mai.

Recentior Suida, et circa a. 990. vixisse Saxio in Onom. T. II. p. 159. videtur auctor incertus Lexici Graeci quod *Etymologici Magni* nomine vulgo notum est, quamquam non solas vocabulorum etymologias continet, sed alia multa utiliter observata ad Graecae linguae indolem et analogiam, tum fabularum, historiarum atque fragmentorum veterum copiam. Idem Homericae dictionis explicationem imprimis adiuvare, alio loco monui (T. I. p. 24). Sed vel sic aut e pluribus illud glossariis compilatum, aut ex eisdem, a quibus ista ducta fuerint, fontibus haustum esse, praecipue testantur duo Lexica, cum Etymologico nostro mirifice consentientia, alterum *Photii*, quod nuper demum e duobus apographis primus Graece edidit *Godofr. Hermannus*, Lipsiae 1808. 4., notis autem illustravit emendavitque *I. Fr. Schleusnerus*, edito primum *Libello animadversionum in Photii Lexicon*, Lips. 1810. 4., deinde *Curis novissimis sive Appendice notarum et emendationum in Photii Lexicon* ibidem 1812. 4. et cuius Lexici *novae editionis Specimen ex apographo Reiziano*, *quod in bibl. Hauniensi asservatur*, *cum Laur. Ancheri suisque adnotationibus edidit* *Nic. Schow*, Hafniae 1817. 8. Aliud *Specimen Lexici Photiani*, a vulgato ab Hermanno, pariter atque Hauniensis codicis illud modo laudatum, in nonnullis locis dissentientis, cum *Etymologico Gudiano* editum est a doctissimo *Sturzio* pag. 593—596. — Alterum Lexicon adhuc mscr. sub *Cyrilli* Alexandrini nomine in bibliotheca Mosquensi

28

asservatur, cuius specimen dedit *C. F. Matthaei* in libro huius indicis: *Glossaria Graeca minora et alia Anecdota Graeca*, Mosquae 1775. 4. Adde Montfaucon in Bibl. Coisliniana p. 238. et 603. — *Etymologici Magni* autem quatuor exstabant editiones, princeps ex recens. *Zach. Calliergi* cum praefat. Graeca *M. Musuri*, Venetiis 1499 fol.; secunda ibidem a *Frid. Turrisano* curata 1549 fol.; tertia, eaque praegressis multo correctior, *Commeliniana* cum notis perpetuis *Frid. Sylburgii*, utilissimis indicibus verborum, rerum atque auctorum instructa, Heidelb. 1594 fol.; quarta, sed minoris pretii illa, curante *Panagiota Sinopensi*, Venetiis 1710 fol. Quarum omnium editionum, maxime Sylburgianae, cunctis exemplis dudum penitus distractis, utilissimo sane consilio et instituto,, Sylburgii editio integra nuper cura *G. H. Schaeferi* repetita est Lipsiae 1816. 4. Lipsiensem hanc Etymologici Magni continuo excepit *Etymologici Gudiani*, cuius particulam iam ante vulgaverat *L. Kulencampius* in *Specimine emendationum et observationum in Etym. M., maximam partem petitarum ex codice Gudiano qui Guelpherbyti asservatur*, Gottingae 1765. 4., ex Apographo eiusdem Kulenkampii integra editio, tum aliis Anecdotis Grammaticorum, tum virorum doctorum et suis ad Etym. M. notis ditata atque digesta a *Sturzio*, hoc indice: *Etymologicum Graecae linguae Gudianum et alia Grammaticorum scripta e codd. mss. nunc primum edita. Acc. Notae ad Etym. M. ineditae E. H. Barkeri, Imm. Bekkeri, Lud. Kulenkampii, Amad. Peyroni aliorumque, quas digessit et una cum suis edidit Fr. Sturzius, cum indice locupletissimo*, Lipsiae 1818. 4 mai. Denique, biennio post, eiusdem *Sturzii* cura, prodiit *Orionis Thebani Etymologicon*, de quo diximus §. 203. Ceterum pleniore Etymologici Magni codice ex bibl. Reg. Parisina usus est *Larcherus*, quod testantur eius *Observations critiques sur l'Etymologicum magnum*, insertae *Commentariis Acad. Inscript.* T. XLVII., quas *Sturzium* Orionis Thebani editioni adiecisse vidimus.

§. 205.

Sed iam dudum dicendum erat de *Lexico Graeco* quodam, post Hesychii illud, omnium quae supersunt copiosissimo et accuratissimo, cuius XXIV codices mss. nunc innotuerunt, et quod ex tribus codd. sub *Iohannis Zonarae* nomine primus edidit, doctisqe prolegomenis et observationibus illustravit *I. A. H. Tittmannus* T. I. II. Lipsiae 1808. 4. (Tertium tomum conficit *Photii Lexicon*, ab *Hermanno* primo vulgatum, quod paullo ante (§. 204) laudavi.) Saeculi XII. initio illud scriptum esse apparet, ab auctore, ut Tittmanno videtur, Suidae aequali, (si vera est opinio eorum, qui Suidam Alexio Comneno imperante (1081—1118.) vixisse autumant), Etymologo autem antiquiore; quem cur *Iohannem Zonaram*, sub Alexio et Iohanne Comnenis vigiliae praefectum, et *Annalium* auctorem (§. 189.), fuisse statuerit editor doctissimus, ut leviora argumenta praetermittam, quum trium codd. mss., in quibus nomen Zonarae a manu satis antiqua adscriptum reperitur, fides, tum reliqua omnia, libri indoles, tempus, auctoritas viri et codicum multitudo effecerunt. Cf. Prolegomena p. LXIII sqq. Quo loco etiam lexici huius summam utilitatem ad Suidam, Etymologum et ipsum Hesychium innumeris locis emendandos, castigandos aut confirmandos praedicat Tittmannus. *Zonarae Glossas sacras Novi Testamenti* in prolusionibus scholasticis *interpretatus est Fr. Guil. Sturzius* Grimmae 1818. 4. cont. 1820.

Zonaram hunc exscripsit *Varinus* sive *Phavorinus*, Graecus recentior, qui obiit 1537. et in *Lexicon* suum, quod primum edidit Romae 1523 fol. (rec. Basileae 1538. et Venetiis 1712 fol.), fere omnia transtulit quae in Hesychio, Suida, Etymologo, Phrynicho, Harpocratione, Eustathio aliisque reperiuntur. Idem tamen, monente Tittmanno in Prolegg. ad Zonarae Lex. p. LX sq., multa habet partim quae in illis desiderantur, partim emendatiora, quam apud illos leguntur, plurima, quae ad verbum e Zonara petita sunt. Minus accurate tamen, *Osanno* auctore, *Bastius* (Epist.

Crit. p. 37.) iudicavit, maximam partem *Lexici technologici Philemonis* Lexico Phavorini contineri.

De *Glossariis Graecis* generatim, quum editis, tum ineditis, vide Fabric. B. Gr. Vol. VI. c. 36. 37. 40. ed. Harles. — *I. A. Ernesti* prolusionem *de Glossariorum Graecorum vera indole et recto usu*, Lipsiae 1742. 4. — Vulgatissima sunt 1) *Philoxeni*, de quo vide Fabric. B. Gr. I. p. 519. VI. p. 376 Harl. et *Epimetrum* II. ad edit. *Philemonis Lex. Technol.* ab *Osanno* curatam, *De Philoxeno Grammatico eiusque scriptis* p. 309—320. in quo incertae aetatis Grammaticum hunc, et multis aliis cognominem, satis quidem levi argumento ductus, saeculo ante Ch. nat. floruisse, certe ante Longinum vixisse coniicit Osannus p. 318., clarissimum existimans inter Grammaticos Alexandrinos, tum aliis pluribus grammaticae disciplinae operibus, tum edito libro *de Dialectis*, ab Eudocia, Suida, Philemone, Orione Thebano, saepius citato, et in plures partes descripto. — 2) *Cyrilli Alexandrini*, saeculi Vti initio florentis, nomen prae se ferens. Et huius, et Philoxeni Glossaria, cum aliis pluribus, iunctim edita sunt a *Bonav. Vulcanio*, Lugduni 1600 fol. et a *Car. Labbeo*, Parisiis 1679 fol. Recte tamen monet *Saxius* in Onom. T. II. p. 24. „nihil saltem glossariorum, seu Graecorum, seu Latinorum, aetate passim incertius, quum propter vulgarem auctorum obscuritatem, tum emblematum passim occurrentium ambiguitatem.“ *Glossaria Graeca minora* ex mss. codd. edidit *C. F. Matthaei*, Mosquae 1775. 4. Supersunt etiam *Glossae verborum iuris*, quas vulgo *Glossas nomicas* vocant, a variis auctoribus, qui temporibus diversis vixerint, profectae, et collectae atque editae a *Car. Labbeo* ad calcem Philoxeni, Cyrilli et aliorum glossariorum, et ab *Ant. Schultingio* in *Ev. Ottonis Thesauro iuris Romani* T. III. Trai. ad Rhen. 1733 fol. p. 1697., emendatae autem et illustratae a *Matthia Roevero* aliisque doctissimis viris. Vide *Saxii* Onom. T. II. p. 127. Analect. p. 549. Fabricii B. Gr. Vol. VI. p. 230 sq.

§. 206.

Compluria Grammaticorum Graecorum scripta inedita in lucem nuper protraxit *Immanuel Bekkerus*, vir doctissimus, in *Anecdotis Graecis*, quorum *tria* Volumina prodiere Berolini 1814. 1816 et 1821. octonis., paullo accuratius hic describenda. *Primum* igitur volumen continet *LexicaSégueriana*, ita dicta, quod e codice saec. Xmi descripta sunt, qui olim in bibliotheca *Petri Seguierii* asservabatur, quacum in *Coislinianam*, a *Montfauconio* descriptam, atque hinc in *Sangermanensem* (St. Germain), postremo in *Regiam Parisinam* migravit. Ex eodem codice *Villoisonius* Apollonii Sophistae Lexicon Homericum (§§. 20. 126.), et *Ruhnkenius* Timaei Sophistae Lexicon vocum Platonicarum (T. I. p. 121. II. p. 47.) ediderunt. Quae Bekkerus in Anecdotor. pr. vol. vulgavit Lexica, eorum *Excerpta* iam dederat *Montfauconius* in Biblioth. Coisliniana p. 457 sqq. Sunt autem 1) p. 1—74. *Ἐκ τῶν Φρυνίχου τοῦ Ἀραβίου τῆς σοφιστικῆς προπαρασκευῆς* (Cf. §. 127. T. II. p. 48). 2) p. 75—116. *Ἀντιαττικιστής.* 3) p. 117—180. *Περὶ συντάξεως, ποῖα τῶν ῥημάτων γενικῇ καὶ δοτικῇ καὶ αἰτιατικῇ συντάσσονται.* 4) p. 181-194. *Δικῶν ὀνόματα κατὰ ἀλφάβητον.* 5) p. 195—318. *Λέξεις ῥητορικαί.* 6) p. 319—476. *Συναγωγὴ λέξεων χρησίμων ἐκ διαφόρων σοφῶν τε καὶ ῥητόρων πολλῶν.* In his ultima tria (IV. V. VI.) rarioribus glossis refertissima sunt. Cuncta vero multis de causis philologorum studio commendanda, tum ad veterum librorum, qui supersunt, et quorum multa loca in eis citantur, recognitionem, tum quod plura deperditorum fragmenta exhibent; quod Grammaticae Graecae, Orthographiae, etiam Prosodiae copias augent; quod Lexica Graeca variis supplementis locupletant; denique quod Atticarum Antiquitatum partibus nonnullis tum ditandis tum illustrandis inserviunt. — In *secundo volumine* insunt 1) *Apollonii Alexandrini de Coniunctionibus et de Adverbiis libri*, p. 477—526 et p. 527—626. (Cf. §. 126. T. II. p. 43 extr.) 2) *Dionysii Thracis* Grammatica, p. 627—643. (Cf. §. 125.) 3) *Scholia Graeca* in Dionysii Grammaticam *Choerobosci*, *Diomedis*, *Melampodis*, *Porphyrii*, *Stephani*, cuncta e

duobus codd., altero Vaticano, altero Hamburgensi, descripta, p. 647—972. — *Tertium* denique volumen exhibet 1) *Theodosii Grammatici* Alexandrini *Canones* de declinatione nominum et coniugatione verborum p. 975—1061. e Vaticano et Coisliniano codice descriptos. 2) *Editoris Annotationem criticam*, ineditis Grammaticorum observationibus et commentariis refertissimam, p. 1065—1296. 3) Indices verborum et auctorum. — *Theodosii* huius, quem modo commemoravi, plura scripta adhuc inedita in bibliothecis reperiuntur. Vide Fabric. B. G. Vol. VI. p. 350. *Grammaticam* eius nuperrime vulgavit *Göttlingius*, hoc indice: *Θεοδοσίου γραμματικοῦ περὶ γραμματικῆς*, *Theodosii Grammatica*. Ad Codd. mss. edidit et notas adiecit *C. G. Göttling*, Lipsiae 1822. 8 mai. Cf. supra p. 215 et 216.

§. 207.

Arcadii Antiocheni libros *De Orthographia*, *De Constructione partium orationis* (*περὶ συντάξεως τῶν τοῦ λόγου μερῶν*), *Onomasticum*, laudarunt Suidas et Eudocia. Alios in mss. libris adhuc latentes Fabricius et Harlesius in Bibl. Gr. VI. p. 336. et 357., in primis Villoisonius in Epistolis Vimariens. p. 117 sqq. et in Prolegg. ad Venetam Iliadis Homeri edit. p. XI. Arcadii huius librum *περὶ τόνων De Accentibus* e codd. mss. Parisinis primus nuper edidit *Edmundus Henr. Barkerus*. Addita est editoris *Epistola critica ad I. F. Boissonade*. Lipsiae 1820. 8 mai. Eiusdem libelli e cod. ms. aucti et emendati editionem curavit *Guil. Dindorfius* in *Grammaticorum Graecorum Vol. I.* Lipsiae 1823. 8 mai.

De *Tzetzis* fratribus, *Iohanne* et *Isaaco* dixi §. 198. coll. §. 110. p. 10).

Eiusdem fere temporis, circa a. 1160., fuit archiepiscopus Thessalonicensis *Eustathius*, cuius doctos *Commentarios in Homeri Iliadem et Odysseam Παρεκβολὰς εἰς τὴν Ὁμήρου Ἰλιάδα καὶ Ὀδυσσείαν*, atque *in Dionysii Periegesin* suo quemque loco laudavi (§. 20. T. I. p. 23. §. 121. p. 33). Prioris editio princeps cum contextu Homeri est *Romana*, Iliadis 1542.,

et Odysseae cum Indice Matth. Devarii 1550 fol.; tum *Basiliensis* ap. H. Frobenium 1560. II Voll. fol. cum Indice contractiore *Seb. Guldenbeckii.* Novam inchoavit modo editionem, Latina interpretatione inepto consilio adiecta, *Alex. Politus*, Florentiae 1730 sqq. III Voll. fol. *Excerpta* ex Eustathii Commentariis in Homerum confecere *Hadr. Iunius*, Basileae 1558 fol. hoc indice: *Κέρας Ἀμαλθείας Copiae cornu sive Oceanus enarrationum Homericarum* etc. — et multo meliora, in scholarum usum, *Io. Aug. Müllerus*, emendatius edita ab *A. Weicherto* 1818. II Voll. 8 mai. cf. T. I. p. 25. Posterior cum Dionysii carmine Graece editus est a *Rob. Stephano*, Lutetiae 1547. 4. ab *Henr. Stephano* 1577. 4. plenius ab *Ed. Twaites* Oxonii 1697. 8. et ab *Hudsono* in Geogr. Gr. min. Oxon. 1710. et 1717. 8. Etiam hunc Eustathii commentarium Latine vertit *Politus*, Colon. Allobr. 1741. II Voll. 8. sed antiquior Latina interpretatio exstat in edit. carminis Dionysiani a *B. Bertrandio* vulgata Basileae 1556. 8.

Corinthus seu potius *Gregorius* s. *Georgius*, Corinthi episcopus vel metropolita, *Pardus*, saec. XII. circa a. 1150 Grammaticus et rhetor, congessit libellum de dialectis Graecis, quem cum aliis similis argumenti opusculis e codd. mss. emendavit et doctis notis illustravit *Gisbertus Koenius* Lugd. Bat. 1766. 8. Nuperrima autem et locupletissima editio prodiit Lipsiae: *Gregorii Corinthii et aliorum Grammaticorum libri de dialectis linguae Graecae, quibus additur nunc primum editus Manuelis Moschopuli libellus de vocum passionibus. Recensuit, et cum notis Koenii, Bastii, Boissonadi suisque edidit G. H. Schaefer.* Acc. *Bastii Commentatio Palaeographica cum VII tabb. aeneis.* Lipsiae 1811. 8 mai. — Eiusdem Gregorii *Commentarium in Hermogenis librum de methodo δεινότητος* vulgavit *Reiskius* in Orator. Graecor. Vol. VIII vi fine.

Manuel Moschopulus, senior Cretensis, saeculo XIII exeunte, *Erotematum Grammaticorum* aliorumque plurium libellorum grammaticorum, ut *περὶ σχεδῶν de partibus orationis*, *περὶ τῶν παθῶν τῆς λέξεως de vocum passionibus*, quem *Schaeferus* cum

Gregorio Corinthio edidit, *περὶ ἀντωνυμιῶν* etc. auctor. Idem nomen prae se fert liber *de vocibus Atticis*, qui cum Dictionario Graecolatino in aedibus Aldi Venetiis 1524 fol. et Parisiis 1532. 8. una cum Phrynicho et Thomae Magistri simili libello editus est. Cf. Fabricii B. Gr. VI. p. 322 sqq. cum additamentis Harlesii. Editis his Manuelis Moschopuli opusculis nuper ex cod. ms. alia, sed incertae fidei, opuscula, inque his *Ἐπιτομὴ νέα γραμματικῆς*, *de Tropis et Figuris rhetoricis capita tria* etc. accessere, cura *Titzii*, hoc indice: *Manuelis Moschopuli Cretensis Opuscula Grammatica*, in quibus etiam de usitata Graecis ex omni aevo diphthongorum pronunciatione doctrina insignis. *E codice nuper in Bohemia reperto nunc primum edidit Graece, praefationem cum diatribe litteraria de Moschopulis, et animadversiones suas adiecit F. N. Titze*, Lipsiae 1822. 8 mai. Sed vide editionis huius censuram in *Ephemer. Litter. Gotting.* 1823. nr. 81. pag. 801—807.

Thomas Magister circa a. 1310., imperante *Andronico Palaeologo* seniore, magister officiorum et chartophylax Constantinopoli, Grammaticus et Rhetor, praeter *Orationes* et *Epistolas*, a *Laur. Normanno* Upsalae 1693. 4. editas, *vitasque Pindari, Euripidis* atque *Aristophanis*, quae quibusdam illorum poëtarum editionibus adhaerent, scripsit etiam *Eclogas vocum Atticarum*, saepe typis vulgatas, emendatius autem et cum plenissimo notarum apparatu ab *Io. Steph. Bernardo*, Lugd. Bat. 1757. 8. — *Valckenarii Adnotationes ad Thomae Magistri Eclogas* ex autographis edidit *I. A. Tittmannus* in *Dav. Ruhnkenii, Valckenarii et aliorum ad I. A. Ernesti Epistolis*, Lipsiae 1812. 8.

Maximus Planudes, Monachus CPolitanus saec. XIV. eruditissimus suae aetatis theologus, grammaticus et rhetor, ab Andronico II Palaeologo a. 1327 orator ad Venetos missus, multa scripta reliquit, quorum pars tantummodo lucem adspexit. Cf. Harlesii Introd. T. II. p. 354 sq. et auctores ibi laudd. De *vita Aesopi* quam conscripsit, et *Fabulis Aesopicis* quas collegit, dixi §§. 50. 52. De *Anthologia epigrammatum Graecorum*, quam congessit, §. 120. p. 30. Nuper-

rime vulgati sunt *Ovidii Nasonis Metamorphoseon libri XV. Graece versi a Maximo Planude et nunc primum editi a I. F. Boissonade ex codd. regg. descripti et critico instructi apparatu cura N. E. Lemaire.* Argentorati 1823. 8 mai.

Denique *Georgius Lecapenus* circa a. 1350. *Emmanuel Chrysoloras* et *Demetrius Triclinius* circa a. 1400. *Theodorus Gaza* circa a. 1430. Cf. Harlesii Introd. T. II. p. 533. et 545 sqq.

Reservavimus huic loco, Schöllio duce *), brevem de *Horapolline*, qui etiam *Horus* vel *Orus* passim vocatur, mentionem, cuius *Hieroglyphicorum libros duos*, Aegyptiorum sermone conscriptos, *Philippus* quidam in epitomen redegisse et *Graece* vertisse dicitur; vulgarunt autem, post principem *Aldinam* editionem, cum *Aesopi Fabulis*, *Phurnuto*, *Palaephato* etc. Venetiis 1505 fol. min., *Io. Mercerus* cum Lat. interpret. et Observatt. Paris. 1548. 4. *G. Morelius* 1551. 8. *Dav. Hoeschelius* Aug. Vindel. 1595 et 1605. 4. denique *Io. Cornel. de Pauw*, Traiecti ad Rhen. 1727. 4. Eum *Suidas* Grammaticum dicit Alexandrinum, aetatem qua vixit haud definiens, et Hieroglyphicorum loco, quae non commemorat, libri *Τεμενικὰ* sive *de locis sacris* inscripti auctorem fuisse referens. Cf. Fabricii B. Gr. Vol. I. p. 97 sqq. cum additam. Harlesii. — Eiusd. Harlesii Brev. Notitia Litt. Gr. p. 13 sq. — *Schöllius* loco infra laud.

§. 208.

IX. Restant *compilatores* aliquot et *epitomatores* ex eorum genere, qui, quum non uni doctrinae vel arti alicui sese addixerint, ad singularum disciplinarum censum commode referri nequeunt, ceterum digni sunt qui cognoscantur, quod sedulo excerpendi studio suo ac diligentia multiplicem antiquitatis memoriam et innumera, quum historiae litterariae Graecorum capita, tum scriptorum deperditorum fragmenta ab interitu servarunt. De *Aeliano* quidem,

*) In Hist. abr. de la Littérature Grecque T. I. Paris. 1813. 8. pag. 260.

Diogene Laërtio, *Eunapio*, *Proclo Lycio*, aliisque, qui in singulis disciplinarum partibus veteres exscripserunt, supra dictum est. *Athenaei* etiam, qui, si quis alius, doctissimi compilatoris nomen meruit, propter operis quod condidit formam, inter Sophistas mentionem fecimus (§. 180.). Hoc loco, praeter *Helladium* Besantinoum ex Aegypto circa a. 310., qui χρηστομαθειῶν libros versibus iambicis scripsisse fertur auctore *Photio* Cod. CCLXXIX. (Cf. Harlesii Introd. T. II. p. 305 sq.), in primis commemorandus *Iohannes* de patria *Stobis*, Macedoniae urbe, dictus *Stobaeus*, homo ceterum obscurus, et saeculi Vti scriptoribus fortasse annumerandus; sed cuius industriae duo opera, e quingentis circiter poëtis atque scriptoribus congesta, debemus, utrumque in duos libros divisum, alterum, Ἀνθολόγιον, alterum Ἐκλογαὶ inscriptum. *Eclogae*, quum *physicae* tum *ethicae*, veterum philosophorum placita, ex noto *de physicis philosophorum decretis* libello, Plutarchi nomen mentiente, quem multo pleniorem, quam nunc exstat, legerit Stobaeus, partim collecta, continent. Vide *Heerenii comm. de fontibus Eclogarum physicarum Io. Stobaei*, praemissam editionis mox commemorandae Parti II. T. I. — *Anthologium* s. *Florilegium*, quod frequenter etiam *Sermones* appellant, longe diversi generis opus, sententias continet e variis poëtis collectas, et ad certa argumentorum genera classesque relatas. Neque in iisdem codicibus mss. utrumque opus descriptum reperitur. In aliis *Eclogae*, in aliis *Sermones* leguntur. *Eclogarum libri duo* Graece primum editi sunt ex codice valde truncato, interprete *Guil. Cantero*, Antverp. 1575 fol., recusi *cum binis Sermonum libris* Aurel. Allobrog. 1609 fol. Multo et locupletiores et emendatiores illos exhibuit *A. H. L. Heeren*, hoc indice: *Iohannis Stobaei Eclogarum physicarum et ethicarum libri duo ad codd. mss. fidem suppleti et castigati, annotatione et versione Lat. instructi.* Pars I. T. I. II. Pars II. T. I. II. Gottingae 1791 sqq. IV Voll. 8 mai. — *Sermonum* editio princeps a *Victore Trincavello* curata prodiit Graece Venetiis 1536. 4., inscripta: *Io. Stobaei Collectiones sententiarum*; tum Gr. et Lat. cura *Conr. Gesneri*,

Tiguri 1543 fol. auctius Basileae 1549., Tiguri 1550. et 1559 fol. repetita etiam Francof. ap. Wechel. 1581 fol. Sed Gesnerus ex aliis aliarum collectionum auctoribus interpolavit Stobaeum. Vide Fabric. B. Gr. IX. p. 569. Melior editio una cum Eclogis physicis aliisque Florilegiis lucem vidit Aurel. Allobr. 1609 fol. v. supra. Novam autem et longe correctiorem auctioremque promisit fidemque solvit quodammodo *Nic. Schow*, prima saltem operis parte edita: *Io. Stobaei Sermones. E mss. codd. emendatos et auctos edidit N. S.* Pars I. Serm. I—XXVII. Lipsiae 1797. 8. De qua editione causisque cur absolvi nequeat, vid. Censor Ienensis in A. L. Z. 1800. nr. 294 sq. Inchoatae vero a *Gaisfordio* novae *Florilegii* editionis ad Mss. fidem emendatae et suppletae *primum* volumen nuperrime prodiit Lipsiae 1823. 8 mai.

Dicta poëtarum quae apud Io. Stobaeum exstant, emendata et Latino carmine reddita ab *Hugone Grotio*, Paris. 1623. 4. — *Fr. Iacobsii* Epistola Critica in Stobaei Eclogas in calce edit. Heerenii. — *Eiusdem* Animadversiones ad Stobaei Florilegium, ep. crit. ad Nic. Schow, editae cum auctoris Animadverss. in Euripidis tragoedias et fragmenta. Gothae 1790. 8. — *Harlesii* Opuscula varii argum. Halae 1773. pag. 181 sqq.

§. 209.

Huius aetati prope coniunctus fuit *Iohannes Laurentius*, communiter *Lydus* appellatus, quod patriam habuit *Philadelphiam*, ad Tmolum montem in Asia proconsulari sitam. Natus a. 490, Constantinopoli *Agapio* Atheniensi, Procli discipulo, operam dedit circa 511. Deinde sub Iustino et Iustiniano Impp. honoribus amplissimis perfunctus, a. 552. autem honeste dimissus, reliquam aetatem usque ad extrema Iustiniani tempora (565) magna florens auctoritate peregit. Inter scriptores aevi Iustinianei eminet non tam ingenii praestantia, quam industria atque doctrina, quam assidua scriptorum Graecorum et Latinorum, maximam partem nunc deperditorum, lectione sibi paraverat. *Commentarius in Theophrastum de sensu et phantasia*, qui ei tribuitur, auctorem habet *Priscianum Lydum*, nostri popularem et aequalem. Quae iuvenis litteris

mandaverat, ut *Elogium Zotici*, *patroni sui*, *Panegyricum in Iustinianum Imp.*, *Historiam primi belli Persici*, quamvis dubiae fidei illam, aetatem haud tulerunt. Sed iam grandior natu *librum de mensibus* *περὶ μηνῶν*, *in quatuor partes descriptum* composuit, opusculum, Photio iudice (Cod. CLXXX), multis quidem nugis refertum, sed tamen ad antiquitatis scientiam valde utile et lectu iucundum: in quo etiam Romanorum dies festos cum causis eorum, Fastorum Ovidii instar, pertractavit. Cuius tamen operis tantum folia aliquot in codice Caseolino, et *duae epitomae*, altera ab anonymo, altera a *Maximo Planude* confecta, in codd. mss., Barberino et Vaticano, servatae sunt. Ex quibus eas, una cum Fragmento *de terrae motibus* primus Graece edidit, et varietatem lectionis atque argumenta adiecit *Nic. Schow*, Lipsiae 1794. 8. Cf. Bibl. d. alt. Litt. u. K. VII. *Inedita* p. 21. — Aliud Laurentii nostri opus *De magistratibus Romanis*, in uno codice Caseolino valde depravato superstes, docti duumviri ediderunt hoc indice: *Io. Laurentii Lydi Philadelpheni De Magistratibus reip. Romanae libri III. Περὶ ἀρχῶν τῆς Ῥωμαίων πολιτείας. Nunc primum in lucem editi, et versione, notis indicibusque aucti a Io. Dominico Fuss. Praefatus est Car. Ben. Hase.* Parisiis 1812. 8. Quacum editione conferas ex *Reuvensii Collectaneis Litterariis* Lugd. Bat. 1815. 8 mai. *caput IV.* inscriptum: *Iohannes Laurentius Lydus De Magistratibus Romanis* p. 20—87., et *I. D. Fussii ad Car. Ben. Hasium Epistolam*, in qua *Io. Laurentii Lydi de magistratibus reip. Ro. opusculi textus et versio emendantur, loci difficiliores illustrantur.* Bonnae 1821. 8 mai. — Tertium libellum, eumque satis probabilem, *περὶ Διοσημειῶν De Ostentis*, conscripsit Lydus, in quo, quae de Etruscorum et Romanorum disciplina augurali tum temporis cognita erant, collegit, ad scientiam de veterum arte divinandi ex auguriis, fulminibus et tonitribus extisque animalium insigniter augendam idonea. Cuius operis *epitomen* Latino sermone confecit *Beda Venerabilis*. *Graeci contextus quatuor* tantummodo supersunt *fragmenta*, e quibus *duo* Graece edita sunt: alterum *de*

tonitribus in dies singulos Ἐφήμερος βροντοσκοπία, ex opere Latino *P. Nigidii Figuli*, viri astrologica scientia inter Romanos Ciceronis aetate excellentis, a Laurentio Lydo in Graecum sermonem translatum, et a *Iano Rutgersio*, una cum Nigidii Figuli Fragmentis, Graece vulgatum in Var. Lectt. p. 247—260. Cf. Fabric. B. Gr. IV. p. 156. X. p. 729 Harles.; alterum *de terrae motibus* περὶ σεισμῶν, a *Nic. Schowio* una cum Lydi opusculo *de Mensibus*, Lipsiae 1794. 8.; *duo* alia, *Calendarium* et *De tonitribus* περὶ βροντῶν, quod sciam, adhuc inedita, *Hasii*, viri eruditissimi, opera et cura lucem videbunt.

§. 210.

Trecentis annis post floruit *Photius*, vir iudicio omnique doctrina praestans, praeceptor Leonis VI Sapientis, patriarcha CPolitanus ab a. 857., qui librorum sive codicum CCLXXX quos legerat excerpta et censuram in opere praeclaro, nobisque saepe laudato, quod Μυριοβίβλον seu *Bibliotheca* inscribitur, reliquit. Descriptionem libri accuratam, et scriptorum, magnam partem deperditorum, quos excerpsit, censum praestitit *Fabricius* in B. Gr. Vol. X. p. 686 sqq. *Graece* primus edidit *David Hoeschelius*, Augustae Vindel. 1601 fol., quae editio recusa est Genevae 1611. et, admodum vitiose, Rothomagi 1653 fol. cum Latina interpretatione et scholiis *Andr. Schotti*. Novam recensionem Bibliothecae Photianae cura *Imm. Bekkeri* Berolini octonis mai. prodituram nunciat Index libror. recens editor. Lipsiensis anni 1820. I. p. 311.— De reliquis Photii scriptis quae supersunt, ut de *Epistolis*, *Nomocanone*, aliis, v. Fabricium l. l. et Harles. in Introd. T. II. p. 460 sqq. — *Lexicon Photii*, quod iam dudum quidem innotuit, sed nuper demum typis impressum est, supra memoravi §. 204 sqq.

Varia excerpta et collectanea, Constantini VII. Porphyrogenneti iussu saec. X. confecta enumeravimus §. 190. In quorum numerum retulimus etiam *Geoponicon* sive *Selectorum de re rustica libros XX.* studio *Cassiani Bassi Scholastici*, ex scriptoribus saeculi

II—IV. p. Ch., de quibus v. *Alb. Hallerus* in Bibl. Botanicae T. I. p. 127 sqq. T. II. p. 634., excerptos, et primum Graece editos Basil. 1539. 8. deinde correctius cum prolegomenis notisque *Petri Needhami*, Cantabr. 1705. 8. novissime et multo emendatius Gr. et Lat. cum notis crit. et exeget. *Io. Nic. Niclasii*, Lipsiae 1781. IV Voll. 8.

Ἰωνιὰν seu *Violarium*, opus historico-mythologicum, elementorum ordine ex grammaticis, lexicographis et commentatoribus non admodum antiquis saec. XI. congessisse perhibetur *Eudocia* vel *Eudoxia*, Constantini X. Ducae Imp. uxor, quo mortuo a. 1067. ipsa cum filiis imperare coepit, et proximo anno Romano IV. Diogeni nupsit, a quo mox spreta et in monasterium detrusa fuit. Lexici huius diu inediti magnam exspectationem viris doctis commoverat Fabricius B. Gr. T. VI. p. 588 sqq. vet. ed. et *I. C. Wolfius* in *Mulierum Graecarum, quae oratione prosa usae sunt, fragmentis et elogiis*, Hamburg. 1739. 4. pag. 30 et 335 sqq: contra quam tamen res cecidit, ex quo e bibliothecarum tenebris illud erutum fuit studio et diligentia *Villoisonii*, qui Violarium hoc ex cod. Parisino primus Graece edidit in *Anecdotis Graecis* T. I. Venetiis 1781. 4. Posthac fontes, ex quibus quae in opere hoc traduntur hausta fuerint, diligenter inquirere coeperunt *Heynius* in Notis ad Apollodorum, *Harlesius* in Specimine obss. in Eudociae Violarium, Erlang. 1785 fol., *A. C. Meinecke* in Bibl. litt. et art. Ined. Part. V. et VI. et vir doctus in Bibl. crit. Amstelod. Vol. II. Part. III.

Similis argumenti et indicis (*Ἰωνιά*) opusculum adhuc ineditum *Arsenio* vel patri eius *Mich. Apostolio*, de quibus mox dicemus, tribuitur. cf. *Bandini* in Catalogo codd. Graec. bibl. Laurent T. I. p. 547. *Villoison* in Anecd. Gr. T. II. p. 4. *Matthaei* in Notitia codd. mss. Gr. bibl. Mosq. 1776 fol. p. 14 sq.

Antonii cognomine *Melissae*, monachi Graeci, quem *Caue* ad saec. XII. initium detrudit, *Saxius* autem (Onom. T. II. p. 87.) anno 760 admovet, exstat *Sententiarum* et *locorum communium* sylloge, edita cum aliis a *Conr. Gesnero*, Turici 1546 fol.

§. 211.

In eodem numero habendi sunt scriptores aliquot *paroemiographi* sive *proverbiorum Graecorum* scriptores, quorum *duo*, *Zenobius* vel *Zenodotus* et *Diogenianus*, circa saec. IIItii initium vixisse videntur *Saxio* T. I. p. 338. Prioris *παροιμιῶν συλλογή* ex *Lucilli Tarrhaei* et *Didymi Alexandrini* grammaticorum scriptis excerpta, una cum *Diogeniani* illa, plenissime edita est ab *Andrea Schotto*, hoc indice: *Παροιμίαι ἑλληνικαί.* Adagia sive Proverbia Graecorum ex Zenobio seu Zenodoto, Diogeniano et Suidae collectaneis, partim edita nunc primum, partim Latine reddita scholiisque illustrata, Antverp. 1612 fol. *Tertius*, sed longo temporis intervallo ab illis remotus, ab iudicii vero acumine et explicandi arte multo minus probandus, fuit *Michaël Apostolius* Byzantius, qui circa anno 1450. exsul e Graecia in Italiam venit, postea in Cretam secedens, omniumque egenus, codices describendo aegre victum sibi paravit; idem pater *Arsenii* Cretensis, Monembasiae episcopi, cuius paullo ante mentionem fecimus, quique tum alia nonnulla opuscula edidit, tum *Scholia Graeca in septem Euripidis tragoedias* collegit, edita Venetiis 1534. 8. *Apostolii* autem quum alia feruntur scripta, partim edita, ut *Oratio funebris*, cum Georgii Gemisti Plethonis (§. 191.), ei aequalis, simili oratione, primum vulgata a *Füllebornio*, Lips. 1793. 8. tum *proverbiorum Graecorum* exstant *centuriae XXI.* plenissime editae cum *Petri Pantini* interpretatione Latina et notis ipsius et aliorum doctorum, praefixa epistola *Dan. Heinsii*, Lugd. Bat. 1619. 4. repet. ibid. 1634. 4. cui editioni etiam inserta sunt *Gregorii Cyprii*, patriarchae CPolit. circa a. 1283. proverbia. — Liceat hoc loco, quum magis idoneum reperire non potuerim, commemorare *Opuscula veterum Graecorum sententiosa et moralia Graece et Latine. Collegit, disposuit, emendavit et illustravit Io. Conr. Orellius.* T. I. Lipsiae 1819. T. II. ibidem 1821 8 mai. En accuratiores utriusque voluminis indices. *Prioris* quidem hic legitur: *Demophili*, *Democratis*, *Secundi et Sexti s. Xysti Pythagorei Sententiae mo-*

rales, *Gr. et Lat. Recognovit*, *pluribus sententiis Socraticis et Pythagoricis ex Io. Stobaei Florilegio excerptis*, *auxit*, *Aureum Carmen Pythagoreorum*, *Democriti philosophi Fragmenta*, *VII Sapp. Graeciae Sententias*, *Porphyrii Admonitionem ad Marcellam uxorem*, *Nili Ascetae Sententias Christ. aliaque opuscula adiecit*, *notis Lucae Holstenii in tres priores Gnomographos integris aliorumque in eosdem et reliquos selectis suas addidit I. Conr. Orellius. Secundum* volumen continet *Isocratis*, *quae fertur*, *paraenesin ad Demonicum*, *Cynicae scholae principum*, *Antisthenis*, *Diogenis*, *Cratetis*, *Monimi et Demonactis sententias et apophthegmata*, *e variis scriptoribus collecta. Incerti Sophistae dissertationes V. dorico sermone scriptas*, *Archytae Tarentini Fragmenta quae supersunt*, *Pythagoreorum vett. Fragmenta moralia a Io. Stobaeo servata*, *Eusebii Philosophi Fragmenta*, *Amphilochi*, *Iconii episcopi*, *epistolam ad Seleucum*, *et Nili Ascetae tractatum de octo vitiis. Accedunt*, *appendicis loco*, *Ebraeorum et Arabum vett. sententiae morales Latine redditae. Omnia collegit*, *disposuit*, *emendavit*, *notis priorum interpretum partim integris*, *partim selectis*, *aliorumque et suis illustravit*, *aliaque opuscula minora adiecit Io. Conr. Orellius.* Lipsiae 1821. 8 mai.

§. 212.

Vidimus sic, per omne illud tempus, quod a Constantino Magno usque ad imperii Byzantini eversionem effluxit, annos mille sane et centum circiter triginta comprehendens, in maximis regni Graeco-Romani calamitatibus, quum domesticis, tum ab hoste barbaro illatis, sermonis, doctrinae et litterarum studia, quamvis pridem in deterius vergentia, tamen non solum non deleta, sed interea, ut illis temporibus, magna cum animorum alacritate et industria agitata fuisse, principum maxime aliquot Byzantinorum beneficio et auctoritate, ut noni et decimi saeculi dimidio, Macedonum, *Basilii*, *Leonis* VI., *Constantini* VII. (861–960. p. Ch.); tum *Constantini*

Ducae, *Michaëlis*, *Andronici* et *Alexii Comnenorum* (1057 — 1118.) denique binis extremis saeculis (1261—1453) *Palaelogorum*. Quo factum est, ut vel ultimis his temporibus Graeci aliquot, docti homines et sermonis ac litterarum sane periti, quum modo exsules, modo oratores a Byzantinis imperatoribus in Occidentem ad civitates et principes missi, in Italiam proficiscerentur, honestarum artium studia una cum lingua Graeca summorumque ingeniorum operibus Graece scriptis, quae in domum veterem iam dudum remigraverant, in Europae hanc partem denuo inferrent. Iidem partim in nova patria sedem et domicilium ponentes, non solum Graeca exemplaria in Latinum converterunt sermonem, et interpretationes has ipso Graeco contextu maturius saepe vulgarunt, verum etiam tum voce atque institutione, tum scriptis, Graecae doctrinae, sermonis, ingenii et litterarum lumen, in Occidente paene exstinctum, ingeniorum quae tunc efflorescere coeperunt quasi fomitem, resuscitarunt. Cuius loci atque ordinis fuere, (praeter nonnullos quos §. 207. commemoravi, *Maximum* dico *Planudem*, *Manuelem Moschopulum*, *Emanuelem Chrysoloram*, *Theodorum Gazam*, *Michaelem Apostolium* (§. 211.) et *Georgium Gemistum Plethonem*, cuius §. 191. memini), *Bessarion* patria Trapezuntius, Gemisti Plethonis discipulus, qui Ferrariensi et Florentino (1438.) concilio interfuit orator, ab Eugenio IV. P. M. in patrum purpuratorum ecclesiae Romanae ordinem cooptatus, litterarum Graecarum in Italia instaurator felicissimus. — *Georgius Trapezuntius*, in Creta natus 1396., vita defunctus 1486., qui litterarum Graecarum scholas pluribus locis aperuit, Graecosque scriptores complures latinitate donavit, multorum insuper librorum, Latino potissimum sermone conscriptorum, auctor, et Aristotelicae philosophiae contra Platonicos, maxime Bessarionem, propugnator accerrimus. — *Iohannes Argyropulus*, patria CPolitanus, sub ipsum captae urbis tempus (a. 1453.) in Italiam profugus, et Florentiae a *Cosmo Medioeo* honorifice exceptus, atque *Petro* filio et *Laurentio* nepoti datus praeceptor, cuius disciplina tum Itali bene multi usi sunt, tum vir illa aetate

celeberrimus, *Angelus Politianus.* — *Constantinus Lascaris* Byzantius, ex nobilissima stirpe prognatus, qui eodem tempore in Italiam profectus, Mediolani primum, deinde Romae, tum Neapoli, postremo Messenae in Sicilia perpetuam sedem fixit, tum aliorum librorum et interpretationum auctor, tum imprimis *Grammaticae Graecae*, post Chrysolorae et Theodori Gazae illas laudatissimae, cuius princeps editio prodiit *Mediolani* 1476. 4. deinceps pluries repetita fuit, ut apud *Aldum*, Venetiis 1494. 4. et 1512. tum a *Philippo Iunta*, Florentiae 1515. — *Demetrius Chalcondylas* Atheniensis, qui circa 1479 floruit et Mediolani obiit 1511., octogenario maior, primum Florentiae, inde Mediolani Graecas cum laude professus litteras. Praeter *Erotemata grammatica*, in auditorum suorum usum conscripta, nullum quidem, quantum constat, librum reliquit, sed in recensendis, edendisque scriptoribus Graecis multum operae et studii posuit., eiusque potissimum curae et industriae debentur *Homeri*, *Isocratis* et *Suidae editiones principes.* — Similem operam navavit *Ianus* sive *Iohannes Lascaris*, senioris ex fratre nepos, qui a Bessarione adolescens Patavium missus, post eius decessum (1472) Florentiam se contulit, ibique a Laurentio Mediceo Constantinopolin atque in Graeciam ad conquirendos et quovis pretio coëmendos codices mss. missus, binisque itineribus confectis redux, Mediceam bibliothecam Graecis ditavit libris; idem Leonis X. P. M. atque trium Galliae regum, Caroli VIII., Ludovici XII., et Francisci I. gratia florens, editor *Anthologiae epigrammatum* aliorumque librorum Graecorum, qui Florentiae 1494. et insequentibus annis litteris quas vocant capitalibus excusi sunt. — Denique *Marcus Musurus* Cretensis, ultimus fere Graecorum, qui saeculo XV. in Italiam venerunt, Iani Lascaris discipulus, qui primo Patavii, mox Venetiis Graecas litteras summa cum auditorum frequentia docuit, tum ab Aldo Manutio eiusque socero Andr. Asulano ad conferendos, recensendos emendandosque complures codd. mss. adhibitus fuit. Sic Scholia Graeca in Aristophanis comoedias ex variis codd. collegit, quae cum ipso Aristophane et Graeca

Musuri praefatione prodiere Venetiis ap. Aldum 1498 fol. Eamdem operam praestitit Platonis operibus, Athenaeo, Hesychio, Pausaniae, aliis. Praematura tamen morte exstinctus est Romae a. 1517.

Humphredi Hodii de Graecis illustribus, linguae Graecae litterarumque humaniorum instauratoribus libri III. cura *Sam. Iebb*, Londini 1742 — *Chr. Frid. Boerneri* de doctis hominibus Graecis, litterarum Graecarum in Italia instauratoribus liber. Lips. 1751. 8. — *A. H. L. Heerenii* Geschichte des Studiums der classischen Litteratur. T. I. II. Göttingen 1797 sqq. II Voll. 8. — *L. D. Crameri* De causis instauratae Saeculo XV. in Italia philosophiae Platonicae. Vitebergae 1812. 4. Non alienum esse arbitror hoc loco etiam commemorare praeclaram *C. B. Hasii* disputationem Gallice scriptam, et Millini Horreo Encyclop. 1816. T. I. p. 81 sqq. insertam: *Sur l'origine de la langue Grecque vulgaire, et sur les avatages que l'on peut retirer de son étude.*

ADDENDA AD PARTEM PRIOREM.

§. 12 extr. pag. 12 Adde: *Die Hymnen des Orpheus, gr. u. deutsch. In dem Versmaasse des Urtextes zum erstenmal ganz übersetzt von Dr. Dietsch.* Erlangen 1822. 4.

§. 14 extr. pag. 15. versu 7. adde: Cui disquisitioni anno post idem vir doctissimus addidit *Conspectum doctrinae Christianae, qualis in Sibyllistarum libris continetur*, insertum *Fr. Münteri Miscellaneis Hafnensibus.* T. I. p. 118—180. Contra *Fr. Bleekius* in disputatione Germanice scripta: *Ueber die Entstehung u. Zusammensetzung der uns in acht Büchern erhaltenen Sammlung Sibyllinischer Orakel*: quae legitur in diario Theologico: *Theologische Zeitschrift, herausgegeben von Schleiermacher, De Wette und Lücke I. u. II Heft. Berlin 1820. gr. 8.* — docet, oracula Sibyllina a diversis Iudaicis, ethnicis et Christianis auctoribus diversorum temporum profecta esse, eorumque antiquissima circiter CC annis ante Christum scripta esse, recentissima paene quingentis annis post Ch. n.

§. 16. pag. 19. vs. 14. Adde: *B. Thiersch Urgestalt der Odyssee, oder Beweis dass die Homerischen Gesänge zu grossen Parthieen interpolirt sind.* Königsberg 1821. 8. — *Fr. Thiersch über die Gedichte des Hesiodus, ihren Ursprung u. Zusammenhang mit denen des Homer* in *Denkschriften der Kön. Akademie d. Wiss. zu München für das Iahr 1813. München 1814. 4.* maxime p. 34 sq. et p. 41.

§. 21. p. 25. vs. 9. *Wolfianae* editionis Iliadis nova recognitio, multis locis emendatior, ipsius editoris cura et studio, prodiit Lipsiae 1817. P. I. II. 4 min.

Ibidem vs. 11. (cf. Addenda p. 222 init.) Heynianae Iliadis editionis Tomus IX, *Indices* continens, confectos ab *E. A. Guil. Graefenhan*, prodiit Lipsiae 1822. 8 mai.

Ibidem p. 26. vs. 6. adde: Homer's Ilias, prosaisch übersetzt u. erläutert von *E. F. G. Oertel.* 2 Theile. München 1823. 8 min.

Ibidem vs. 27. adde: *Homeri Ilias* Gr. et Lat. opera *Hageri*, recensioni Wolfianae accommodata. Editio quinta. II Voll. Chemnitii 1822. 8. — *Homeri Odyssea.* Cum interpretationis Eustathii et reliquorum Grammaticorum delectu suisque commentariis edidit *C. G. Baumganten-Crusius* Vol. I. Pars 1. 2. Lipsiae 1822. Vol. II. Pars 1. ibid. 1823. 8 mai. (XII Rhapsodiae) — *Ὁμήρου Ὀδυσσεία μικρά oder Sechs Bücher der Odyssee, enthaltend die vollständige Reisebeschreibung des Ulysses, für den ersten Schulgebrauch; Griechisch mit grammatischen Anmerkungen* u. s. w. von *Chr. Koch.* Marburg 1822. 8.

Pag. 28. Indici librorum, Homerica carmina maiora illustrantium, quem exhibui, adde nunc: *K. E. Schubarths* Ideen über Homer u. sein Zeitalter, Breslau 1821. 8. cf. Ien. A. L. Z. 1823. Nr. 161—172. — *A dissertation on the topographie of the plain of Troy*, including an examination of the opinions of Demetrius, Chevalier, Dr. Clarke and Maior Rennel; by *Charles Maclaren*. Edinburgh 1822. 8 mai. — *L. Beutleri Animadversiones criticae in Homerum*, Ienae 1823. 8 mai. — *Chr. Kochii Observationes in Homerum e Tacito*. Marburgi 1823. 4. — *Chr. Lünemann* Wörterbuch zu Homer's Odyssee für Anfänger der Homerischen Lecture. Königsb. 1822. 8. — *Homer nach Antiken gezeichnet* von *H. W. Tischbein* mit Erläuterungen von *Heyne*, fortgesetzt von *L. Schorn*. IX Hefte.

§. 24. pag. 32. ante vs. 19 insere: *G. W. Mülleri* Scriptio I. et II. de variis rebus grammaticis, maxime ex Hesiodi Op. et D. Lips. 1822 sq.

Ibidem vs. 24. adde: *Io. Ph. Bauermeister Observationes in Hesiodi Carmina*. Specimen I. Gottingae 1815 4 mai. — *H. G. Bissner* Die Theogonie des Hesiodus als Vorweihe in die wahre Erkentniss der ältesten Urkunden des menschlichen Geschlechtes. Lips. 1823. 8 mai.

§. 29. pag. 37. vs. 2 a fine adde: *et Naekius ad Choerili Fragm.* p. 64 et 75 sqq.

§. 30. pag. 40. vs. 10 a fine legendum: *sermonis denique poëtici nativus color et habitus inter Ioniae* et Graeciae *populos obtinuit.*

Pag. 41. vs. 19. Corrige *includendis.*

— 44. vs. 19. Addenda p. 223. *Wassenberghii* dissertatio philologo-critica *de Transpositione seu saluberrimo in sanandis veterum scriptis remedio* legitur etiam in *Friedemanni et Seebodii Miscellaneis Criticis* Vol. I. Part. I. p. 141—157.

— 47. vs. 1. (cf. Addenda p. 223 sub fin.) *Gaisfordii* editio haec nuperrime recusa est, *F. V. Reizii Annotationibus in Hesiodum* et *E. H. Barkeri Epistolis criticis* aucta. Lipsiae 1823. V Voll. 8 mai.

— 47. vs. 6 a fine adde: *Phocylidis philosophi poëma* Graecum, cum interpretatione Latina *Martini Cromeri*, *cuius aliquot Epigrammata ad finem adiuncta. Cracoviae ap. Vietorem* 153-. 4.

§. 37. pag. 54. vs. 4. adde: Graeca prosa illud expressit *Theodosius Melitensis*; versibus Latinis reddidere *Taubmannus*, *Hugo Grotius* et *Buchananus*. Cf. *Böttigerum* in libro qui inscrib. *Griechische Vasengemäsde* I. 3. p. 61 sq.

§. 41. pag. 61. vs. 11 a fine post verba „parum laudata" adde: denique *Boissonadii*, *cum Basilii Iuliani* et *Pauli Silentiarii Anacreonticis*, Paris. 1823. 32.

Pag. 61. vs. 14 a fine adde: *Degenii* cum *Sapphone*. Text, Uebersetzung u. Anmerkungen zweite Auflage. Lips. 1821. 8.

— 66. vs. 5 a fine (coll. Addendis pag. 224) Interpretatio metrica *Deuberi* denuo edita est hoc indice: *Duodena Pindari Carmina Graeco-Latina. Textum metricis versibus adiecit F. A. Deuber. Editio altera imitationibus adaucta*, Heidelbergae 1821. 12.

§. 42. pag. 66. vs. 10 a fine (coll. Addendis p. 224.) *Boeckhianae* Pindari editionis Tomi II*di* Pars II*da* et ultima prodiit Lipsiae 1822. 4 mai.

§. 42 extr. pag. 67 pr. adde: *Traduction complète des Odes de Pindare, en regard du texte Grec*, avec des notes à la fin de chaque ode par *R. Tourlet*. Paris. 1818. 8. II Voll.

Sub finem §. 43. pag. 63 adde: *Die Weisen von Hellas als Sänger, oder Blumen griechischer Lyrik, Elegie u. ethischer Dichtkunst. Aus Bruchstücken verlohrner Werke übersetzt u. erläutert von G. Chr. Braun*. Mainz 1822. 8.

§. 52. pag. 83. vs. 8 a fine, *Schaeferi* editio Fabular. Aesopicar. quae Max. Planudi tribuuntur, repetita est Lipsiae 1820. 8. Anno post editio Stereotypa Fabularum Aesopic. prodiit Lipsiae ap. Tauchnitzium 1821. 12. Eodem anno *I. D. Büchlingii* editio *tertium* repetita cura *Grossii*, Lipsiae 1821. 8 mai.

§. 53. pag. 86. vs. 8. Ad vocabulum λογογράφοι cf. *Moeris* sub voce, ibique Piersonus p. 244.

§. 54. pag. 90. vs. 11. Accedet propediem *Lexicon Herodoteum* cura *Io. Schweighäuseri*, Argentor. II Tomi 8 mai.

Ibidem vs. 24. adde: *Histoire d'Herodote, suivie de la Vie d'Homère*; nouvelle traduction, par *F. A. Miot*, Parisiis 1822. III Voll. 8. cf. Revue Encyclop. Paris. 1823. Mars. p. 480 sqq.

Ibidem pag. 91. vs. 4. Adde: *F. X. Werferi* Observationes criticae et grammaticae in Herodoti Historiar. libros *Pars prior*, inserta *Fr. Thierschii Actis philologorum Monacens*. T. I. Fasc. I. *Pars posterior* ibidem Fasc. II. cum additamentis Obss. in priorem partem.

§. 55. pag. ead. vs. 9. Post verba „vitam Graece descripsit Marcellinus" adde: *nisi plures vitae huius, quae sub Marcellini nomine fertur, auctores statuere mavis.*

Ibid. ead. pag. vs. 13. post verba „in Thraciam secessisset" insere: *indeque varia in Italiam, Siciliam et Peloponnesum itinera confecisset*, eiusdem etc.

Ibid. ead. pag. vs. 21. pro *narrationibus* corrige *orationibus*.

Ibid. pag. 92. vs. 7 a fine *Haackianae* Thucydidis editionis haec est inscriptio: *Thucydidis de B. P. libri VII. Ad optimorum codd. fidem, adhibitis DD. VV. Obss., recensuit, summariis et notis illustravit, indicesque rerum et verborum adiecit Chr. Fr. Ferd. Haackius* Lipsiae 1820. II Voll. 8. Ibidem adde: *Thucydidis de B. P. libri VIII ex recensione Imm. Bekkeri. III Tomi. Berolini* 1822. 8 mai. — et in *Addendis* ad h. l. pag. 224 lin. penult. Pro 1820 scribe 1821. Pars I. Vol. II. In Thucydidem Commentarii politici, geographici, chronologici. Lipsiae 1823. 8 mai. — *Heilmanni* interpretatio Thucydidis a *Bredowio* correcta auctaque denuo prodiit Lemgoviae 1823. 8 mai.

Ibid. pag. 93. vs. 14. adde: *Observationes in Thucydidem. Scripsit Franc. Göller* — in *Thierschii Actis philologor. Monac.* T. II. Fasc. II. p. 205—257. Fasc. III. p. 315—362. — *Car. Guil. Krügeri* Commentationes criticae et historicae de Thucydidis historiarum parte postrema — subiectae *Dionysii Halicarnassensis Historiographicis* nuper editis a Car. Guil. Krüger. Halae 1823. 8 mai.

§. 56. pag. 95. 96. Singulorum Xenophontis scriptorum *editionibus* et *interpretationibus* addas: *Hellenicorum Schneideri* repetitam et auctam Lipsiae 1821. 8. — *Xenophontis Anabasis. Recensuit* et annotationibus Criticis etc. illustravit *Albertus Lion*, Gottingae 1823. II Voll. 8 mai. — *Cyri disciplinam a*

Xenophonte Atheniensi scriptam ad fidem maxime cod. Guelferbytani cum selectis VV. DD. suisque animadversionibus et indice verborum edidit *Ern. Poppo*, Gubensis. Lipsiae 1821. 8 mai. — *Xen. De Cyri expeditione commentarii*, in usum scholar. recognovit et indice copioso instruxit *G. Lange*. Editio *tertia* auctior et emendatior cum animadversd. et tab. geographica, Halae 1823 8. (Prima prodiit ibid. 1811. Secunda ibid. 1820. 8) — *Xenoph. Anabasis Kyroy* e recens. et cum notis selectis *Hutchinsoni* cura *Roubeckii* Greifswald. 1821.— *Xen. Cyropaedia*. In usum scholarum edidit *G. Lange*. Halae 1822. 8. — *Xen. Cyropaedie*, oder Bildungs-u. Lebensgeschichte des ältern Cyrus, Griechisch mit Inhaltsanzeigen, erklärendem Wortregister u. kritischer Vorrede von *F. H. Bothe*, Lipsiae 1821. 8. — *Xen. Feldzug*. Griechisch, u. mit Griechisch-Deutschem Wortregister versehen von *F. H. Bothe*. Dritte verbess. Auflage. Lips. 1821. 8. — *Xen. Griechischer Geschichten 7 Bücher*. Mit Inhaltsanzeigen, Zeitbestimmungen, kritischen Anmerkungen und Registern von *F. H. Bothe*, ibidem, 1823. 8.— *Xenophontis Hiero*. Recensuit et interpretatus est *C. H. Frotscher*, Lipsiae 1822. 8. — *Xen. Convivium et Agesilaus*. Recensuit *Ludov. Dindorfius*, Lipsiae 1823. 8 mai. — *Xen. Anabasis. Uebersetzt u. mit Anmerkungen* von *K. W. Halbkart*. Zweite u. verm. Auflage. Breslau 1823. 8 mai.

Ibidem p 97. med. adde: *James Rennel Geschichte des Feldzuges des Cyrus und des Rückzuges der 10000 Griechen — besonders geographisch erläutert. Aus dem Englischen frei übersetzt u. mit Anmerkungen versehen von Alb. Lion*. Göttingen 1823. 8 mai.— *F. C. Matthiae* prolus. scholast.: *Der Rückzug der 10000 Griechen, nach Iohn Macdonald Kinneir*. Francof. ad M. 1819. 4. cf. Neue Kritische Bibliothek für das Schul-u. Unterrichtswesen *Erster Iahrg*. p. 972 sq.— De *Fr. Ios. Grulichii* progr. schol. *De verbosa Socratis Xenophontei ieiunitate* Miseni 1820. 8. prorsus tacere satius esset.

§. 57. p. 97. vs. 8 a fine. Nuperrime prodiit: *Ctesiae* Cnidii quae supersunt. — Edidit *Alb. Lion*. Gottingae 1823. Exspectatur autem hoc ipso anno Ctesiae Fragmentor. editio, *Bährii* prof. Heidelb. studio et opera confecta.

§. 58 extr. p. 100. vs. 12. insere: *Walther Anderson* The Philosophy of ancient Greece, investigated in its origin and progress etc. Edinburgh 1791. 4 mai. cuius libri notitiam *Morgensternio* Viro Illustri debeo.

Ibidem, lin. 15 a fine, addas: *Heinr. Richter Geschichte der Ionischen Philosophie*, Berolini 1821. 8.

§. 60. pag. 107. vs. 17. Adde: *Anaxagoras Clazomenius, sive de vita eius atque philosophia disquisitio philosophica. Scripsit I. T. Hemsen*. Gottingae 1821. 8.

§. 62. vs. 14. (pag. 109.) operarum vitio inter verba *probitatis* et *erga Deum*, excidit: *pietatis*.

Pag. 110. lin. 9. Adde: *I. H. C. Meierotto* de Socrate, et num aevi nostri videatur, Socratem aliquem gignere et producere Berolini 1794 fol. Cf. *Morgensternii*, Viri amicissimi, Symbolas Dorpatenses T. I. p. 82 sqq.

— 112. vs. 12. lege: Klopferus, in dissertat. prima de Cebetis Tabula, Zwicaviae edita etc.

Pag. 117. vs. 3 a fine, corrige *autem* pro *aatem*.

— 118 sq. *Platonis operum editionibus*, quae ibi et in *Addendis* p. 225. laudantur, addas: *Imm. Bekkeri in Platonem a se editum Comentaria critica. Acc. Scholia.* II Tomi, Berolini 1823. 8 mai. — *Astianae* editionis, praeter *secundum* tomum, cuius in *Addendis* ad Part. pr. pag. 225 med. iam mentionem feci, deinceps prodiere T. III. cont. Parmenidem, Cratylum, Philebum et Convivium Lips. 1821. — T. IV. cont. Politiae libros I—VIII. ibid. eod. a. — T. V. cont. Politiae lib. IX. X. Timaeum et Critiam. ibid. 1822. Et hoc anno (1823) nunciatur ut propediem proditurus T. VI. cui inerunt Platonis quae *feruntur* scripta.—Editio libror. X de Rep. cura *Astii* 1814. oct. denuo repetita est Ienae 1820. 8 mai. — *Platonis dialogi quatuor, Meno, Crito, Alcibiades uterque. Quartum recensuit*, suasque et alior. animadverss. addidit *Phil. Buttmann*. Berolini 1822. 8 mai. — *Vier Platonische Gespräche, Menon, Kriton, der erste u. zweite Alcibiades. Deutsch mit Anmerkungen u. einem Anhang über die Eilfmänner zu Athen*, von *Franz Wolfgang Ullrich*. Berolini 1821. 8. — *Platonis Convivium*. Textum recognovit et in usum scholar. brevibus notis criticis instruxit *Chr. Laur. Sommer*. Rudolstadt 1820. 8 min. — *Platonis Convivium*. Edidit *Guil. Dindorfius*. Lipsiae 1823. 8 mai. — *Phaedonis* editio ab *I. D. Koernero* curata, quam in *Addendis* p. 225. commemoravi, etiam *Scholiasten Ruhnkenii* continet. — *Platonis dialogus Io*. Prolegomenis vindicavit et annotatione instruxit *G. G. Nitzsch*. Acc. de Comparativis Graecae linguae modis Commentatio. Lipsiae 1822. 8 mai. — *Platonis Philebus*. Recensuit, prolegomenis et commentariis illustravit *G. Stallbaum*. Acc. *Olympiodori Scholia in Philebum e cod. Cizensi nunc primum edita*. Lipsiae 1820. 8 mai.

Pag. 121 sq. Libris, scripta et placita Platonis illustrantibus, iam addendi sunt: *I. Socher* Ueber Plato u. dessen Schriften. München. 1820. 8. — *Car. Morgensternii* Symbolae criticae in quaedam loca Platonis et Horatii. Dorpati 1821 fol. — *Eiusdem* Symbolar. criticar. in quaedam loca Platonis et Horatii Partic. II. ibid. eod. a. XVIII pag. folio. — *Specimen criticum in Platonis Critonem*. Scripsit *Ed. Reinh. Lange*. Lipsiae 1821. 8. — *Fr. A. L. Ad. Grotefendii* Commentatio, in qua doctrina Platonis ethica cum Christiana comparatur, et utriusque tum consensus tum discrimen exponitur. Gottingae 1820. 4. — *De numero Platonis* Commentationes duae. Quarum prior novam eius explicationem continet, posterior aliorum de eo opiniones recenset. Scripsit *C. E. Chr. Schneider*, Vratislaviae 1821. 4. — *Platon's Zahl* De Rep. I. 8. p. 546 Steph. Eine Vermuthung von *I. F. Fries*. Heidelb. 1823. 4. — *Alex. Kappii* Commentatio historico-paedagogica de Platonis legibus, quas in Reipublicae libris de educatione tulit. Erlangae 1821. 8 mai. — *Platonis doctrina de Deo*, e dialogis eius — excerpta et in ordinem redacta a *Lud. Hoerstel*, Lips. 1814. 8 mai. — *Platon's Timaeus* nach Inhalt und Zweck mit erklärenden Anmerkungen von *Lud. Hörstel*. Braunschweig 1795. 8. — *Lectiones Platonicae*. E membranis (vetustissimis ab *E. D. Clarkio* ex Graecia in Angliam perlatis, et a Curatoribus bibl. Bodleianae redemptis) eruit *Thom. Gaisford*. Acc. *Ric. Porsoni Annotata ad Pausa-*

niam Oxoniae 1820. 8 mai. — Interpretationis Germanicae operum Platonis a *F. Schleiermachero* confectae nova et emendata editio aliquot tomis prodire coepit Berolini inde ab anno 1822.

§. 68. pag. 128 sq. Singulorum *Aristotelis* operum editionibus ibi laudatis adde: *Aristotelis Metaphysica.* Recognovit *Chr. Aug. Brandis* Vol. Imum Berolini 1822. 8.— *Aristotelis Categoriae Gr. et Lat.* Ad fidem optimor. libror. edidit, lectionis variet. notasque adiecit *E. A. Lewald* Heidelb. 1823. 8. — *Aristotelis de Somno et Vigilia, de divinatione per somnum* libri. Ad codd. et edd. vett. fidem recensuit, illustravit, novamque interpretat. Latinam adiecit *Guil. Ad. Becker.* Acc. variae lectt. in X. Histor. Animal. libros. Lipsiae 1822. 8 mai. — *Aristotelis Politica* Graece cum notis *Ad. Coray* in Tomo XIII Βιβλιοθήκης Ἑλληνικῆς. Parisiis 1821. 8.—*Aristotelis de Rhetorica* lib. III. Ad fidem Mss. recogniti cum vers. Latina. Altero vol. continentur Animadversiones criticae et exegeticae in usum iuvent. academ. Oxonii 1820. II Voll. 8 mai. Editionis nomen libro non adscriptum est. Cf. Heidelb. Iahrb. d. Litteratur 1821. Nr. 25. — *Aristotelis de Arte poëtica* librum denuo recensitum, commentariis illustratum, recognitis Valettii, Hermanni, Buhlii, Tyrwhitti, Harlesii, Castelvetri, Robortelli aliorumque complurium editionibus edidit cum prolegomenis et notitiis indicibus (*sic*) *E. A. Guil. Graefenhan.* Lipsiae 1821. 8 mai. — *Aristotelis de anima libri III.* Ad codd. et edd. vett. fidem recensuit, illustravit, novamque interpretationem Latinam adiecit *G. A. Becker.* Lipsiae 8 mai. (editio promissa).

Pag. 130. vs. 17. repone: *Politicorum Latinae a Mureto, Camerario, Lambino,* et antiquissima anni 1270; *polonica* etc.

— 131. In librorum, qui inde a versu 11—29. memorantur, numerum etiam refer: *Iac. Guil. Feuerlini* Disput. de authentia et inscriptione librorum Aristotelis metaphysicorum. Altdorf. 1720. 4.— *I. G. Buhle* über die Aechtheit der Metaphysik des Aristoteles - in Bibl. d. alt. Litt. u. K. Part. IV. Gotting. 1788. 8. — *G. G. Fülleborn* Beitrag zur Untersuchung über die Metaphysik des Aristoteles - in *Eiusd.* Beiträgen zur Gesch. d. Philosophie part. V. 1795. p. 204 sqq. — *Aristotelis de arte poëtica liber in de re tragica commentationem revocatus* ab *I. I. M. Valett.* Goslariae 1822. 4.— *G. Pinzger* comm. *de iis quae Aristoteles in Platonis Politia reprehendit.* Lipsiae 1823. 8 mai.

§. 69. pag. 133. vs. 10 sqq. De *Theophrasti Characteribus vulgatis* iam aliter statuendum erit post insigne repertum *Christiani Wurmii,* iuvenis doctissimi, cuius reperti copiam eruditis fecit vir praestantissimus, *Fr. Thierschius,* in *Actis Philologorum Monacensium* Tom. III. Fascic. 3. Monachii 1822. 8. ubi leguntur *Theophrasti Characteres quinque priores cum prooemio et XVI sequentium partibus, nunc primum genuina forma publicatis. E codice quondam Augustano descripsit* Christianus Wurmius. *Cum epiloge edidit Frider. Thierschius* XXVI pagg. 8. Cf. Heidelb. Iahrbücher der Litteratur 1823. Nr. 25. p. 397 sqq.

Pag. 135. vs. 3 sqq. *Theophrasti* libros de *Historia Plantarum germanice* vertit et illustravit *K. Sprengel*: *Theophrasts Naturgeschichte der Gewächse.* Aus dem Griechischen übersetzt u.

erläutert von *Kurt Sprengel*. I Theil Uebersetzung. II. u. letzter Th. Commentar. Altona 1822. 8.

§. 72. pag. 141. vs. 14. Post Senecae verba adde: Cf. *Fr. Nic. Gisl. Baguet* De Chrysippi vita, doctrina et reliquiis Commentatio. Lovanii 1822. 4.

Ibidem pag. 141. vs. 15 a fine. *Hymnum in Iovem Cleanthi Stoico*, cuius sub nomine circumfertur, falso tribui existimat vir doctus in libro germ. *Kritische Bibliothek für das Schul-u. Unterrichtswesen* 1819. T. I. p. 452 sqq. Idem Germanice vertit Hymnum ibidem.

§. 74. pag. 144. vers. ult. addas: *Io. Rud. Thorbecke* Responsio ad quaest. philosoph. *De eo quod in dogmaticis oppugnandis inter Academicos et Scepticos interfuit* etc. Lugd. Bat. 1821. 4 mai.

§. 75 extr. p. 146. vs. 9 a fine adde: *Fr. Thierschii Einleitung in die Pindarischen Gesänge* p. 151—166. (Pindars Werke T. I.) *A. L. G. Iacobi Sophocleae Quaestiones. Praemittuntur Disputationes de Tragoediae origine* (p. 1—158.), *et de Tragicorum cum republica necessitudine* (pag. 159—180) Vol. I. Varsaviae 1821. 8 mai. — *Epicrisis quaestionis de fine tragoediae Graecae veteris ethico et politico*, quam praemisi *Indici Praelectionum in Univ. Litt. Vilnensi* Vilnae 1822 fol.

§. 78. pag. 152 sq. Indici editionum et interpretationum *Aeschyli* dramatum iam adiicias oportet 1) tertiae *Schützianae*, cuius memini versu 8 a fine, tomum *quintum*, qui *Fragmenta* continet — 2) coeptam *Theatri Graecorum Brumoiani* novam editionem hoc indice: *Le Théâtre des Grecs par le P. Brumoy. Seconde edition complète, revue, corrigée et augmentée de la traduction d'un choix de Fragmens des poètes Grecs, tragiques et comiques par M. Raoul-Rochette* T. I. II Livraisons cum XV tabb. in aes incisis Parisiis 1820. — 3) *Aeschyli Tragoediae*. Ad optimorum librorum fidem denuo recensuit, integram varietatem lect. notasque adiecit *A. Wellauer*. Vol. I. cont. Prom. S. c. Theb. et Persas, quae singulae etiam divenduntur. Lipsiae 1823. 8 mai. 4) *Aeschyli Persae*. Emendavit, notas et glossarium adiecit *C. I. Blomfield*. Editio auctior indicibusque instructa. Lipsiae 1823 8 mai. — Eiusdem cura *Aeschyli Agamemnonis* et *Septem contra Thebas* editiones auctiores, ut propediem Lipsiae prodituræ, nunciantur. — 5) *Aeschyli Eumenides* cum Scholiis edidit *C. Schwenk*, Bonnae 1821. 8 mai. — 6) *Aeschylus Tragoedien im Versmaas der Urschrift verdeutscht von Chr. Kraus*, Lips. T. I. II. 1821 sq. 8 mai. — *Aeschylos Tragoedien. Mit einem Commentar von August Lafontaine*. Halae T. I. II. 1822. 8 mai. Tertius tomus propediem proditurus nunciatur. 8) *Die Schutzflehenden von Aeschylos*, nach der Versart der Urschrift verdeutscht, mit einer Abhandlung u. Anmerkungen begleiter von *C. Ph. Conz*. Tübingen 1820. 8.

Pag. 154. vs. 22. adde: Partic. II. animadverss. Petersenii in Aeschyli Agamemnonem, in Misc. Hafniens. T. II. p. 55—80.

— — vs. 8. *Godofr. Hermanni de Aeschyli Niobe* dissertatio, Lips. 1823. 4.

§. 79. pag. 156 sq. *Sophoclis dramatum editionibus* ibi laudatis adde nunc: 1) *Sophoclis Tragoediae* in usum scholarum etc. Acces-

sit varietas lectionis copiosissima. Pars I. II. Editio *tertia.* Halae in Orphanotr. 1822. Editor est *Io. Fr. Martin.* — 2) Minoris tragoediarum Sophoclis editionis *Erfurdtianae Antigona* ab ipso *Erfurdtio* edita 1809, *secundum* vulgata est cum annotatione *G. Hermanni* Lipsiae 1823. 8. item *Sophoclis Oedipus Rex* ad optimorum libror. fidem recensuit et brevibus notis instruxit *C. G. A. Erfurdt.* Editio *secunda cum annotat. Godofr. Hermanni* ibid. eod. anno. 8. Idem *Hermannus*, editionis minoris Erfurdt. continuator, *quintum* volumen, *Trachinias* continens, ad optimorum libror. fidem recensuit et brevibus notis instruxit Lipsiae 1822. 8. — 3) *Sophoclis Oedipus Tyr.* ex recens. *Petri Elmsleii*, qui et annotatt. suas adiecit. Editio auctior, Lipsiae 1821. 8. — 4) *C. Reisigii* Commentarius in Sophoclis fabulam, *Oedipus in Colono* II Voll. Ienae 1822 sq. 8 mai. — 5) *Sophoclis Philoctetes* Graece. Cum suis selectisque aliorum notis edidit *Phil. Buttmann.* Berolini 1822. 8 mai. — 6) *Sophoclis Philoctetes.* Recognovit et commentariis in usum iuventutis conscripsit illustravit *I. F. Matthaei.* Altonae 1822. 8 mai.

Ibidem pag. 158. Indici librorum Sophoclis fabulas illustrantium addantur: *A. L. G. Iacobi Sophocleae Quaestiones* Vol. I. Varsaviae 1821. 8 mai. cf. supra ad pag. 146. — *Petri van Limburg-Brouweri* Comm. de ratione, qua Sophocles veterum de administratione et iustitia divina notionibus usus est ad voluptatem tragicam augendam. Lugd. Bat. 1820. 8. — *K. L. Kannegiesser* über den ersten Oedipus des Sophocles. Prenzlau 1817. 4. — *Eiusdem* Ueber den Oedipus zu Kolonos, ibidem 1820. 4. — *Blümneri* Dissert. de Sophoclis Oedipo rege. Lips. 1788. — *Ed. Wunderi* Adversaria in Sophoclis Philoctetam, Lipsiae 1823. 8. — *Schwabii* Quaestionis de religione Sophoclis rationali Pars I. Stuttgart. 1820. 4. — *Th. C. G. Schneideri* de dialecto Sophoclis ceterorumque tragicorum Graecorum Quaestiones criticae, Ienae 1823. 8 mai.

§. 80. pag. 161 sq. *Euripidis* dramatum editioni ab *A. Matthiae* curatae accesserunt T. VI. et VII. Lipsiae 1823. 8 mai. — *Euripidis Bacchae.* In usum stud. iuvent. recensuit et illustr. *Petrus Elmsley.* Editio auctior indicibusque instructa. Lipsiae 1822. 8. — *Euripidis Bacchae.* Recensuit *God. Hermannus.* ibid. 1823. 8. — *Eurip. Supplices et Iphigenia in Aulide et in Tauris* cum annotatt. *Marklandi*, *Porsoni*, *Gaisfordi*, *Elmsleii*, *Blomfieldi et aliorum.* T. I. II. Lipsiae 1822. 8 mai. — *Eurip. Iphigenia in Aulide et in Tauris* cum notis *Ier. Marklandi* integris et aliorum selectis, Lipsiae 1823. 8 mai. — *Eurip. Hippolytus coronifer.* Ad fidem mss. ac vett. edd. emendavit et annotatt. instruxit *Iac. Henr. Monk.* Lipsiae 1823. 8 mai. — *Eurip. Heraclidae* ex recens. *P. Elmsley*, qui annotationes suas et aliorum selectas adiecit. Editio auctior indicibusque locupletissimis instructa. Lipsiae 1821. 8 mai. — *Eurip. Medea.* In usum stud. iuvent. recensuit et illustr. *P. Elmsley.* Editio auctior et emendatior, indicibusque instructa. Acc. *Annotationes G. Hermanni.* Lipsiae 1822. 8 mai. — *Eurip. Medea* ex recens. *P. Elmsleii.* In usum sholarum, Lips. 1823. 8 mai. — *Eurip. Medea.* E recens. et cum notis *Brunckii.* Nova editio. Cura *G. H. Schäferi.* Lipsiae 1822. 8. — *Euripidis Phoe-*

nisse. E recens. et cum notis *Brunckii.* Editio nova. Cura *G. H. Schäferi.* ibidem eod. a. 8. — *Euripidis Phoenissae* cum Scholiis Graecis. In usum lect. iterum edidit, adhibitis Valckenarii, Brunckii et Porsoni recensionibus, Hugonis Grotii versionem Lat. indicemque verborum adiecit *C. G. Schütz* Halae 1821. 8 mai. — *Eurip. Alcestis.* Cum integris *Monkii* suisque annotationibus edidit *Ern. Frid. Wüstemann*, Gothae 1822. 8. — *Phoenissarum* cum annotationibus *L. C. Valckenarii* pariter atque *Hippolyti* cum eiusdem annotatt. et Diatribe in Euripidis Fragmenta nova editio paratur Lipsiae oct. mai. propediem proditura.—*Euripidis Fragmenta duo Phaëthontis* e codice Claromontano edidit *Godofr. Hermannus.* Lipsiae 1821. Inserta etiam sunt *Miscellaneis criticis* a *Friedemanno* et *Seebodio* editis Vol. I. Part. I. Hildesiae 1822. p. 1—17. Eadem fragmenta iam ante edita erant a *G. Burgesio* in diario Angl. *The Classical Journal* Nr. 43. September. 1820. p. 160—171. Ex quo *Burgesii* Notae in haec Euripidei Phaëtontis Fragmenta, e Ms. Parisiensi descripta ab *Imm. Bekkero*, iisdem *Miscellaneis Criticis* insertae leguntur l. l. p. 17—26.

Ibidem pag. 162. vs. 16 a fine, adde: *Euripides Werke*, verdeutcht von *F. H. Bothe. Ausgabe letzter Hand in 3. Bdn.* T. I. Manheim 1823. 8 mai.

— — — vs. 3 a fine *Boettigeri Prolusiones duae de Medea Euripidis* leguntur etiam in *Aug. Matthiae Miscellaneis Philologicis* T. I. p. 130 sqq. Ibidem adde *Blümneri* libellum *Ueber die Medea des Euripides.* Tum *A. Fr. Wolperi Diss. de Medea Euripidis trag. correcta et denuo edita*, Gottingae 1818. 8.

§. 82. pag. 165. vs. 8. Post verba „secundum nonnullos a κώμη *vicus* et ᾠδή ductum“ adde: nisi cum *Böckhio* (Staatsh. der Ath. II. p. 364) et *Passowio* (Griech. Wörterb. v. κωμῳδία) a κῶμος *comissatio* rectius derivari statueris.

§. 83. pag. 171. vs. 2. adde: *Aug. Seidleri* brevis disputatio *de Aristophanis Fragmentis*, Halae 1818. 4. — *Aristophanis editionibus* hac et sequ. pagina laudatis adscribe: 1) *Commentariorum criticorum et exegeticorum* in Aristophanis Comoedias primum a *Beckio* V. Cl. posthac a *Dindorfio* editorum, Vol. VI. Commentarios in *Lysistratam*, *Thesmophoriazusas et Indices* in Comm. continens, Lipsiae 1821.—Vol. VII. Pars. I. Supplementa Commentariorum cont. ibid. 1822 — Vol. VIII et IX *Scholia Graeca* in Aristoph. Com. exhibens ibid. 1822 sq. 8 mai. 2) Aristophanis Comoediae quae exstant XI. ac deperditarum Fragmenta. Gr. et Lat. Cum Scholiis Graecis et superior. editorum, Küsteri, Bergleri, Brunckii aliorumque VV. DD. suis item annotatt. edidit et Lexicon in Aristophanem adiecit *C. G. Schütz* T. I. Acharnenses, Equites, Nubes. T. I. Pars II. Commentarii in Acharnenses, Equites, Nubes. Lipsiae 1821. II Voll. 8 mai. — 3) Aristoph. *Equites.* Ex recens. *Guil. Dindorfii.* Lipsiae 1821. 8 mai. — 4) Aristoph. *Aves.* Ex recens. *Guil. Dindorfii* ibid. 1822. 8 mai.—5) Aristoph. *Pax.* Ex recens. *G. Dindorfii* ibid. 1821. 8 mai.—6) Aristoph. *Aves.* Textu recognito in usum scholar. ed. *Aug. Sander* Hamm. 1821. 8 mai. — 7) Aristoph. *Vespae.* In usum lectt. ad optimor. libror. fidem recensuit et notis instruxit *C. P. Conz.* Tubingae 1823. 8.—8) Aristoph. *Wolken.* Mit erläuternden Anmerk. versehen von *K. H. Weise*

Lipsiae 1822. 8 mai.—9) *Ric. Porsoni Notae in Aristophanem*, quibus *Plutum* comoediam partim ex eiusdem recens., partim e Mss. emendatam et VV. LL. instructam praemisit et collationum appendicem adiecit *P. P. Dobree* Cantabrigiae 1820. 8.—10) *I. H. Vossii* translatio Comoediar. Aristophanis metrica, cuius in *Addendis* p. 226 extr. ut propediem proditurae memini, iam prodiit, hoc indice: *Aristofanes von Ioh. H. Voss*, mit erläuternden Anmerk. vom Prof. *Heinrich Voss* In 3 Bden. I. u. II Band Braunschweig 1821. 8. mai.

§. 84. pag. 173. vs. 4 a fine adde: *Menandri et Philemonis Reliquiae.* Edidit *A. Meinecke.* Acc. *R. Bentleii* in Men. et Philem. emendationes integrae. Berolini 1823. 8 mai.

Pag. 182. vs. 17 sq. pro *Aristophonti* scribe *Antiphonti.* Paullo post vs. 9. a fine pro „lectu *utilissimas*" repone: lectu *utilissimae.*

— 183. versu paenult. scribe *Menexeno.*

§. 91 extr. pag. 190. *Lycurgi orationis in Leocratem* tres editiones uno eodemque anno prodiere, quarum indices hic apponimus: 1) *Lycurgi oratoris Attici quae exstant Graece.* Textum Leocrateae recognovit, I. Taylori Prolegomena et Animadversiones integras, I. G. Hauptmanni, Reiskii, Schulzii selectas, Mori ineditas suasque adiecit, orationum deperditarum fragmenta collegit *A. G. Becker.* Magdeburgi 1821. 8. — 2) *Lycurgi Oratio in Leocratem.* Ad fidem codd. mss., adiecta annotatione critica, recensuit *Fr. Osann*, Ienae 1821. 8 mai. — 3) *Lycurgi Oratio in Leocr.* Emendavit *C. F. H(einrichius)* Bonnae 1821. 8. Usus est editor doctissimus praeclaro cod. ms. *Vratislaviensi* quem *Passowius* V. Cl. descripsit in *Symbolis criticis in Scriptores Graecos et Romanos e Codd. Mss. Vratislav. depromptis* 1820. Commentarium criticum in Leocrateam propediem editurum se esse promisit Heinrichius.

§. 92. pag. 192 extr. adde: *Demosthenis quae supersunt e bonis libris a se emendata edidit I. I. Reiske.* Editio correctior curante *G. H. Schäfero* T. I—IV. Londini 1823. 8 mai.

Ibidem p. 193. vs. 16. adde: *Demosthenis oratio in Midiam cum annotat. critica et exegetica. Curavit Ph. Buttmann* Berol. 1823. 8 mai.

Ibidem p. 193. vs. 7. a fine addas. *Die Reden des Aeschines u. Demosthenes über die Krone* oder wider und für den Ktesiphon, übersetzt von *Friedr. von Raumer* Berlin 1811. 8.

Ibid. pag. 194. In librorum Demosthenis orationes illustrantium, quos hic enotavi, numerum referas: *C. A. Rüdigeri Diss. de Canone Philippicarum Demosthenis*, Friburgi 1820. 8. — *B. G. Weiskii* Disputatio *de Hyperbole errorum in historia Philippi commissorum genetrice.* P. I. II. III. Lipsiae 1818 sq. 4. — *Rud. Rauchenstein De Orationum Olynthiarum ordine.* Praefatus est *Fr. Passow.* Acc. Fasciculus Obss. philolog. et criticar. in Demosthenis Philippicas auctore *I. H. Bremio* Turicensi. Lipsiae 1821. 8. — *Gölleri* Prolegomena in Demosthenis orationes de republica habitas; Coloniae Agripp. 1822. 4.

Pag. 202. §. 97 extr. adde *tertiam* editionem historiae Medicinae a *Sprengelio* curatae T. I. II. Halae 1821. 1823. 8 mai. *Eiusdem* Geschichte der Medicin im Auszuge. Halle T. I. 1804. 8.

Pag. 206. vs. 14. adde: *Hippocratis Aphorismi.* Ad optimorum libror. fidem accurate editi. Cum Indice *Verhoofdiano* locupletissimo. Berolini 1822. 12.

— 207. vs. 4. adde: *Die echten Hippokratischen Schriften*, verdeutscht u. erklärt, von *Dr. H. Brandeis.* T. I. Vindobonae 1822. 12.

§. 101, pag. 210. vs. 16 a fine. Folardii et Guichardii operibus laudatis adde: *Dureau de la Malle Poliorcétique des Anciens* ou de l'attaque et de la defense des places avant l'invention de la poudre, Paris. 1819. avec un Atlas.

Ibidem pag. 212. vs. 10. Libris *Musicam Graecorum* illustrantibus addas: *Fr. v. Drieberg Aufschlüsse über die Musik der Griechen*, Lipsiae 1820. 4. — *Eiusdem Die praktische Musik der Griechen* T. I. Berolini 1821. 4.

§. 102 extr. pag. 214. vs. 8. adde: *Io. Frid. Pfaffii Comm. de ortibus et occasibus siderum apud auctores commemoratis.* Gottingae 1786. 4.

ADDENDA

AD PARTEM POSTERIOREM.

§. 108. pag. 8. vs. 3. adde *F. A. G. Spohnii Lectionum Theocritearum Specimen I.* Lipsiae 1823. 4.

§. 115. p. 21 med. Commentationi germanice scriptae de carmine Apolloniano, et Bibl. Litt. et art. ant. T. II. insertae accesserunt nunc: *Additamenta ad disputationem de Argonauticorum Apollonii Rhodii fontibus* — praemissa *Indici* Praelectt. Univ. Litter. Vilnensis, Vilnae 1823. XIV pagg. fol.

§. 120. pag. 32. vs. 6 a fine. adde: *Anthologia Graeca sive Collectio Epigrammatum ex Anthologia Graeca Palatina.* In usum Scholarum curavit *Aug. Weichert.* Miseni 1823. 8.

§. 123. p. 38. vs. 12. adde: *Chr. Kochii* Commentatio *de rei Criticae, imprimis Alexandrinae, epochis.* II Tomi Marburgi 1823. 4.

§. 126. pag. 44. med. *Herodiani* Fragmentum hoc *de vitiosis dictionibus* περὶ ἡμαρτημένων λέξεων ab *Hermanno* e cod. Augustano descriptum et ad calcem libri *de emendanda ratione Graecae Grammaticae* p. 301—318. editum, „pars est libelli, ex quo excerpta habemus *Phrynicho et Moeridi* adiecta, quorum comparatione facile intelligitur, illud quod Hermannus vulgavit fragmentum non collectum ex Herodiani scriptis, sed partem ipsius Herodianei libelli esse" Vide Hermannum in praefat. ad lib. laud p. XV. Ibidem de duobus aliis fragmentis ineditis, quae *Herodiani* habentur, et ad calcem eiusdem libri de emend. Gr. Gramm. e cod. Augustano primum vulgata sunt p. 319-352. et p. 422-470. disseritur, quorum alterum, *Lexici Graeci Fragmentum*, Hermanno non Herodianum videtur, sed ex *Nicephori Gregorae* (§. 189. pag. 185.) *Technologia Grammatica* desumtum esse, alterum, *Regulas de Prosodia* continens, verisimiliter quum ex *Herodiani*, tum ex aliorum libris grammaticorum descriptum. — Ceterum *Aelii Herodiani de irregulari dictione libri duo* nunc primum editi sunt, una cum *Arcadii* libro *de Accentibus* et *Favorini Eclogis*, in Grammaticorum *Graecorum* cura *Guil. Dindorfii* Vol. Imo, Lipsiae 1823. 8 mai. Acc. Editoris annotatio critica.

§. 127. p. 48 med. Ad verba *Fragmentum Herodiani* cf. quae modo de excerptis his e Herodiani libro, cuius partem Hermannus vulgavit l. l. p. 301—318., notavi.

§. 131. p. 59 med. adde: *Dionysii Halicarnassensis Historiographica* h. e. *Epistolae ad Ammaeum altera, ad Cn. Pompeium et ad Q. Aelium Tuberonem.* Cum priorum editorum suisque

annotationibus edidit *Car. Guil. Krüger*. Subiectae sunt eius *Commentationes criticae de Thucydidis Historiarum parte postrema*, Halae 1823. 8 mai.

§. 139. p. 76. vs. 8. In Catal. Lips. Nund. 1823. I. inter libros propediem prodituros iam relatae sunt *Dionis Cassii Coccei. Historiar. Rom. reliquiae*. Graeca ex codd. mss. emendavit, Xiphilini Epitomen non minus quam Latinam utriusque vers. correxit, Fragmenta et Indicem verborum Graecorum atque annotationes a Reimaro collectas et Reiskii aliorumque valde auxit *Fr. Guil. Sturzius*. Vol. I. et II. Lipsiae 8 mai.

§. 157. pag. 111. ubi de *Alexandri Aphrodisiensis* libro *de Fato* agitur, insere: *Alexandri Aphrodisiensis* et *Ammonii Hermeae filii de Fato quae supersunt Graece*, *cum vers. Latina Hug. Grotii*, ad codd. mss. et editt. fidem recensuit, varietate lect. et brevi annotatione illustravit *I. C. Orellius*. *Acc. Diogenis* Peripatetici et *Bardesanis* Syri *Fragmenta de Fato*, ab Eusebio servata, Turici, 8.; editio promissa. — De *Alexandro* hoc cf. etiam Harlesium in Brev. Notit. p. 421 sqq. — Eiusdem *Alexandri Aphrodisiensis*, quem medicae quoque artis peritum ferunt, nomen prae se ferunt *Problemata medica*, Passowio auctore, ad *Alexandrum Trallianum* verisimilius referenda, et liber *de Febribus*, quem Graece et Latine in Germania nunc primum edidit *Fr. Passowius* Vratislaviae 1822. 4. Graece primum editus est libellus ex apographo cod. Florentini a *Schina* Constantinopolitano in *Museo Cantabrig.* 1821. Interpretatio Latina parum probabilis *Georgium Vallam* auctorem habet.

§. 160. p. 118. vs. 6. adde: *Marc Aurèle* ou histoire philosophique de l'Emp. Marc Antonin, ouvrage où l'on présente dans leur entier, et selon un ordre nouveau, les maximes de ce Prince, qui ont pour titre: *Pensées de Marc Aurèle de lui-même à lui-même*, en les rapportant aux actes de sa vie publique et privée. à Paris 1820. IV Voll. 8. — *Eichstadii Exercitationes Antoninianae* I—V. Ienae 1820 fol. et 4.

§. 162. pag. 121. Promissa est a doctissimo philologo nova *Sexti Empirici* critica editio, hoc indice: *Sex. Emp. Opera. Graece*. Recensuit et annotavit *C. L. Struve*. Adiectae sunt Fabricii Notae. Regiomonti II Voll. 8 mai.

§. 163. p. 124 med. adde: *A. Goeringii Notitia codicis ms.* e L. A. Senecae scriptis, *Diogenis Laërtii X libris de vitis philosophorum*, et Iustiniani Institutionibus excerpta continentis, Lubecae 1823. 4.

§. 178. pag. 156. vs. 4. a fine adde: *C. G. Iacobi Lucianea* in N. Krit. Bibl. 1821. Part. I. pag. 105 sq. P. II. p. 281 sq. — 1822. P. I. p. 195 sq. P. II. p. 1106—1115.

§. 198. p. 204. vs. 4. Propediem edentur *Iohannis Tzetzae Chiliades*. Textum recognovit, brevi annotatione et indicibus instruxit *Th. Kiessling* Lipsiae 8 mai.

§. 202. p. 212. vs. 18. adde: *Des Antecessor Theophilus Paraphrasis der Institutionen Iustinian's*. Aus dem Griechischen übersetzt u. mit Anmerkungen begleitet von *Karl Wüstemann*, Berol. 1823. II Voll. 8.

INDEX NOMINVM

Numerus Romanus partem libri *primam* aut *secundam*; vulgaris foliorum paginas indicat.

A.

D.

E.

I.

L.

Q.

R.

S.

T.

V.

X.

Z.

INDEX RERVM ET VERBORVM.

A.

B.

C. K. X.

D.

E et H.

F.

G. Γ.

H.

I.

L. Λ.

M.

N.

O.

P. Π. Φ.

R.


S. Σ.

T. Θ.

V.

CORRIGENDA.

Pag. 8. vs. 17. Scribe *carminum*
— 13. — 7. Pro *Hecate* legendum *Hecale*
— — — 12 a fine scribe: *T. I. p. 149.*
— 21. vs. 16. Pro *Filangieri* leg. *Flangini*
— 25. vs. 20. lege: Iacobsii Anthologia Gr. T. I. p. 159 sqq.
— 26. sub finem §. 118. corrige *interpreti* pro *interprecti*.
— 71. med. scribe *Mithridatica*
— 75. vs. 9 a fine. Pro *diaserit* scr. *disserit*
— 82. — 4. Pro *Scholiasest* leg. *Scholiastes*
— 83. — 6. Pro *exspectanus* leg. *exspectamus*
— 88. — 17 a fine corrige *Montanus*
— — — 5 a fine pro *tum* scr. *iam*
— 93. — 3 — scribe *causam* pro *Causam*
— 95. — 5 a fine corr. *Apollodoro*
— 96. — 8. pro *Craecorum* leg. *Graecorum*
— — — 10. pro *praeivsse* scrib. *praeivisse*
— 97. — 15. scr. *initio* pro *intio*
Pag. 102. vs. 7. corr. *Fischero*
— 103. — 3. Pro *de Platonis* scrib. *de Platonicis*
— 108. — 13. Iunge *ineditis*
— — — 12 a fine scr. *Iamblichus*
— — — 4 a fine scr. *αἱ φύσεως*
— 116. — 11 a fine scr. *Aurelii*
— — — 5 — scr. *disciplinae*
— — — 4 a fine leg. *quae* ad vitae actum — *egregium* monumentum etc.
— 123. — 4. Disiunge. *ab eo.*
— 124. med. scr. *supposititia*
— 129. vs. 3. scr. bear*beitet*
— 132. — 15 a fine. Pro *superstite* leg. *superstite*
— 135. med. Pro bibl. *Numb.* leg. *Naumb.*
— 146. med. Corrige: *empiricorum*
— 148. vs. 25. Iunge *adhuc*
— 149. med. scr. *Alii* vero etc.
— 151. vs. 9. corr. *Hippocratis*
— 168. — 11 a fine leg. *Heliodori*
— 205. — 15 a fine, corr. *aliud* pro *aliad*
— 219. — 6. Pro *doctisqe* leg. *doctisque*


U. C. BERKELEY LIBRARIES
C046287749

